Digitized by Google


VII 90

D, VIII, 13
f

CANDOR LILII

SEV

ORDO FF. PRÆDICATORVM,

A CALVMNIIS ET CONTVMELIIS

PETRI A VALLE-CLAVSA

VINDICATVS.

In eius decem Diatribas totidem Reflexiones.

Authore R. P. F. IOANNE CASALAS, eiuſdem Ordinis Prouinciæ Toloſanæ, ſtrictioris Obſeruantiæ. l. h. d. l. B.

Omnia Eccleſiæ Romanæ ſubmiſſa ſunto.

PARISIIS,

Apud IOANNEM DE LAVNAY, in atrio Scholarum Sorbonicarum.

M. DC. LXIV.

CVM LICENTIA ET APPROBATIONE.

PRÆFATIO APOLOGETICA.

INVICTI eſſe poſſumus, non poſſumus ſtare inconcuſſi. Nihil ita ſacrum, quod ſacrilegium non inueniat; nec adeò firmum, quod non nutet, dum conuellente omnia terræ motu, orbis fundamēta ſubſiliunt. Cùm odio ſui cœpit ſimul Veritas; & quæ innatâ luce cuncta fouet, omnium, teſte Tertulliano, apparuit inimica, quia lucens: tot eius hoſtes quot extranei, & quidem ex æmulatione Iudæi; ex concuſſione, Milites; ex naturâ contumaci, plerique fidei Chriſtianæ Domeſtici. Quid igitur mirum, ſi omnes, licet ex diſpari cauſâ, Veritatis æmuli, factâ manu glomeratoque agmine conſurgant in Familiam Dominicanam, quæ Pontificio & Imperiali ſuffragio, inſcripta eſt Ordo veritatis? *In quantum ergo inuidiâ flagrat Veritas, in tantum quæ eam ex fide præſtat Religio, offendit. Qui autem adulterant & affectant, hoc maxime nomine gratiam demerentur apud Inſectatores veritatis; qui licèt habitu ac ſectâ diſpares, vnius ore ſerpentis*

Apolog. 7. | Ioan. 22. Ludou. Bauar.

inſibilant in cœtum Regularem, veritatis aſſertorem intrepidum: cum quo concutiuntur, nutant & corruunt præcelſiora Doctrinæ ac Pietatis cacumina, ita vt nec Cœlitibus firma ſedes, cœlo terràque emotis.

Intereà dum ſingulos attonat commune periculum, vacillante vndique ſolo; grauidæ ventis ac æſtu inſolito ſuppoſitæ valles, concuſſionis illatæ patiuntur infamiam. Nec immeritò: ecce enim penitioribus terræ viſceribus incluſus turbo, viam quà exeat, violento conatu aperiens, fœtenti ſe primùm fumo explicat; & vt cum Ioanne loquar, vltimorum temporum
Apoc. 9. *fata præcinente*: apertus eſt puteus abyſſi, & aſcendit fumus putei, ſicut fumus fornacis magnæ & obſcuratus eſt ſol & aër de fumo putei. *Nec humanis nec diuinis parcitum*; & de fumo putei exierunt locuſtæ in terram, & data eſt illis poteſtas, ſicut habent poteſtatem ſcorpiones terræ. *Ecquid ergo patet ianua Orci? Patet, laxatur & immenſo hiatu ſe prodit effuſa iniquitas. Verùm ferale hoc Oſtium quis aperuit? Petrus à Valle-clauſà, & ab ipſo in perniciem publicam nuper reſeratà; vnde tot eruperunt Locuſtæ, Ranæ, Bufones: tot inquam Neniæ, Sannæ, Strophæ, Deliramenta, Mendacia, Calumniæ, Conuicia, Contumeliæ, Obſcœnitates, Impietates, Blaſphemiæ, ambitioſa denique*

maledictorum congeries ; vt immiſſis per omnes Ordinis Prædicatorum ſuggeſtus & ſinus contemptione, ludibrio, proculcatione ac dehoneſtamento publico, denigrata ſuper carbones Cœtus inclyti facies langueat, palleſcat, nec à ſupremo capitis vertice ad imos pedum vngues, in depaſto populoſis vlceribus ac vulneribus cruentis corpore, vlla inſit ſanitas, aut vel vmbratilis primæuæ Maieſtatis decor. Cuius Tibi (Lector) lamentabile exhibeo ſpecimen in perſonâ & ſorte Sanctiſſimi Iob, quem dum inuaſurus eſſet per chariſſimæ prolis latus Dæmon, ſubitò concuſſis toto niſu quatuor angulis domus, ruunt in confuſam molem comploſi parietes; tectiſque cadentibus, illam ſanctiſſimam Fratrum cohortem hoſtis ante ſepelit quam iugulet, vt in repentinâ vnius funeris turbâ, paternus amor qui non ſufficeret orbitati, dolori ſuccumberet.

Facinus planè ſimile, & conſimili animo præſtiturus aduerſus Ordinem Diui Dominici Valcluſinus, laruam induit ne appareat ; at ſuperinductum faciei velum, decutit aperta oris proteruia, incautuſque liuor latebris fidens Sole pellucidioribus. Verùm quis ille ſit, nolumus nec ex nomine, nec ex facie dignoſcere; indulgentes ex hac parte perſonato hoſti, qui prodi refugit conſulens ſibi; Omne enim malum aut timore aut pudore natura perfudit. Tert. Apol. 1.

Dicemus tamen quis non ſit, negatione nitidiùs quam affirmatione ſignaturi Impoſtorem. Catholicum ne dixeris, qui ſanctiora Fidei Catholicæ, ac Apoſtolicæ Sedis iura, cæco ac profano auſu ſubuertit. Putas Chriſtianum, Chriſto non acquieſcentem & in Perſonam eius blaſphemum? Putas Theologum, qui nec Deum nec diuina ſapit; imò nec eloquitur niſi vt deturpet? Nec tibi videbitur Philoſophus, qui vagè excurrit, diſcurrit nunquam, ludicrà garrulitate eiurans Philoſophicam grauitatem. An denique Grammaticum credam, omnis Idiomatis & literaturæ, vt ex decurſu conſtabit, planè rudem? Duplici tantum ſigno venit dignoſcendus. Loquelà, quia Inalpinus: (loquela tua Petre manifeſtum te facit) frequenſque Iudicij ac Memoriæ lapſus, ſenem demonſtrat, licet in octogenario ludat puer, dehoneſtando Ordini Religioſo procaciter imminens & furenter addictus.

Partitio. *Quid interim præſtitit decolor laceraque Religio; quouè nunc vmbone ſe tegit, impacta depellens ſpicula, probraque inuſta detergens? Tria facit. Diu* ſiluit, *tandem* loquitur, *ac* duriuſculè. *Vtque legitimas abrupti ſilētij aſperatæque tantillum locutionis cauſas, triſulca hæc ratio manifeſtet, attentum Te volo Lector beneuole. Clancularià diſtractione excurrit diu, inſcriptus de* Immunitate Cyriacorum,

ſeu Dominicanorum *famoſus liber, publicãque lucem exoſus Tenebrio, opus tenebrarum. Apparuit tandem nobis, nec ſtatim confutandum decreuit Ordo læſus, natiui decoris conſcius, & auitæ integritatis tenax. Aiebat enim intra ſe: Non eſt excelſus animus quem curuat iniuria, delicatus eſt, quem commouet: probatque ſæuienti fortunæ ſe ſuperiorẽ, muta patientia: Aut enim potentior Te, aut imbecillior læſit: ſi imbecillior, parce illi; ſi potentior, Tibi, aut veriùs, Tibi & illi indulgens, nec bellum admittes, nec amittes pacem. Nuſquam ſine querelà, ægra tanguntur: proprium veræ magnitudinis eſt, non ſe ſentire percuſſum. Sic immanis fera latratus canum lenta reſpicit; ſic irritus ingenti ſilentique ſcopulo fluctus aſſultat, cædentium manus oraque fatigat & vincit obſtinata patientia. Obiicitur itaque tandem euiſceratæ Religioni Satyricus liber. Quid illa? Accenditur, minatur, irrumpit? Suauius aliquid ſpirat; diſſimulat, apertis oculis nihil videt, maiorique animo non agnouit, quam ſi ignouiſſet, læta imitari Agnum qui coram tondente ſe obmutuit, per omnes naturæ contumelias volutatus & elinguis, quia ſagitnari patientià volebat Dominus; noluitque ab exemplo Domini recedere Ordo* Dominici. *Hæc prima diuturnioris fortè quam pareret ſilentij ratio: ſed maluimus ſilere quam* Siluimus.

ſæuire, hoc edocti oraculo, quod nemo læditur niſi à ſe ipſo.

Siluit & natiuæ integritatis compos, quia riſit euanidos impetus imbellis Maledici, qui multa garrit, quia multa fingit, nihilque probat; nuſquam verax niſi dum mentitur; quippe qui gloriatur ſe ſemper conſtare ſibi, nihilque verius, quia conſtanter mendax. Excepimus itaque laruati hoſtis ferinos latratus, ſicut excipiunt Medici, Ægri rabiem & contumelioſa Frænetici verba: vt Sol tela excipit, & Deus blaſphemias hominum; riſu ſcilicet ac contemptu. Eo ſiquidem loco poſita eſt virtus, quò nulla accedat iniuria. Sicut igitur quæ neruo tormentiſque in altum expreſſa, cum extra viſum exiliere, natiuâ imbecillitate, irritoque conatu recidunt; ſic Religionem tot ſyderibus primæ magnitudinis præſulgentem; tot Apoſtolicæ Sedis ac Pontificum, nec non Regum exornatam priuilegiis ac muneribus; tot Cælitibus venerandam; debilia & ridenda Pſeudo-Petri iacula non contingunt, qui magnitudinem multum vltrà ſe poſitam, nec ictutus petit; nec multitudo telorum ac calumniarum, diem Dominicanæ gloriæ obſcurans, Solem ipſum percellit, inter tot laceſſentia tutum & tranquillum. Effugiunt enim humanas manus cæleſtia, & inter Templorum caſus, ſimulacrorumque rui-

nas, ſtatprorſus illæſa Diuinitas. Siluit itaque aliquandiu Prædicatorius Ordo inter ingruentia vndique probra, hoſtilem ridens impotentiam, ſpectaculo ſui lætus, & gaudens plenâ ſecuritate intra ipſos Aduerſariorum fines & ictus.

Quidni? Et hæc tertia indulgentis ſilentij ratio. Ridenda ſcit Puerorum conuicia, dum os parentum feriunt; crineſque Matris turbat laceratque infans, fictâ ſed mutâ vultus auſteritate corrigendus. Quem enim aduerſus Pueros animum nos habemus, hunc ſapiens habet aduerſus omnes, quibus etiam poſt iuuentam canoſque, puerilitas ineſt. Sen. de Conſt. 12. *Dedimus itaque locum iræ & irato, vt reſipiſceret. Iniuriam pati maluit Ordo Dominici, quam reponere aut purgare; eo animo, vt tandem ad ſe rediens carioſa Ariſtarchi ſenectus, iniecta vniuerſo Orbi ſcandala elueret, reuocaretque calamo & affectu pœnitenti. Quomodo enim ſtabit ante Tribunal Chriſti tot deformata criminibus quot lineis, libelli famoſi compactrix anima?* Melius *etenim* eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ, *præcellitque fama pecuniis. Si itaque præcluſa denunciatur Salutis ianua diuiti alienis onuſto facultatibus; quâ ſibi arte aditum patefaciet ad fœlicem Cæleſtium vitam, morti iam proximus octogenarius Se-*

nex, in cuius alis repertus eſt ſanguis pauperum; *tot Calumniarum ac Impoſturarum faber, vt infrà euincetur, & publicà ingentis Ordinis diffamatione ſordens, cum* non dimittatur peccatum niſi reſtituatur ablatum? *Silueramus itaque ſpe adducti quod tandem ſaperet, maluimuſque conuiciantis ſanguinem ſuffundere quam effundere: ferre iniuriam, quam referre: vt in extremà ſaltem vitæ periodo, & iam æternitatis Candidatus (vtinam fœlicis) ſalutem Palinodià redimeret, reuocaretque dolens, quod furens ſcripſerat, ſui oblitus & Dei. Verùm dum ſaluti eius allaborat læſa ſauciaque Religio: dum in eum detonat Pontificium fulmen, ſæuitque in Gallià congeminatus feralis ignis; abutitur ille patientià noſtrà, indulgentioreque ſilentio; ex Reo euadens contumax, ſpem omnem reſipiſcentiæ nobis præripuit, iteratà primæ tantum pagellæ libelli editione; quà & explicatiùs in Dominicanos deſæuit; quos ne lateant, ſub Cyriacorum nomine ſugillatos demonſtrat; & petulantiùs in Pontificem ipſum, cui recenter ab ipſo damnatum famoſum libellum, effronti ac ſacrilegà temeritate dicat; vt eiuſdem infandi operis protector agnoſcatur, cuius Iudex ac Vindex nuper extitit.*

Rebus itaque ex ſalubri remedio in peius

abeuntibus, ſolutæ tandem religioſi ſilentij leges, redditaque linguæ ac calamo opportuna libertas. Dum enim non depellere voce aut ſcripto impactum dedecus, ſcandalo vertitur; tenditurque latens animabus muſcipula: ſilenti ac infamato Ordini triplex iniecta eſt loquendi neceſſitas, quia Religioſus *eſt; quia* Apoſtolicus; *quia* Cyriacus: *hacque triplici ratione adactus, totus vocalis exurgit, vt irrogatam propulſet infamiam; & iniecta commentitia probra, quæ ſunt præſens animarum Offendiculum, Apologeticus vmbo depellat.* Vlteriùs enim tacere, diffidentiæ ſignum eſt, non modeſtiæ ratio. *Non contunditur ſed augetur hoc noſtro ſilentio peruicaica; quaſi non reſpondere ad obiecta, ſit criminis confeſſio tacita, & ſine voce, vocalis reatus admiſſio. Aptat itaque calamum, non laſſata patientia, ſed vrgens zelus; quem his non parùm ſtimulat Cyrillus*: Ne permittamus Inimicorum ignauiæ, vt quidquid ei placet eructet; ſilenterque id deuoremus: ſed repellamus ſemper pro virili alieni cordis commenta; & ſtrenuè tranſilientes laqueos ruſticæ nugacitatis, in nobis ipſis cantemus; Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. *Nobis, teſte Auguſtino, neceſſaria eſt vita noſtra, aliis noſtra*

Loquimur.

Hilar. l. contra Conſtant.

L. 6. Dial. de Trin.

fama: cuius enim vita deſpicitur, neceſſe eſt vt & doctrina contemnatur; *inquit Gregorius. Nemo cupit venenato latice epotari, nec iniquo viæ duci ſe vltrò committere. Status Regularis ſpeculum eſt, cuius intuitu, mores ſuos ad normam virtutis exigunt & excolunt viri Sæculares: ſatagendum itaque, ne pellucida huius ſpeculi facies, vel tantillo næuo aut notulà infuſcetur & ſordeat: At dum Infamiæ ſubiacet; maculatur, deturpatur, ſordeſcit: Depellenda itaque Infamia, vt primæuæ reſtituta puritati imago quæ in hoc ſpeculo emicat, intuentium non lædat oculos, tranſmiſſo ad animum loco virtutis, vitio; defectus corrigat, moreſque emendet, quæ velut exemplar populis obiicitur Religioſa profeſſio. Inducit itaque loquendi neceſſitatem, ipſamet purgandi Infamiam neceſſitas: Quam enim ex eo Cœtu vtilitatem decerpet Eccleſia Chriſtiana, qui ex coaceruatà calumniarum fæce ſibi impactà, vltimo relaxatur propudio, tanquam foret ſpurca immunditiarum congeries, §. 1. inexplebilis pecuniarum appetentia, infamiſque vorago §. 161. inſolens denique ambitionis Magiſterium §. 127. obmuteſcet ergò nec propellet illatum dedecus, factus ſcandalum populis, teterrimoque deformis aſpectu? Patietur elinguis hanc Religioſæ Profeſſioni impingi infamiam, vt quæ apud cæte-*

teros Cœnobitas dicitur & eſt commune probi-tatis fanum, hanc publicæ apud Dominicanos improbitatis ac exorbitantiæ proſtibulum vox maledica denuntiet? Eadem prorſus lege quà dicitur Ordo Religioſus, *tenetur irreligioſi ſilentij reus, ſi taceat, dum legitimâ defenſione compeſcetur & elinguabitur irreligioſus Impoſtor.*

Religioſæ Profeſſioni accedit Apoſtolicum *munus, altera retundendæ Calumniæ ratio, nouaque loquendi impoſita neceſſitas. Apoſtolico actus ſpiritu Diuus Dominicus ſub initium decimi tertij Sæculi, Ordinem inſtituit, promouendæ Peccatorum ſaluti, ex proximo fine indefeſſè incumbentem, cuius faſtigiatum decus adæquat ſolo, penitioraque ſubuertit fundamenta, Impoſturarum artifex, Pſeudo-Petri multiformis Impudentia, niſi opportuna & feſtina manus reuelet ſubdolæ Iniquitatis myſterium, ſubiiciatque Lectorum oculis infame & multiplex commentum ſcriptio publica. Apoſtolici ſi quidē muneris eſt diuinis humana nectere & cœleſtibus ſociare terrena, immiſſà aut fotâ fide ad Deum, charitate ad proximum, & obedientià ad Eccleſiam; quæ humana diuinis infibulat. Tria hæc Apoſtolicæ vocationis munia, mirabili nexu hucuſque intexuit Ordo Prædicatorius, & hoc nomine* Apoſtolicus, *vt ſequentia in decurſu Operis*

demonſtrabunt: ad quæ tamen præcluſum iam omnino iter, niſi iniectus tollatur obex, Calumniatore conuicto & caſtigato. Quomodo enim in Fide implantandâ aut promouendâ deſudabunt Cyriaci, quos velut publicos Fidej deſertores ſugillat & infando Hæreſis ſtigmate ſubnotat, integra Diatriba prima Valcluſinus? quomodo ad charitatem Chriſtianam pertrahent populos Iudæj, anhelantes ſpiritu inuidiæ, quæ Charitatis interfectrix eſt? Iudæos autem & charitatis Chriſtianæ publicos hoſtes, vocat Pſeudo-Petrus Dominicanos, & probare ſatagit ipſo octauæ Diatribæ aditu. Minùs ſuadebunt obedientiam ad Eccleſiam ſedemque Apoſtolicam cui rebelles, contumaces ac ſchiſmatici inducuntur ab Impoſtore tota Diatriba ſecunda. Silebit igitur nec amolietur multiplicem Calumniam, qua ab omnibus Inſtituti ſuj muneribus retunditur Ordo Apoſtolicus, *dum Schiſmaticis, Hæreticis, Iudæis accenſetur? Iudicet Lector æquus num in hac parte, ſilentium ſingulare ſit præuaricatio publica, deſertioniſque nefandæ crimen incondonandum Ordini Apoſtolico.*

Quid ſi adiicias Apoſtolico Cyriacum, *ſeu* Ordinem Domini, *qui conſequenter ex proprio munere & ſpeciali nomenclatione totus oculus, totus manus, totus vox, vocaliſque*

effectus, *debet inſurgere & ſuper impendi tuendis ac promouendis Iuribus* Domini, *putà* Regno, Domo, Perſonæ; *quæ omnia, miſerandus quem vexandum ſuſcipimus, Tenebrio, procacitate inauditâ conuellit? Quieſcet aut tacebit Miles*, *inſertaſque pectori continebit manus, dum ſuprema Regni Majeſtas inuaditur? Regnat pleno*, *Regio*, *ac Paterno iure Chriſtus Dominus in cordibus hominum*, *Gratiâ per ſe ipſam efficaci*, *auctâ non imminutâ tali imperio humana libertate*, *ad nutum eius vertibili*; cor enim Regis in manu Domini, quocumque voluerit, vertet illud. *At repetitis & congeminatis aſſultibus impetit hanc diuinæ dominationis arcem perſonatus hoſtis*; *eo animo*, *vt pediſſequa naturæ non domina*, *dum Gratia confingitur*; *ſeruiat creaturæ Creator*, *Deus homini. Loca in quibus hoc tentat non deſigno*, *quia exundant*: *Ob muteſcet ergo velut exanimis aut ſtupens*, Ordo Domini, *Regia* Domini *ſede conuulsâ*? *Dumque aperto & infenſo marte inuaditur Gratia per ſeipſam efficax*, *ſtabit elinguis Ordo Cyriacus*, *Familia Dominicana*, *Schola Thomiſtica*, *cui concredita eſt Gratiæ per ſe efficacis tutela*, *velut ſolemne depoſitum? Contra reos Majeſtatis & publicos hoſtes*, *omnis homo miles eſt*; *parique zelo dum Gratiæ diuina energia*, *& Majeſtas vel tantillùm*

vellicatur; ſonant, tinniunt, clamant omnia apud Dominicanos; nihil ſine voce. *De quorum propterea, ac de cuiuſlibet Cyriaci zelo in eiuſdem Gratiæ victricis tutelam inardeſcente, dicendum, quod de ineluctabili Catonis erga patriæ libertatem affectu, protulit Seneca.*
deConſtant. 2. *Cadentem Rempublicam quantum modo vna retrahi manu potuit, retinuit; donec vel abreptus vel abſtractus, comitem ſe diu ſuſtentatæ ruinæ dedit; ſimulque extincta ſunt quæ nefas erat diuidi. Neque enim Cato poſt libertatē vixit, nec libertas poſt Catonem Nuſquam carebit Gratia Dominicanis defenſoribus, nec protegente Gratiâ Dominicani, in eius tutelam pariter armati, vt cæleſte depoſitum ſibi concreditum cuſtodiant. Dictum enim ſibi putant ab Auguſtino & Aquinate; huius doctrinæ longâ & venerandâ traditione Patrum firmatæ Inclytis aſſertoribus*
Common. 27. *poſt Paulum, quod idem Apoſtolus Tito ſuo ex pari occaſione præſcripſit, iuxta intellectum Vincentij Lirinenſis, exitioſas Pelagianorum nouitates acriori calamo perſtringentis circa doctrinam Gratiæ.* Depoſitum cuſtodi, deuitans profanas vocum nouitates. O! exclamatio iſta & præſcientiæ eſt pariter & charitatis: præuidebat enim futuros, quos etiam prædolebat errores. Quid eſt depoſitum? Id eſt, quod

tibi creditum eſt, non quod à te inuentum : quod accepiſti, non quod excogitaſti : rem non ingenij, ſed doctrinæ: non vſurpationis priuatæ, ſed publicæ traditionis : rem ad te perductam, non à te prolatam : in qua non auctor debes eſſe, ſed cuſtos ; non inſtitutor, ſed ſectator; non ducens, ſed ſequens : eadem tamen quæ didiciſti doce, vt cum dicas nouè, non dicas noua.

Propugnant etiam cum ſceptro Domini, Domum *eius Cyriaci, putantque ſilere probroſum, vbi omnes eius Domeſtici profano & audaci calamo percelluntur : Mater, Sponſa, Seruus. Si quidem impius in Virginem Deiparam, in Sponſam eius Catharinam Senenſem, & in præcellentem eius famulum, Thomam Aquinatem, cuius fidelitatem & ſcripta Dominus è Cruce pendens approbauit, duplici Senatuſconſulto euincitur Libellus ille peſtifer, quem vrgemus. Debet ergo tonanti ore vociferari Ordo* Domini & Dominici, *in propudioſum Dominicæ Aulæ traductorem. Quantò autem acriùs, cum irreuerenti ac blaſphemo auſu ſæuit in ipſam Chriſti* Perſonam, *quam profanus Cham denudat ante oculos Samaritanæ Meretricis?* §. *83. Cajus Cæſar iratus Cælo quod obſtreperet Pantomimis, quos imitabatur ſtudioſiùs*

quam ſpectabat ; ad pugnam prouocauit Iouem, quaſi duello vindicaturus iniuriam. Coniuratis animos addidit vox impia; vltimæ enim patientiæ viſum eſt ferre eum, qui Iouem non ferret. Quid ergò, qui Chriſtum Dominum non tulit, læſitque inſolentiùs, abibit indemnis, obmuteſcente Ordine Domini, Cyriacisque elinguibus? Certè quem corrigere aut frænare non poteſt obiurgatio ſecreta, vt potè ignotum & laruatum; publica tentabit emendare ſub laruà furentem. Longiùs iam proceſſit vt poſſit lenioribus verbis ſanari effrons & inueterata Dicacitas. Itaque acrioribus ſtimulis aculeanda dictio; verbis admouendi ſtimuli, durioraque remedia deſiderat ſolida Acbebes nequitia.

ſtolida ac hebes

Duriuſculè. *Quidni?* Religioſus *eſt hic Ordo*, Apoſtolicus, Cyriacus: *triplex amaricandæ dictionis calcar iniectum. Quia* Religioſus *ſolemniora Patrum, qui Ecleſiæ Chriſti ſub habitu Monaſtico præluxere, religioſo famulatu documenta obſeruat: Illi autem, vbi nec ratione nec pudore emollitur ad moderationem, & tundente malleo comminuenda eſt petulantium Scriptorum effrænis dicacitas; ſæuiente calamo ſtylum aſperant; docentque contumaces inſulſæ mordacitatis boatus,*

Aug. de Mendac. c. 1. *hiſpido iaculis ac lanceolis ſermone compeſcendos. Timendum tamen ne* ipſa veritas

fortaſſe adhuc dicat : Nondum eſt ſatis. *Diuus Bernardus, Matris Deiparæ lacte & Filij ſanguine potatus, totuſque melliſluus, dum ad Epiſcopos & Cardinales ſcribens, nominatim contra Abailardum Monachum, irridentem ſimplicium fidem & ſacra profano ore temerantem; tanto ardore flammeſcit & exaſperatur; vt ſe fateatur emotum, optetque quos alloquitur, Eccleſiæ Principes, ſecum commoueri & excandeſcere publicâ Aduerſarij increpatione & exterminio ſolemni.* Legite ſi placet librum Petri Abailardi, *(dicamus & nos, librum Petri à Valleclauſa)* & animaduertite quantæ & ibi ſyluefcant ſegetes ſacrilegiorum atque errorum; & ſiquidem judicatis me iuſte moueri, moueminі & vos: ac ne fruſtrà moueamini, agite pro loco quem tenetis, pro dignitate quâ polletis, pro poteſtate quam accepiſtis, quomodo qui aſcendit ad cælos, deſcendat in inferos: & opera tenebrarum auſa prodire in lucem, arguantur à luce in lucem, vt qui publicè peccat, publicè arguatur. *Sic Bernardi ~~teneris duo~~ melliflua, tota incandeſcit; & ne putetur doctrinam Abailardi aſperiùs ſugillare, non perſonam; ſic apertè & acriter detonat ferè ſtatim. An aliquis ſuſpicabitur ſub Petri Abailardi nomine, & Pe-*

Ep. 188.

teneritudo

Ep. 193. *trum Valdusinum confixum ab eo?* Magiſter Abailardus ſine Regula Monachus, ſine ſollicitudine Prælatus, nec Ordinem tenet, nec tenetur ab Ordine. Homo ſibi diſſimilis eſt; intùs Herodes, foris Ioannes, totus ambiguus, nihil habens de Monacho præter nomen & habitum.

Hom. 11. in Ezech. *Rationem inſinuat Gregorius duriuſculæ huius commotionis, qua fugiendum docet à facie iræ Columbæ; dum verſans illud Pauli, materna Charitate erga peccatores affecti,* O inſenſati Galatæ quis vos faſcinauit? *inſimulantis Galatas inſaniæ & incantamenti, Apoſtolum hâc exceptione defendit.* Mentes duræ niſi aperta eſſent increpatione percuſſæ, nullo modo malum cognoſcerent, quod egiſſent. Nam ſæpe hi qui impudentes ſunt, tantum ſe peccaſſe non ſentiunt, quantum de peccatis quæ fecerunt, non increpantur. Minores ſuas culpas æſtimant, quia minor inuectio caſtigat; & quas vehementer obiurgari viderint, maiores eſſe deprehendunt. Vnde neceſſe eſt vt ſermo ſemper Prædicantis cum Auditorum debeat qualitate formari, ne aut verecundis aſpera, aut impudentibus lenia loquatur. *Exaſperandam itaque ex charitate locutionem docet Bernardus, vt confundatur iniquitas; Gregorius,*

vt emendetur ; Chriſoſtomus pariter Religioſus ſicut & illi, vt impacta calumnia ac falſitas detecta euaneſcat. Sic enim ait, explicans illud Pauli, Increpa eos durè vt ſani ſint in Fide: Sic loquitur, quòd iſtis ſint mores admodum impudentes, ſubdoli & profligati. Quando autem ad confingenda mendacia, doloſque nectendos, ſunt promptiſſimi, opus eſt acri ac obiurgatorio ſermone. Neque enim qui iſtiuſmodi moribus præditus eſt: ad imperium facilè reducitur. Increpa igitur ipſos durè; profundiorem, inquit, inflige plagam. 1. ad Tit. Hom. 3.
Cum itaque contuſione vt molleſcat, egeat oppilata Pſeudo-Petri iniquitas ; ſeueriori correptione vt reſipiſcat ; publicaque conuictione confutandæ ſint tot Impoſturæ, quarum reus tenetur; religioſum, & doctrinæ ac praxi Patrum tam Latinæ Eccleſiæ quam Græcæ, qui ſtatum Religioſum ſunt profeſſi etiam ſub Infulis, conſonum erit, acri parumper ac aſpero verborum contextu, Calumniatoris publici petulantiam infringere. Hoc Religioſum, *imò &* Apoſtolicum. *Paulus* Act. 23.
enim antonomaſticè dictus Apoſtolus, dum coram Senatu Iudæorum, obiurgatorio ſpiritu dixit principi Sacerdotum, (quem talem eſſe non ignorabat, cum impactam eius iuſſu excepit alapam) Percutiet te Deus paries

dealbate; ſedes iudicans me ſecundum legem, & contra legem iubes me percuti; *nec charitatem abiecit, quaſi tranſgrediens præceptum Domini, quo prohibetur malum pro malo reddere: nec defuit veritati, docens eos hoc ſcommate, iam deſtructum eſſe aduentu Chriſti parietem dealbatum; hoc eſt hypochriſim Sacerdotij Iudæorum*; *inquit* Ep. 5. *Auguſtinus, vir planè Apoſtolicus, quem audire iuuat, indicantem diſpenſationem hanc Apoſtolicam mellis cum felle, & cum charitate, in corde Pauli dominante, fulgurantis ex ore eius veritatis.* Sunt ergo iſta præcepta patientiæ, ſemper in cordis præparatione retinenda: ipſaque beneuolētia, ne reddatur malum pro malo, ſemper in voluntate complenda eſt. Agenda ſunt autem multa, etiam cum inuitis, benigna quadam aſperitate plectendis, quorum potius vtilitati conſulendum eſt, quam voluntati. *Poteſt ergo & debet Ordo Prædicatorum quia* Religioſus & Apoſtolicus; *ex Religioſa & Apoſtolicâ charitate, verbis duriuſculis compeſcere Petulantem, vt ſapiat & reſipiſcat, vtilitati eius conſulens, potiùs quam voluntati; quantò magis quia* Cyriacus *ſeu* Ordo Domini, *Domini ſequutus exemplum, cuius charitas conſummata & omnis charitatis chriſtianæ fons & exemplar:*

qui tamen dum perſtringeret malitiam Phariſæorum qui conabantur cum in verbo capere, nec deſiſtebant calumniis onerare vt perderent; brachiis charitatis internæ eos complectens, percutit acriter ſpiritu oris ſui, vocans eos, Tentatores, Hypocritas; Quid me tentatis Hypochritæ? ſepulchra dealbata; Cæcos, Duces Cæcorum, ſtultos & inſenſatos, genimina viperarum; *quamuis vana ſanctitatis opinione apud cæteros clareſcerent.* Circumſpiciens eos, *inquit Marcus*, cum irâ, contriſtatus ſuper cæcitate cordis eorum. *Quo motus exemplo, & charitatem imitatus Princeps Martyrum Spiritu Sancto plenus, ſic compellabat Iudæos inter exundantes charitatis æſtus.* Dura ceruice & incircumciſis cordibus & auribus, vos ſemper Spiritui Sancto reſtitiſtis; ſicut Patres veſtri, ita & vos. Quem prophetarum non ſunt perſecuti Patres veſtri? Et occiderunt eos qui prænunciabant de aduentu Iuſti, cuius vos nunc proditores & homicidæ fuiſtis. *En quam acriter eos pungit* Stephanus*!*

acriter *Math.* 22.

Cap. 3.

Act. 7.

Regium hoc ingreſſus iter, debitæ moderationis limites nuſquam tranſilio. Pungo quem vellem compungi; & iuxta Bernardum, non eſt detractio *ſed* attractio, *vellicantis calami plaga ſanans. Non hoſtis aut Iudicis,*

quos affectus mouet aut ira commouet, animum induo, ſed vultum legis, quæ immota, cuncta ſalubriter emouet, cuinè nullus in aliorum pœnâ ſenſus quam iuſtitiæ. Loquar, non iratum, ſed condolens, eoque vultu ac animo Nugacem percellam, quo ſerpentes ac venenata animalia ridens percutio, excuſſurus venenu. At quem benignâ aſperitate perſtringo? Attende, Lector, in quem ſcopum tota telorum vis collimet. Scio quis ſub laruâ latitet, quiſue ſub ementito nomine tot conuiciorum ac calumniarum machinamenta in nos rotet & contorqueat; nec tamen vel tantillum attingo: laruam tantum excutio, vmbram, Idolum, Idolum autem nihil eſt, iuxta Paulum; nec Petrus à Valle-clauſâ aliud, quam vmbra volans, ſpectrum fluitans, homo chimericus, illuſio publica. Poteſtnè ergò timeri, ne ex acriori verbulo, lædatur aut occumbat phantaſma inane, inuraturque nomini vacuo inſanabile vulnus? Timetur forſan ne ex verbulo vix pungente imminuta Pſeudo-Petri fama infuſcetur & palleſcat? Delicata exceptio: Num falſæ rei vera competit fama?

Sed demus vnà cum larua laruatum communi abſumi naufragio, eademque ſugillantis dictiunculæ aſperitate percelli: Quid tum? An famâ excidet, cui nulla competit fama, ex duplici Senatuſcouſulto, carnificum manu laceratus, vltricibuſque addictus flammis? Cer-

tè perpetua ſequetur eum infamia: notatus eſt, biſque damnatus, velut diffamator perpetuus & impius erga Deiparam & Sanctos, vt Senatuſconſulta inferiùs tranſcripta demonſtrat. Quem ergò infamem lex conſtituit, ſpoliatque in perpetuum omni honore, quid timetur ne inhonorus habeatur ex correptione chriſtianâ & ſalubri? Nequit ergo lædi fama quæ nulla eſt; nec inferri iniuria honori furis affixi patibulo ex decreto Iudicis, qui reum æternæ ſubiecit infamiæ. Denique ſi corrigendus non ſperatur qui perbibit maledicentiam & ita viſceribus immiſcuit, vt niſi cum ipſis videatur exitura; compeſcamus ſaltem aliquo modo minacem, cui ſatis magna ad conuiciandum eſt cauſa, conuiciari. Comminatur enim Indicem vniuerſalem ad ſingulos Cyriacorum Scriptorum libros, ſeu generalem Satyram: quem propterea, ex diuturniori ſilentio, elinguique patientiâ efferatum, iuuat iniecto aliquali fræno compeſcere, leuique duriuſculæ dictionis punctione admonere, aſperiora parari ſibi niſi ſapiat & quieſcat. At quæ ſpes reſipiſcentiæ in octogenario Impoſtore? Sed quid tum? Quibuſdam licèt iſta non proſunt, *inquit Auguſtinus*; numquid ideo negligenda eſt medicina, quia nonnullorum inſanabilis eſt peſtilentia? E p. 47.

Pungit itaque ille & ego pungo, ſed quam diſpari conatu & mente! Ille vt mactet immeritos; ego vt ſanem phræneticum, dilectione,

Aug. ibid. *non odio flagellandum.* Planè ſemper & mali perſecuti ſunt bonos; & boni perſecuti ſunt malos; illi nocendo per iniuſtitiam, illi conſulendo per diſciplinam; illi immaniter, illi temperanter; illi ſeruientes cupiditati, illi charitati. Nam qui trucidat, non conſiderat quemadmodum laniet, qui autem curat, conſiderat quemadmodum ſanet. Ille enim perſequitur ſanitatem, ille putredinem. Occiderunt impij Prophetas, occiderunt & impios Prophetæ. Flagellauerunt Impii Chriſtum, Iudæos flagellauit & Chriſtus. Traditi ſunt Apoſtoli ab hominibus poteſtati humanæ, tradiderunt & Apoſtoli homines Satanæ. In his omnibus quid attenditur, niſi quis eorum pro Veritate, quis pro iniquitate, quis nocendi cauſâ, quis emendandi? *Manet itaque ex ore Auguſtini præiudicata libertas vtendi flagello, verbiſque amariuſculis pro veritate, & ex charitate aut beneuolentiâ: Nuſquam autem licere pro falſitate & ex liuore aut malitiâ. His diſcrepantiæ interuallis nos etiam ſeiungimur: aſperamus ambo ſtylum; at ille pro falſitate; nullus enim ferè occurret Paragraphus, qui Mendacij, aut Impoſturæ reum non euincat: Ego pro Veritate depugno, quippe qui falſitatibus eius detegendis & configendis vnicè allaboro: Certat ille ex veſano liuore & inueteratâ malitiâ; gratis, nullaque la-*

ceſſitus Iniuriâ, indiſcriminatim ſæuit in viuentes & mortuos, in omnes Ordinis Dominicani Profeſſores, effunditque conceptum virus in omnia Catholicæ Eccleſiæ membra; nec parcit Sanctis, Deiparæ, ipſi Chriſto Domino, vt ſole clariùs demonſtrabo. Ego inſilio ex charitate, ſanaturus ægrum, emendaturus delinquentem. Ille denique inſtar lanij ferit vt mactet. Verba eius tenemus §. 122. ſic exclamantis. O Mucro, Mucro, vſquequò quieſces? Euagina te ad occidendum, lima te vt fulgeas: gladius tam multos perlongos ſyllabos quotannis confodiens, hæret in vagina? *Ferio ego vt curem, Medicum imitatus. Quod non diffitebitur Lector, ſi attendat quæ ſint mutuæ inſtrumenta pugnæ. Scribit ille haſtâ, ego ſtylo; & horrendam verſatilis gladij aciem, leui paleâ impetiturus, depello. Quæ ille probra & conuicia in vniuerſos & ſingulos Dominicanæ Familiæ Profeſſores contorquet? Conſule* §. *122 vbi hæc fuè expenduntur. Vocat nos, vt cætera taceam*: Canes, Moloſſos, Cancros, Equos, Porcos, Harpiyas, Sepias, Colaos, Ranas, Cuculos, Piſces, Aſinos, Vitulos, Crabrones, ipſam Beſtialitatem: *Quid vltra?* Ruſticos, Ignaros, Ineptientes, Deliros, Fatuos, Rabioſos, Malignos, Lanios, Schiſmaticos, Hæreticos, Iudæos. *Ex innumeris hæc paucula colligo, recuſatque calamus fœdiora exarare; cum*

etiam eiuſdem Inſtituti Cœlites, vocet Chimeras ſanctitatis. *Hæc ille in nos tela vibrat, quæ deprompſit ex vltimæ iniquitatis pharetrà. Quid ego repono? quid aſperi aut mordacis in ipſum retorqueo? Nihil planè vt inflicta vulnera vlciſcar, ſed paucula & leuicula, vt emendem. Dicam verius; res tantum ex propriis nominibus deſigno. Cum mentitur,* Mendacem *dico:* Nebulonem, *dum nugatur quod illi familiariſſimum: dum Tricatur,* Triconem: *quando imponit, quod illi ſat frequens,* Impoſtor *denunciatur: quando de rebus ſacris ac diuinis profanè ludit, quaſi ageret in theatro;* Profanum *indigito*, Mimum, Ludionem: Obſcœnum, *dum ſpurciſſima calamo laſciuiente enarrat. Leuibus his aculeis magis excito quam lædo; mollioribuſque in hac parte, vti verbis, veritatis foret ac innocẽtiæ deſertio publica, traductio profana: ſicut Matrona nobilis & pudica dum in publicum procedit, & contumelioſo cuiuſdam ore, adulterij rea denunciatur; ſuſpicionem admiſſi ſceleris ingerit, ſi taceat, ſi diſſimulet, ſi molliter & frigidè calumniam depellat: nec modeſtiæ aut moderationis tranſgreditur leges, ſi exerto ore & exaſperatâ voce in Calumniatorem, eum* Mendacem, Nebulonem, Impudentem, Effrontem, Impoſtorem, Scurram, *& quid aſperiùs indigitauerit.*

Apologiam texo, religioſo igne calentem; cui

diſplicet: quodcumque friget; ſordeſcunt quæ languent, propriumque opus molleſcens calamus dehoneſtat. Delicatum & ſingulare ſcribendi genus; vbi incaleſcente ad iniectum infamiæ dedecus ſpiritu, inculpatâ tutelâ ebulliunt Apologiſtarum corda, ora flammeſcunt, dentes ſtrident, lingua fulgurat, ferit calamus & tota Scriptionis compago, componitur in ſcenam eloquentiæ militaris, ingruentibus vndequaque telis ac enſibus formidandæ. Religioſo hoc arſere igne quotquot pro Veritate & Fide Chriſtianâ Apologeticos ſcripſere Tractatus. Celeberrimus omnium & quaſi naſcenti Eccleſiæ coæuus Tertullianus pro eâ doctiſſimo & ad miraculum elaborato Apologetico perorans, Gentiles licet rerum dominos, ridet & pungit; quæ ipſi in dehoneſtamentũ Religionis Chriſtianæ probra & deliria commenti fuerant, ſubtili ac potenti calamo in ipſos retorquet. Noua iam Dei noſtri in iſta proximâ ciuitate editio publicata eſt, ex quo quidam fruſtrandis beſtiis mercenarius noxius picturam propoſuit cum eiuſmodi inſcriptione, *Deus Chriſtianorum Onochoetes.* Is erat auribus aſininis, *altero pede vngulatus, librum geſtans, & togatus. Riſimus &* nomen, & formam. *(Attende quomodo idem reponat & aſperiora.)* Sed illi) *Gentiles ſcilicet contra quos agit*) debebant ſtatim adorare biforme Numen; quia & canino & leonino capite commi- Cap. 16.

ſtos,& de capro & de ariete cornutos, & à lumbis hircos, & à cruribus ſerpentes & planta vel tergò alites Deos receperunt. Hæc ex abundanti, ne quid rumoris inrepercuſſum quaſi de conſcientiâ præteriſſemus. *Sequutus Tertulianum Hieronymus ſæculo quarto ita exacerbatur in Rufinum, vt Scholiaſtes eius Marianus, in argamento præfixo primæ Apologiæ ſcripſerit:* Vir ſanctus ex amicorum literis certior de his factus, excitato nunc ſtomacho, ac flauâ prodeunte bile, omnes eius calumnias refellit, & modò clypeo, modò gladio vtens, ita ſemet tuetur, vt Aduerſarium, nihil illi parcens, omnino proſternat ac necet. *Quem autem vocat Rufinum, Hyeronimus Apologiam texens?* Impudentem, Furentem, Imperitum, Ignarum, Canem *& ſimilia: Concludit itaque Auguſtinus. Ad obedientiam cor durum, dictionis granditate flectendum. Cuius rationem præmiſerat.* Cum per artem Rhetoricam & vera ſuadeantur & falſa, quis audeat dicere, aduerſus mendacium in defenſoribus ſuis inermem debere conſiſtere Veritatem? Illi fallacibus argumẽtis veritatem oppugnent, aſſerant falſitatem (*vt Pſeudo-Petrus*: Iſti (*Cyriaci*) nec vera defendere nec falſa valeant refutare? Illi animos audientium in errorem mouentes impellenteſque, dicendo terreant, contriſtẽt,

L. 4. de Doct. Chriſt. c. 26. ibid. c. 2.

exhilarent, exhortentur ardenter; iſti pro Veritate, *lenti frigidique* dormitent? Quis ita deſipiat, vt hoc ſapiat? O eloquẽtia tantò terribilior quantò purior, & quantò ſolidior, tantò vehementior! O verè ſecuris concidens petras! *Quidni & Petrum? Denique ſanctus Pacianus Epiſcopus Barcinonenſis, antiquiſſimus & laudatiſſimus Scriptor, nouum etiam verbum finxit, quo magis vim ac ſeueritatem quæ in tales garrulos & audaces adhibenda eſt;* Quos oportet indentari, *inquit, hoc eſt mordicùs inuadi & tanquam dentibus confici. Non ergo mirũ ſi & nos pro Veritate aliquantulũ aſperauimus dictionem, confutandæ & contundẽdæ falſitati opportunam, imo neceſſariam. Totus felleus eſt coruus, & ideò ex impacto felli igne, totus niger, voce ominoſâ, roſtroque carniuoro:* Columba ſine felle ſæuit, *inquiebat Auguſtinus de Stephano Iudæos obiurgante: & ideò ex placido ſanguine tota albicans placidè etiam & leniter ferit. Pſeudo-Petrum, non male exprimit coruus crocitantem, roſtro vellicantem, vngueque cruento lacerantem Ordinem Prædicatorum; cuique nigredinem corui non negabit, qui attenderit Vallisclauſæ, vmbroſæ, tenebroſæ, vbi cuncta nigreſcunt, colonum. Emicat è contrà in habitu Dominicano albedo columbæ, Candorque innocuus in doctrinâ & vitæ inſtituto; vnde meritò hæc columba ſine felle ſæuit, fellea corui probra te-*

c. 14.

Ep. 2. ad ſymp.

pellens: Quò tandem ſit vt dum lacera & innumeris confoſſa telis iacet languens & lugens columba Cyriaca, illæſus & indemnis abeat Coruus Valcluſinus, iuxta Horatii effatum ab ipſomet Pſeudo-Petro præfixum ſecundæ editioni primæ paginæ libelli ſui famoſi, & à nobis elucidatum ex ſuppoſito verſu, myſterium reſerãte. Hexametro Pẽtametrum ſubiicimus.

Petrus ait Dans veniam coruis; vexat Cenſura columbas.

Cyriacus reſpondet. Alba Columba mihi, ſtat tibi Coruus ater.

Pacian. ibid. Iraſci me ais; abſit. Stimulari vt apem, credo, quæ interdum aculeo mella defendit. NOS Tecum quaſi Columbæ, ore potiùs quàm dente confligimus. *Verùm quid vltrà inquirimus, aduerſario nobis ſuffragante? Subſcribit enim huic Apologetico, pro amico ſuo Petro à Valle-clauſa Theophilus Raynaudus Tractatu de virtutibus & vitiis l. 3. Sect. 3. c. 6, Num. 222. oſtendens pœnam famoſi libelli fuiſſe capitalem, ideſt extremi ſupplicii, concluditque his verbis.* Eſſet ſanè optandum, vt inter Chriſtianos ſine conniuentia vigerent leges, tam noxio facinori, quod apud pleroſque flocci fieri videtur, comprimendo: vt quam aliis immerentibus infamiæ notam inſpergere ſatagunt, eandem ſubirent ipſi, ac etiam grauiore mulctâ luerent. *Volenti non fit iniuria.*

CENSVRA PONTIFICIA.

Damnati, prohibiti, ac reſpectiuè ſuſpenſi fuerunt infra ſcripti omnes libri, vbicumque, & quocunque Idiomate impreſſi, imprimendi-vè. Nemo cuiuſcumque gradus & conditionis, eos inpoſterum, vel imprimat, vel legat, vel retineat. Si quis interim habuerit, Inquiſitoribus, ſeu locorum Ordinariis à præſentis Decreti notitiâ, tradat, ſub pœnis in Indice librorum prohibitorum contentis. Romæ in Palatio Apoſtolico Quirinali; die 20. Iunij 1662.

Libri ſunt,

Libellus quidam inſcriptus, *de Immunitate Authorum Cyriacorum a Cenſura, Diatriba Petri a Valle-clauſa*, S. D. T.

Libellus cui titulus, *Triginta &c.*

ARREST DV PARLEMENT de Prouence ſeant à Aix.

SVR ce que le Procureur General du Roy a repreſenté, qu'il eſt venu à ſa notice, qu'vn certain liure intitulé, de Immunitate Authorum Cyriacorum à Cenſura, Petri á Valleclauſâ, *lequel contient vne perpetuelle diffamation contre l'Ordre des FF. Preſcheurs, ſuiuie de diuerſes propoſitions impies & ſacrileges, contre l'honneur de la Saincte Vierge, de Sainct Thomas d'Aquin, & de Saincte Catherine de Sienne, qui choquent la pieté & la veneration qui eſt deuë à leur ſainctetè, & dautant que ledit Liure ſe trouué imprimé ſans permiſſion du Roy, & ſans approbation des Docteurs, & qu'il importe d'empeſcher l'impreſſion & debit dudit Liure, comme de toute autre ſorte, ſans expreſſe permiſſion de ſa Majeſte & de la Cour, cette authorité Royale ne pouuant eſtre abrogée par quelque perſonne que ce ſoit; & que d'ailleurs c'eſt vn Liure tres-pernicieux & qui peut laiſſer de mauuaiſes impreſſions dans l'eſprit du public, contenant vne diffamation & inuectiue calomnieuſe pleine de mediſance contre l'Ordre des Freres Preſ-*

heurs dont le public, ne peut eſtre que notablement ſcandaliſé, a requis que ledit Liure intitulé de Immunitatate Authorum Cyriacorum à cenſura, *ſoit condemné comme impie, remply de propoſitions diffamatoires, & calomnieuſes, & comme tel, qu'il ſoit brûlé, informé du nom de l'Autheur, & que deſenſes ſoient faites à tous Imprimeurs de le mettre ſous la preſſe, vendre ni debiter, ſans la permiſſion du Roy & de la Chambre.* Dit a eſté, *que la Chambre ayant égard à ladite Requiſition, a ordonné & ordonne que le Liure intitulé,* De Immunitate Authorum Cyriacorum à Cenſura, *ſera brûlé par l'Executeur de la haute Iuſtice ſur le Pilory de la place des Preſcheurs.* Ordonne *neantmoins qu'il ſera informé en ce qui ſera à faire en cette Ville d'Aix, par Monſieur de Sigmer, Conſeiller du Roy, & hors d'icelle par le premier Iuge Royal, ou Huiſſier de la Cour, pour l'Information priſe, communiquée au Procureur General du Roy, & rapportée, y eſtre ordonné ce que de raiſon. A fait & fait inhibitions & deſenſes à tous Imprimeurs de cette Prouince, de mettre ledit Liure ſous la preſſe, & tant à eux qu'aux Libraires, de vendre ny debiter ledit Liure, directement ny indirectement, ſans la permiſſion du Roy & de la Chambre; à peine de dix mille liures, & punition exemplaire: Et afin que nul n'en pretende cauſe d'ignorance, ſera l'Extraict du preſent Arreſt mis & placardé par tous les lieux & Carrefours de cette Ville d'Aix, pour eſtre gardé & obſerué ſelon ſa forme & teneur. Fait en la Chambre ordonnée durant les Vacations du Parlement de Prouence, ſeant à Aix, & publié à la Barre le 17. Iuillet 1662.*

Collationné.

Signé FRANC

Quod Senatus-conſultum ſic Latinè reddi poteſt.

SENATVS-CONSVLTVM Aquenſe.

CVm expoſuerit Regiarum Cauſarum Cognitor Generalis, innotuiſſe ſibi quemdam librum cui titulus, *De Immunitate Authorum Cyriacorum a Cenſura, Petri à Valle-clauſa*, refertum perpetuâ infamatione aduerſus Ordinem Fratrum Prædicatorum, nec non multiplici propo-

ſitione impia ac ſacrilega contra honorem Beatæ Virginis, Sancti Thomæ Aquinatis & Sanctæ Catharinæ Senenſis, quibus pietas debitaque eorum Sanctitati veneratio impetitur; cumque præfatus Liber editus fuerit abſque permiſſione Regis & approbatione Doctorum; interſitque impedire editionem ac diſtractionem prædicti Libri & ſimilium, ſine expreſſa Regis ac Senatus licentia; à nemine enim abrogari poteſt Regia hæc Authoritas; ſitque aliunde pernicioſiſſima talis Lucubratio, nata ingenerare apud populum, peſſimam ac ſcandaloſam de ordine Fratrum Prædicatorum æſtimationem: petiit prædictum Librum inſcriptum, *De Immunitate Authorum Cyriacorum a Cenſura*, damnari tanquam impium, infartum propoſitionibus infamantibus ac calumniantibus; hocque titulo comburendum: de nomine Authoris inquirendum, prohibendumque Typographis, ne illum prælo ſubiiciant, vendant aut diſtrahant abſque Regis & Senatus permiſſione: DECRETVM eſt à Camera tali petitioni annuente, librum cui titulus, *De Immunitate Authorum Cyriacorum à Cenſura*, igni tradendum à Carnifice ſupra patibularium, quod extat in foro dicto Fratrum Prædicatorum. Iubet nihilominus Informationem hâc in vrbe Aquenſi inſtituendam à Domino de Signier Senatore Regio; & extrà ab aliquo Regio Magiſtratu, aut Apparitore Curiæ; vt Informatione peractâ, Procuratori Regis traditâ & ad nos delatâ, quod æquum viſum fuerit decernatur. Prohibuit & prohibet omnibus Typographis huius Prouinciæ, ne præfatum Librum prælo ſubiiciant, nec etiam ipſi aut Librarij quicumque vendant aut diſtrahant, directè vel indirectè, ſine permiſſione Regis ac Senatus, ſub pœna decem millium librarum incurrendâ, ac caſtigatione publicâ. Ne autem quis ignorationem huius Senatus-conſulti obtendat, eius exemplar proſtabit per omnes vicos & plateas huius vrbis *Aquenſis*, vt plenè & exactè executioni mandetur. Sic *decretum* fuit in Camera Vacationum Senatus Prouinciæ, apud Aquas-Sextias ſedentis: Significatumque publicè *17. Iulij 1662.*

Collatum.

Subſcripſit FRANC.

ARREST DV PARLEMENT de Toloſe.

SVR la Requeſte preſentée par le Procureur General du Roy, contenant qu'il eſt venu à ſa notice qu'il a eſté imprimé vn Liure intitulé, De Immunitate Authorum Cyriacorum à Cenſura, *qui n'eſt qu'vne continuelle diffamation & calomnie contre l'Ordre des Freres Preſcheurs, contenant plusieurs propoſitions impies & ſcandaleuſes contre l'honneur de la Sainte Vierge, de Saint Thomas d'Aquin & de Saincte Catherine de Sienne, qui ne tendent qu'à détruire la veneration qui eſt deuë a leur memoire, & contre le reſpect deu aux ſaints Peres. Et parce que ledit liure ſe trouue imprimé ſans permiſſion du Roy, ny de ceux qui ont droit de cenſurer tels libelles; & que contre les termes de l'Ordonnance, le nom de l'Autheur ſe trouue ſupprimé ou du moins ſuppoſé, ſans faire mention de celuy de l'Imprimeur, & que la Lecture dudit Liure ne peut eſtre que tres-pernicieuſe & iniurieuſe à la reputation de l'Ordre deſdits Freres Preſcheurs; requeroit qu'il pluſt à la Cour ordonner que ledit Liure, comme impie, ſcandaleux, calomnieux, & plein de diuerſes propoſitions diffamatoires, ſera brûlé par les mains de l'Executeur de la haute Iuſtice, & informé contre l'Autheur d'iceluy & Imprimeur, qui l'a mis ſous la preſſe; auec inhibitions de le vendre ni debiter, & veuë ladite Requeſte & Liure intitulé,* De Immunitate Authorum Cyriacorum à Cenſura. La Cour *faiſant droict ſur ladite Requeſte & requiſitions dudit Procureur General,* a ordonné & ordonne *que ledit Liure,* De Immunitate Authorum Cyriacorum à Cenſura, *ſera brûlé par l'Executeur de la haute Iuſtice en la place du Salin. Et a fait & fait inhibitions & defences à tous Imprimeurs du reſſort de la Cour, de mettre ſous la preſſe ledit Liure, ny autres, ſans inſerer le nom de l'Autheur & le leur; & ſans permiſſion de ceux qui ont droict de la donner: & à toute ſorte de perſonnes de le vendre ny debiter, à peine de punition corporelle; neantmoins qu'il ſera enquis tant contre l'Autheur qu'Imprimeur & expoſiteurs dudit Liure par Maiſtre Victor de Frezali Conſeiller en icelle, qu'elle a commis & commet audit effect: & que le preſent Arreſt ſera leu & publié à la de-*

ligence dudit Procureur General; tant deuant l'Egliſe des FF. Preſcheurs de la preſente ville, que dans les places publiques d'icelle: & copies d'iceluy affichées aux principaux Carrefours de la preſente ville. Prononcé à Toloſe en Parlement le premier Septembre 1662.

Signé DEBESIS.

Monſieur DE FREZALS, Rapporteur.

Quod Senatus-conſultum ſic Latiné reddi poteſt.

SENATVS-CONSVLTVM Toloſanum.

OBtulit libellum ſupplicem Regiarum Cauſarum Generalis Cognitor, quo denunciauit compertum ſibi, editum fuiſſe Librum inſcriptum, *De Immunitate Cyriacorum a Cenſura*, oppletum continua diffamatione & calumnia aduerſus Ordinem Fratrum Prædicatorum, ſordentem pleriſque propoſitionibus impiis ac ſcandaloſis contra honorem Sanctæ Virginis, Sancti Thomæ Aquinatis, Sanctæ Catharinæ Senenſis, eoque animo compactis vt peſſundaretur debita eorum memoriæ veneratio, cultuſque Sanctis Patribus exhibendus deperiret. Cumque præfatus Liber abſque licentia Regis eorumque ad quos de iure ſpectat illius ſimiliumque libellorum Cenſura, in publicam lucem prodierit, ſuppreſſo aut ementito nomine Authoris, ſicut & Typographi, quod conſtitutiones Regiæ vetant, nec poſſit niſi cum ſummâ iniuriâ ac dedecore prædicti Ordinis Fratrum Prædicatorum, legentium oculis ſubiici Liber præfatus, petebat, decreto Senatus prædictum Librum igni tradendum manu Carnificis, tamquam impium, ſcandaloſum, contumelioſum ac fartum variis propoſitionibus infamantibus, inſtituendamque Actionem contra Authorem eius, ac Typographum qui prælo ſubiecit: prohibitâ interim venditione ac diſtractione eiuſdem. Conſiderato itaque Libello ſupplice, ſimulque libro, cui titulus, *De immunitate Authorum Cyriacorum à Cenſura*, Senatus expoſtulationi Procuratoris Generalis annuens,

decreuit & decernit præfatum Librum, *De immunitate Authorum Cyriacorum à Cenſura*, flammis abſumendum operâ Carnificis in foro dicto *du Salin* : Prohibuitque & prohibet omnibus Typographis ſibi ſubiectis, ne hunc vel alios libros prælo ſupponant, non expreſſo proprio nomine, ſimul & Authoris, nec niſi cum licentia eorum ad quos ſpectat. Omnes qui vendiderint aut diſtraxerint, pœna corporali emendandos declarat. Inquiret tamen D. Victor de Frezals, Senator Regius, à Senatu ad hoc deputatus, contra vendentes, aut diſtrahentes prædictum librum. Curâ autem Procuratoris Generalis prælegetur & publicè denunciabitur præſens Senatuſconſultum ante Eccleſiam Fratrum Prædicatorum huius Vrbis, & in maioribus vicis publicis, eiuſque exemplar affixum proſtabit in præcipuis eius Vrbis plateis. Pronunciatum Tolozæ in Senatu 1. Septembris 1662.

Subſcripſit, Debeſis.

D. Victor de Frezals.

APPROBATIO DOCTORVM Pariſienſium.

NOs infra-ſcripti Scholæ Pariſienſis Doctores Theologi accuratè perlegimus Librum Apologeticum, cui titulus eſt, *Candor Lilij*, authore R. P. IOANNE CASALAS Ordinis FF. Prædicatorum, in quo nihil ſiue fidei, ſiue bonis moribus aduerſum deprehendimus. Imò cum lecto à nobis famoſo Petri à Valle-clauſa libello viderimus non quidem ſine dolore, ſacrum Ordinem in Eccleſia commendatiſſimum tot impiis læſum ſarcaſmis, & Doctrinam S. Thomæ Scholæ noſtræ ſpeculi clariſſimi, hiſce ſcommatis non ſine ſcandalo depretiatam, non potuimus non probare maximè filij pro Matre, diſcipuli pro Magiſtro zelum & æquiſſimam commotionem, vt ſapienter & cum moderamine intolerabiles laruati huiuſce Tenebrionis aduerſus Religioſam Dominicanorum ſocietatem, iniurias repelleret. Datum Pariſiis die quinta menſis Auguſti anni Domini milleſ. ſexcenteſ ſexag. tertij.

DVFRESNE DE MINCE'. L. MARAIS.

N. PETIT-PIED.

FACVLTAS REVERENDISSIMI Patris Generalis.

NOs Frater Ioannes Baptiſta de Marinis ſacræ Theologiæ Profeſſor, Ordiniſque Prædicatorum humilis Magiſter Generalis & ſeruus, harum ſerie noſtrique authoritate Officij, Tibi R. P. F IOANNI CASALAS, prouinciæ noſtræ Tholoſanæ, licentiam facimus publicis Typis vulgandi opus à Te compoſitum, cui titulum feciſti *Candor Lilij*, modo prius à Reuerendo admodum Patre Prouinciali Tholoſano & duobus in Theologia Magiſtris aut Profeſſoribus ab eo deſignandis fuerit viſum & approbatum, aliis cæteroqui de Iure ſeruandis ſeruatis. Datum prope Romam in arce Pali die 15. Ianuarij 1663.

F. IOANNES BAPTISTA de Marinis Magiſter Ordinis.

F. IACOBVS BARELIVS
Magiſter & Socius.

FACVLTAS REVERENDI admodum Patris Prouincialis.

FRater Ioannes Lepul Prior Prouincialis Prouinciæ Toloſanæ Ordinis FF Prædicatorum, Committimus RR. PP. Bernardo Lapaliſſe & Vincentio Baron ſacræ Theologiæ Profeſſoribus, vt Librum cui Titulus eſt, *Candor Lilij*, à R. P. IOANNE CASALAS compoſitum recognoſcant, vt ab eis recognitus & approbatus, prælo mandetur. Datum Pariſiis die 2. Aprilis an 1663.

F. IOANNES LEPVL
Prior Prouincialis qui ſupra.

Approbatio Doctorum Ordinis.

NOs ſubſcripti ſacræ Theologiæ Profeſſores ex præſcripto R admodum Patris Prouincialis Lepul, legimus Apologeticum Opus cui Titulus eſt, *Candor Lilij*, à R. P. IOANNE CASALAS Ordinis noſtri Theologo cōpoſitum aduerſus Diatribas Petri à Valle-clauſa authoritate Eccleſiaſticâ Romæ prædamnatas, ſolemnique ſupremorum Aquenſis & Toloſani ſenatuum edicto, Carnificis manu vltricibus flammis publicè combuſtas. In quo omnia ſcripta ſanæ Doctrinæ & bonis moribus cohærentia intra limites inculpatæ defenſionis continentur. Quapropter prælo dignum cenſuimus. Datum Pariſiis 12. Ianuarij anni 1664.

F. BERNARDVS LAPALISSE,
Prior Nouitiatus Generalis
Pariſienſis FF. Prædicatorum
& S. Theologiæ Profeſſor.

F. Vincentius Baronius.

CANDOR LILII,
SEV
ORDO PRÆDICATORVM,
à liuore, calumnijs, contumelijs
PETRI A VALLE-CLAVSA.
VINDICATVS.
In eius decem Diatribas, totidem Reflexiones.

PRIMA REFLEXIO.

An Cyriaci, ſeu Dominicani, ſint immunes à cenſura hæreſis.

ANTEQVAM ventilandis ſeueriori examine Diatribis Petri à Valle-Clauſa incumbamus, placet Præfatiunculam eius ad Lectorem, ſeriò excutere; in qua literaturæ, ſtyli, fidei, modeſtiæ, pudoris, pietatiſue nullum plane extat veſtigium: vt inde emicet, quid ex decurſu operis ſit ſperandum, cuius initium & caput, conferta mendaciorum, obſcœnitatum ac conuiciorum congeries opplet & conſpurcat. Scripturus enim (vt ibidem fatetur) in ſolam Cyriacorum immunitatem à cenſurâ librorum, ſaltat ſtatim extra chorum laſciuiens animus; diuerſumque omnino immunitatis genus, nihil ad propoſitam rem conferens, *in ipſo* libelli veſtibulo, dente ferino proſcindit: vt am-

pliorem nugandi, mordendi ac in ſacra quæuis inuolandi, ſegetem inueniat aut confingat procax Ludio, Impoſtor publicus & obſcœnus Fabellator, quem audire iuuat.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Cyriacis tria imponit calumnioſè : inuaſionem functionis Curionum ; introductionem mulierum in interiora Cœnobij ; & publicam ſub larua ſaltationem.

§. I. Præfatio. *Sacra Immunitas, argumentum eſt iam olim ac etiam nuper & hodie, multorum calamis ſtudiiſque ſubactum, ſiue loca ſpectes ſiue perſonas, ſiue quiduis Deo addictum. Iacobus Vuimphelingus, & Anaſtaſius Germonius, vniuersè de ſacra Immunitate egerunt. Hieronymus Albanus ſolam Eccleſiarum immunitatem diſcutiendam ſuſcepit. Suares agens cum Iacobo Britanno, perſonarum potiùs immunitati inſiſtit. Diana ſemel, iterùm, tertiò, de Immunitate diſputauit, nec abſterruit ab eiuſdem molæ verſatione, Symmyſtem Thomam Delbenium. Verſant atque reuerſant, coquunt, ac nouis ſubinde ad ſingulos Tomos repetitionibus recoquunt, immunitatis diſcuſſionem, omnino multi. Vnam ſacram immunitatem omnibus hactenus Scriptoribus intactam, ſuſcipio hâc lucubratione excutiendam; nempe immunitatem Cyriacorum. Quamquam neque eam in toto ſuo ambitu diffundam conſiderationem : ſunt enim multæ, ac magnæ Cyriacorum immunitates ab hoc inſtituto alienæ; V. G. ante hoc trimeſtre in vrbe populoſa, grauis inter Cyriacos Magiſter, cum furtiui amplexus viduæ iuniori vterum tumefeciſſent, & Parochi aſſiſtentia conficiendo legitimè matrimonio, ſuſpecta partibus eſſet, per immunitatem Magiſtris Cyriacis conceſſam; non exoratâ, ac ne petitâ quidem ab vllo ex Ordinariis facultate; (aderant in vrbe Parochus, Vicarius Generalis, & ipſe Archiepiſcopus;) Curionis partes obiuit, aſſiſtens Matrimonio, per immunitatem à communi lege de non attingendis functionibus Ordinariorum abſque eorum bona venia, Cyriacis, ex Oceano priuilegiorum ſuorum, propriam. Iidem cum iure Pontificio vitetur ingreſſus mulierum in ſacrarium & interiora Cœnobij, (non ago de mulieribus viros maſculino habitu ementientibus) per immunitatem tamen meritis Ordinis attributam,*

ſecùs faciunt ; & factis monſtrant, ſe eâ communi lege non teneri. Quin etiam quod inſigne & rarum meritò videbitur, cùm Clericis ac Religioſis omnibus, nefarium habeatur per tempus Bacchanalium prodire laruatos, Cyriacis tamen immunitas hac in parte conceditur etiam in vrbe; quam circumcurſant quaterni, aut etiam plures, abiecto religioſo habitu, pia hilaria agitantes, illud veluti Mineruale aſſecuturi, quod ad ſacram quadragenam ex ſcitis Ordinis ſeuerè decurrendam, erunt habiliores. Alias Cyriacorum immunitatès alteri tractationi reſeruo.

RESPONSIO.

Coronanda fluminum capita, cingendoſque roſis ac violis, fontium poſtes, ethnica docuit antiquitas, quo rigata exundanti ſcaturigine arua; pelluciditque potati laticibus agrorum coloni; liberali gratitudine, exteris illàc tranſeuntibus, domeſtici profluuij decus floridis hiſce corollis commendarent. At, inuerſâ arte, docet nos vir, vt dicitur, Chriſtianus, Catholicus, Petrus à Valle-Clauſa perſonatus, & ſub larua ineptiens ac furens nebulo; probatque ſe alueum impuriſſimæ ac fœculentiſſimæ aquæ in publicam perniciem, putridâ ſcriptione aperuiſſe; ſcatentem mendaciorum ac calumniarum ſentinam; vaſtiſſimam maledictorum eluuionem; acheronticum denique flumen, furiarum natiuam ſedem: cuius veſtibulum, non viridantium florum ſuaue-olenti ſplendore, ſed ſpumanti conuiciorum æſtu conſpurcauit, ipſum libelli famoſi aditum, triplici ſordidatione dehoneſtans. Putà, exonerantis ſe impuro fœtu pellicis eiulatus; laſciuientes in penitioribus Religioſæ domus repagulis mulierculas; ipſoſque Cœnobitas, Bacchanalium tempore, ſub larua per vrbem curſitantes, fabuloſâ ac malignâ arte infibulat in Præfatione ad Lectorem, paratam ſibi in decurſu pateram pollicitus, coaceruantem quicquid irreligioſum bacchandi genus; quicquid in exquiſitiſſimâ calumniarum aduerſus ſpectatiſſimam Religioſorum familiam apparatione, vltima læſæ ſuperbiæ rabies; euoluti capitis innatus & iniectus furor, turbidæque ad omnia mentis cæcitas, effutire potuit, euomere ac fingere. *Calumnia 3.*

Verùm quia tot proteruientis Scurræ elaborata figmenta, nullo digeſta ordine, nullouè teſte obſignata, vnico figuli cerebello ortum debent; ipſemet de proprio opere opifex reſpondeat. Vnde tibi, homule, de Cyriaco, vtrumque illiciti fœtus parentem copulante ac pronubo, inconſultis Præſule ac Parocho, fabella innotuit? experientiâ publicâ, an priuatâ? propriâ an alienâ? non equidem propriâ; niſi fortè intereras, vt infœlici calamo obſignares duplicatum ſcelus, clandeſtini connubij artifex, Paranymphus aut teſtis. Neutrum, vt video, arridet tibi, nec profeſſioni tuæ conſonum. Priuatum ergo facinus reſciuiſti. Verùm à quo teſte, cum nullum inducas? nec tamen inuentu difficilem, *in vrbe*, vt ais, *populosâ*. Certè non tibi credimus, mendacia affatim ſpargenti, apertoque Marte ſæuienti in Dominicanos; fidem enim quis in hoſte requirat? ludentis calami & turpiter ſæuientis, obſidem expectamus. Forſitan rem ad te detulit mentio publica? at ſi fama vndique volitat, vbinam Parochi querimonia, cuius inuaſum munus? vbi diſquiſitio Archiepiſcopi vindicantis audax facinus, quod nec indulgeri debuit, vtpotè exitiale, ſi impunitum: nec potuit ignorari, ſi publicum? Purum ergo figmentum, ſacrilega temeritas, Cyriaco quam obtrudis. In Epiſcoporum & Curionum iura aut bona, non inuolant Cyriaci, vti alij, de quorum fortè numero tu inueniris; cuius intuitu offert ſe mihi, obuia nec quæſita, decantata illa Poëtæ Mithologia; fingentis Aſellum, Carduorum penuriam, quos inexplebili ipſe auiditate deglutit, exprobrantem Philomelæ, quæ nec vel leuiter attingit carduos, nec amat.

Contenti ſua ſorte Dominicani, ab vtroque abſtinent: non regnat in eis effrœnis ambitio, & vaga illa ſibi placendi altitudo ruinoſa, quæ in Prælatorum munia irruit; nec ſordida bonorum cupido, irrequietâ animi auiditate cuncta deuorans: nec etiam inſolenti Typho, aut rapaci manu; ſed paupertate Euangelicâ & affectu Apoſtolico, religioſâque humilitate, fidelium ſaluti adlaborant, excîſis à profeſſione ſuâ, pari conatu, dominatione & auaritiâ. Cuius contrarium, cùm in eos publicâ chartâ detonueris; licebit & mihi oppoſitum ſpecimen publicæ luci exponere, quo conſtabit eos Præſulum aut Parocho-

rum bonis vel Iuribus non inhiare, qui aſſerendis illorum dignitatibus & fortunæ, ex primæuo Ordinis ſui ſpiritu inuigilanr. Euge Petre, arrige aures. Sub Innocentio 3. incepit ordo Prædicatorius, vixque enatus; congenita ſibi ſenſa luculenrer expreſſit. Graſſante ſiquidem hæreſi per vniuerſam ferè Europam, præſertim in Galliâ & Italiâ, non ſolum iura, ſed & bona Eccleſiaſticorum violenter ab hæreticis ſubrepta, coëgerant plures Plebanos, imò & Epiſcopos, oſtiatim Eleemoſynam colligere: quo Eccleſiæ dehoneſtamento exulceratus S. Pater Dominicus, militiam ſacram inſtituit in Italiâ, quam idem Innocentius celebrauit laudibus & firmauit authoritate Pontificiâ. Fœderatorum hic ſcopus, vbi nec ratio nec preces quid obtinuerant apud hæreticos ſacrorum inuaſores, reſtituere armatâ manu Eccleſiam in priſtinum ſplendorem, & Prælatis ac Curionibus liberam aſſerere Iurium ac redituum ſuorum poſſeſſionem. Quibus & obtigit fœlix euentus, vt teſtantur apud Fernandem in ann. 1229. Paramus, a Caſtillus b. Fratelle, hoc non eſt, vt nugaris, *ex Occeano Priuilegiorum ſuorum inuadere functiones Ordinariorum abſque eorum veniâ:* ſed eſt, ex ſuperexundanti affectus Religioſi, Catholici, & Apoſtolici Pelago, Epiſcoporum ac Curatorum iura & bona ſtabilire dum nutant; & ablata reſtaurare. Qui ergo ſpoliatis cuncta ſua reſtituenda procurant, iuribus aut bonis non ſpoliant poſſeſſores, zeli paterni hæredes Dominicani.

a *L. 2. tit. 2. c. 30.*
b *1. p. l. 1. c. 49.*

Audin' hæc, nebulo? Lege ergo & intellige: ſi non capis, ora Dominum, & fortè dabit tibi intellectum; vt enim aiunt, appenſus es in ſtatera, & inuentus es minus habens, ab eo qui omnia in te rabioſulæ & emotæ mentis ſigna conſpicatus, (Dæmonem inuidiæ intelligo) conceptum à ſe in Ordinem Prædicatorum liuorem, ob collata ei priuilegiatæ ſortis inſignia à ſummis Pontificibus, in Palatio, Inquiſitione, & ſacro Indice, vt tumet patenter explicas; petulanti calamo tuo commiſit foras ſpargendum. Veluti diffuſas per vniuerſum corpus humanum morbidas qualitates natura coaceruat; & in debiliorem totius partem proiicit, amoliendum procul putoris aceruum. Curandus es itaque, innatâ & illatâ bile accenſus in Patriarcham S. Dominicum & Alumnos eius; quos Paternus ſummorum Pontificum affe- *Liuor.*

ctus, ſingulari muniorum prærogatiuâ honeſtauit.

Publicum etiam eſt languidæ mentis argumentum, quod ſubiicis de mulierculis, à Cyriacis intra Cœnobia admiſſis, ſeu fœmineo, ſeu virili habitu ementito; quod addis; vt impudica eis exprobres commercia. Itemque Bacchanalium tempore laruatos curſitare per vrbem, *abiecto religioſo habitu, pia & ludicra hilaria agitantes.* Somnium certè eſt, non hiſtoria, quod ſubdolâ inductione fabricâris; quo enim tempore, quo loco hæc patrata? non indicas, nulloſue teſtes adducis geminati commenti aſſertores; quos reuerà, ſi ſuppeterent, non tacuiſſes, qui mendacia plenâ manu ſpargis; concordaretque veritati, putida terebrati cerebelli inuentio. Sapientes Iureconſulti erubeſcunt ſine lege loqui, etiam in re certâ; & tu futilis Ludio, audes ſine teſte loqui, & ſcribere impura & nefanda in viros Deo mancipatos? ſcribis nempe, vt cogitas; & Ictericis ſimilis, qui effusâ per totum corpus bile, & vſque ad ipſam oculorum aciem exundante; flaua putant quæcumque vident; flaua lilia, flauos parietes, ſummo licet candore albicantes; affiguntque debilitati ac infecti oculi, obiectis foris exiſtentibus, quem intùs patiuntur morbum. Oppletum eſt & infectum ſenile caput octogenario ſpurcantium cogitationum æſtu, ſoletque calamus de cordis & oris abundantiâ teſtari latens virus. Itaque ſi vulgò promuntur quibus & cor abundat; proh pudor! in ſtomacho tuo quanta latrina deſpumat, vt fœdiſſimum hocce libelli veſtibulum, quaſi cloacam & ſeceſſum quemdam, qui in intimum ac remotiſſimum angulum coniici debuerat; ſtatim initio ante omnium oculos produxeris, ne cui fœtor, ne cui virulentia, ne cui maledicentiſſima & inter homines Chriſtianos inſolita rerum verborumque

Obſcænitas. turpitudo abſcondi poſſet; ſubiiciens *fortiuos amplexus viduæ iuniori vterum tumefacientes*; Vah! & *Mulierculas intra cœnobia laſciuientes; ac Religioſos abiecto habitu, Laruatoſque per vrbem ſaltitantes*? Dicam igitur tibi, quod Auguſtinus Iuliano Pelagiano. *Haccine monſtra cogitatio-*

Lib. 4. *num aſcendunt in cor tuum & non elidunt frontem tuam?*

Cyriacorum Liliatus ordo, illibato Lilij candore præcellit, quod ex primigeniâ ſorte album, flaueſcit aliquando, ſæpeque purpuraſcit, nunquam tamen tetro co-

lore tingendum. Albeſcunt enim ex propria ſorte lilia, aliquando tamen flauo aut rubro veſtiuntur amictu, nuſquam nigro; quis enim vidit lilia nigra? Quæris Pſeudo-Petre immunitatem Cyriacorum? Dabo tibi. Sedulâ indagine contuere omnes huius Inſtituti Profeſſores vtriuſque ſexus, quos cœlitibus adiunxit Apotheoſis publica. Dominicum, Thomam Aquinatem, Petrum Martyrem, Antoninũ Archipræſulem, Raymundum, Vincentiũ Ferrerium, Hiacinthum Polonum, Ludouicum Bertrandrum, Ambroſium Senenſem, Catharinam itemSenenſem, Agnetem Politianam, vt cæteros taceam eiuſdem Ordinis Diuos. Inſerta ſingulorum manibus lilia contueberis: quæ modo Apoſtolico ardore flammeſcunt; modo purpuraſcunt ſacro tincta Martyrum ſanguine; ſed ſub vtraque ſorte, natiuus illos lilij candor decorat, fulgentque omnes puritate virgineâ: hos tu tamen ſpurcanti cœno denigras, dum Religionem in qua meruere, turpiſſimâ obſcœnitate commaculas. Scito ſimilem eſſe Ordinem quem ſuggillas, muri Pontico, quem pro gentilitio ſtemmate aſſumpſit Dux minoris Britanniæ cum hac inſcriptione, *Malo mori quam fœdari.* Dum enim venatorum conatus effugit, repetens feſtino pede tuta foueæ ſuæ repagula; reperitque ambos domus ſuæ aditus, leui quidem, ſed fœtenti cœno obturatos, inſidioſâ venantium induſtriâ; quos tamen ſummâ facilitate poſſet aperire, & euadere inſequentium manus; ad fœculentum odorem, quaſi repentino fulmine plexus, ſiſtit immobilis, mauultque mori quam fœdari vel minimo eiuſdem cœni attactu. Fateor, multiplici pulſata hæreticorum aut inuidentium aſſultu Prædicatoria Religio, euanidos illæſa riſit hoſtium conatus: at dum miſelli tenebrionis tui duplicem aditum, cœnoſis ac fœtentibus ſpurcitiis infectum odoratur & cernit: initium quidem ac præfatiunculam, horrendis enitentis ſcorti eiulatibus; finem ac clauſuram, ſordenti profani amoris Epilogo, immobilis hæret; *Mauult mori quam fœdari* Mus Ponticus, horretque ſtupore inſolito inter hos ſpurcitiarum cœnoſos exitus, liliato candore præfulgens Ordo. Mirandum certè, quòd (vt D. Auguſtinus Iuliano obtruſerat) ipſum atramentum non rubuerit, verſumque in minium, dum frontem & calcem putridæ lucubrationis,

obſcœnâ ſyngraphâ obſignares. Vt tibi non immeritò appingatur illud ex Ennodij Apologetico. *O frontem dictionis immundæ, & faciem libelli* (ac caudam) *quam non ſola maculauit imperitia* , ſed & impudica laſciuies.

Nec minor lubricantis animi caſus , dum Bacchantes per vrbem ſub laruâ Cyriacos, puerili temeritate inducis binos & quaternos. At in qua vrbe ? non enim explicas. Quid diſſimulas proferre , ſi vera dicis , quæ velut publica & palabunda intonas ? Almam vrbem proculdubio intelligis , alias deſipis , vrbem ſine addito , aliam à Romanâ , Lectori ſupponens ; videriſque à tumulo ad choreas reuocare antiquos illos idolorum Sacerdotes , quos Romæ naſcentis ſecundus Rex Numa , ob ſaltationem publicam cui adſtringebantur , *Salios* ſeu Salientes indigitauerat. Octogenario ſeni licet de antiquitate , nugando & fabellando ludere. Verùm ſi irreligioſæ hæ Religioſorum tripudiationes Romam dehoneſtant , vbi *Sbirrhi* , ſic vocant Satellites ad hoc conductos, qui in Regulares quoſcumque indiſcriminatim , ſi abſque licentiâ , ad Moniales alloquendas , etiam ſub habitu religioſo ac decente accedant , trudunt in carcerem ? Eoſdem tamen regulares viros , abiecto habitu & laruatos , ternos ac quaternos per almam vrbem propudiosè & ſcandalosè diſcurrentes , immoti contuebuntur , nec corripient ? Quis hoc potuiſſet fingere , illudendis Lectoribus, quam vacuum *Cucurbitæ caput* (tuo vtor verbo) Pſeudo-Petrus , ſolito more deſipiens ? Dicas ergo nobis , fratercule , quâ notâ , quoue indice Bacchantes viros per vrbem opertâ facie ac laruatos , dignoſti eſſe Cyriacos , non alterius inſtituti profeſſores ? Veſte propria ? abiecerant eam vt fateris , *abiecto Religioſo habitu*. Ex facie ? latebant ſub laruâ , *prodire laruatos*. Voce ? perſonati ſaliunt nec loquuntur. Iterùm dico , qua ratione latentes ſub laruâ Cyriaci , tibi innotuere , niſi forſan & tu Bacchantium ſocius ; voluiſti cum laruatis , tibi ex facie notis , laruatus vicatim ſaltitare ? Ecquid ergo agebat tunc magiſtratus ? quid Gubernator ? quid Pontifex , nefando hoc ſcandalo per vrbem palàm graſſante ? ſilebat ? dormiebat ? applaudebat ? Attende , ſcriptor improuide & ſacrilege , qui conceptos gratis in Prædicatorium Ordinem Sarcaſmos , in ipſum Ponti-

ſcem reflexo ictu contorques.

Fatere igitur te morbo laborare inſanabili, quem *mentis vertiginem* vocant, internos luxatæ animulæ motus, in fixas, ſtabileſque quaſcumque exteriùs circumpoſitas moles, ingenitâ debilitate eructantis. Nondiffitebor; ſimilis es illi, qui dum multiplici ac concitatâ corporis totius circulatione, totum ſe rotat, ſæpiuſque gyrat, vnico inſiliens talo, rotatas pariter circumiectas domos, circulantes parietes, & gyrantia videt, aut videre ſe putat ædificiorum tecta; quia internos lubricantis animi circulos & rotationes confuſas, affingit externis rebus, Mens ſaucia, emota, gyrouaga, & terebrati cerebelli leuitate ſaltitans. Scimus, Petre, quanta in te dona, congenitæ imbecillitati indulgens natura, congeſſerit. Fecit hilarem, facetum, Ludionem, qualem te quotidie amici & contubernales experiuntur, relaxandis animis aptiſſimum Scurram. Aſſuetus etiam puerilibus ludis, & chorearum feſtiuus opifex, dum Bacchanalium tempore obuij tibi per vrbes quas incoluiſti, bacchantes ac perſonati viri occurrebant; placebat hiſtrionica iactatio, gratoque ac auido obtutu, contemplabaris curſitantes. His itaque familiatibus ſpectaculis & circulationibus oppletum caput, Bacchantes videtur ſibi videre Cyriacos, Bacchans ipſe animus; & confuſis circulationibus diſturbata mens & implexa, ſic delirat. Verùm, putida hæc quæ*profanus Ludio effutiit, conductitiuſque Impoſtor commentus eſt, licet vera forent, quæ tamen apertâ falſitate diffluunt; debuerantne à Catholico viro in Catholicos, & Religioſos cum totius Eccleſiæ Catholicæ ſolemni ludibrio, irreparabilique diſpendio per vniuerſum orbem palanti calamo diſſeminari ac ſerpere? veluti ſceleſti filij probroſi mores, in apertam parentum infamiam ſua ſponte recidunt, redundantque; etiam indice id non agente. Quid ad hoc *Scandaliſta* reſpondet? Miraris, Grammaticule, quod te inſolito hoc nomine interpellem, quod Auguſtinus ridens Creſconium' Grammaticum, illi exprobrat. *L. 2, c. 2* *Euangeliſtæ ab Euangelio nuncupantur: per Maiorem Donatum à caſis nigris, qui altare contra altare in eadem ciuitate primus erexit,* (nota ſingulos apices) *magnum ſcandalum factum eſt: Ita fortaſſis à Donato Donatiſtas, vt à Scandalo Scandaliſtas voluit appellare.*

Scandalum. *Scandaliſta* es, Pſeudo-Petre, omnes quotquot fuere & ſunt huius ſacri Inſtituti profeſſores, infami accuſatione deturpans; quorum tamen plurimos debueras colere ac venerari vt Patres. Puta innumeros huius profeſſionis & habitus Epiſcopos, ac Archiepiſcopos, venerandos Eccleſiæ ac fidelium Patres; quatuordecim Patriarchas; purpuraſcentem Cardinalium ſyluam; tres denique Hierarchas ſeu ſummos Pontifices: quorum tu, dehoneſtatâ communi eorum Matre, velut alter Cham, verenda propudiosè oſtentas; vt meritò hæc Vincentij Lirinenſis in

C.11. Commoni. te vox detonet, cùm ſis de numero eorum; *quorum ego nequitiam duplici odio dignam iudico; vel eo quod hæreſeos* (tu ſcandali) *venenum propinare aliis non extimeſcunt; vel eo etiam quod ſancti cuiuſque viri memoriam, tanquam ſopitos iam cineres profanâ manu ventilant, & quæ ſilentio ſepeliri oportebat, rediuiuâ opinione diffamant: Sequentes omninò veſtigia auctoris ſui Cham, qui nuditatem venerandi Noë, non modo operire neglexit, verùm quoque ridendam cæteris annunciauerit: vnde tãtam læſa pietatis meruit offenſam, vt etiam poſteri ipſius, peccati ſui maledictis obligarentur.*

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Iuſtè confixus, de iniuſta librorum confixione queritur.

§. 2. N*Vnc ad illam vnam eorum immunitatem accingor, quæ in omnium incurrit oculos; nimirum immunitatem Librorum à cenſurâ. Quod dico, eſt huiuſmodi. Libri ſcriptorum Catholiciſſimorum ac Religioſiſſimorum, frequentiſsimè proſtant in columna infami, cum flagrionibus, & furciferis ac patibulariis: ſic enim abſque noxa denominari poſſunt, Hæreticorum, & Atheorum, ac ſpurciloquorum Libri. Pendent cum ipſis probroſis (vt Chriſtus cum Latronibus) Scriptorum Catholicorum ac Religioſorum Libri; iure, an iniuriâ, dolo, an virtute, quis in hoſte requirat? etiam ſydera in hoc genere, de cælo detrahuntur. Indictâ causâ, certè tacitâ, (& quam educere eleuſinium crimen ſit;) notantur, proſcribuntur, ſupprimuntur, Fratrum præſertim Minorum, & Ieſuitarum Libri: Hos quippè ſupra omnes gemere ſub Cyriacorum Tyrannide, grauis ſcriptor ex Reli-*

gioſo Archiepiſcopus non extimuit dicere, ac chartis committere c. 5. vitæ Scoti. Soli Cyriaci habent ſuorum Librorum plenam immunitatem, quantum attinet ad viam ordinariam: nam extraordinaria, (cuius vix vnum aut alterum exemplum intra bina ſæcula proferre liceat,) prætermittenda meritò eſt, tanquam vnum de rarò contingentibus, quæ ſub diſciplinam non cadunt. Quid cauſa ſubſit tantæ Cyriacorum immunitati, veſtigare conſilium eſt. Et eſt ſane res ſatis abdita. Nam proſcribuntur Libri, vel quia continent Doctrinam hæreticam, aut hæreſi conterminam; vel quia authores in ſuis ſcriptis ſunt erga ſedem Apoſtolicam irreuerentes; vel quia de Sanctis non agunt ſatis ſobriè, & cum conuenienti obſeruantiâ; vel quia doctrinam continent minus ſolidam; vel quia mendacia & impoſturas obtrudunt; vel denique quia in alienam famam iniuſtè graſſantur, & immodeſtia atque acerbitate violant charitatem. An ſoli Cyriaci, numquam in aliquid iſtorum peccant & ideò ſoli abeunt à Librorum ſuorum cenſura immunes? hoc eſt quod noſſe cupio & cui inueſtigando, hunc laborem ad dico.

RESPONSIO.

PVblicam cauſam videtur defendere, qui proprium & ſingulare vlciſcitur vulnus; agnoſcetque Lector quo motus ſpiritu, quauè occaſione impulſus, in hoc, publicè blatterandi, conuiciandi ac laniandi irreligioſum cruentumque genus, vir, vt dicunt, habitu circumuolutus Religioſo, vtinam & animo, prorupcrit. Octauâ Diatriba, inflictam ſibi, vt putat, à Cyriacis iniuriam, furenti calamo vindicat & apertè ſæuit: hic latenter & obſcurè ſubindicat, cæcâ temeritate deuolans in imaginariam Dominicanorum immunitatem, quam carpit ipſe qui fingit, memor damnationis cuiuſdam ſui libelli, qui in infami columnâ cum aliis damnatis proſtitit. Rem itaque paucis aperiamus, vt læſæ iuſtitiæ, aut procacis calumniæ veritas, oculos & animum lectoris inſtruat & delectet In confixione librorum, hunc tenorem Tribunal Romanum obſeruat: Triplex qualibet hebdomade, diuerſiſque diebus, initur congregatio. In prima; cum Secretario Indicis, qui eſt Cyriacus, conueniunt Cenſores ad hoc deputati auctoritate Pontificiâ; qui lecti à

ſe & ſeiunctim examinati Libri cenſuram laturi, qualificant & pluralitate ſuffragiorum declarant tali vel tali notâ inurendum. In ſequenti ſeu ſecunda Congregatione, conueniunt Cardinales delegati à Pontifice, qui audito Cenſorum examine ac iudicio, probant vel improbant eorum ſuffragia; conſtituuntque, quæ Libro ſit irroganda nota. Tandem in tertiâ & vltimâ, quæ & omnium celeberrima, cui præeſt Papa, aſſident Cardinales, aliique Cenſores circumſtant; reſumptis quæ in prioribus congregationibus ventilata fuerant, deciſiuè pronunciat Pontifex quid de Libro oblato ſit ſentiendum. Formatur decretum; eiuſdem executio committitur Secretario S. Indicis, qui affigendum curat columnæ infami, lucubrationis confixæ nomen & notam. Ex quo claret, nihil affigi, quin damnatum à Pontifice, cuius decreto & fulmine quaſſatum iacet. Ac proinde eiaculatas in Secretarium ac Cenſores, petulantis licentiæ querimonias, in ipſam ſedem Apoſtolicam, à qua effluxit damnationis ſententia, directo ictu contorqueri.

Inuigilabat itaque pro debito officij ſui, ſapientiſſimus Indiculi Secretarius R. P. Ioannes Baptiſta de Marinis ex Dominicanorum ordine, amoliendis à commercio & lectione fidelium ſcriptionibus, quas temerata fidei maieſtas, vel corruptus morum tenor deturparet. Subiit interim meritiſſimam hanc exterminij & damnationis pœnam, indigeſtum quoddam fœtenſque authoris quem ſuggillamus, opus; tacitâ tamen cenſuræ causâ (vt aſſolet) quò honori eius conſuleretur, quia pudori non poterat; compeſceretque garrulitatem criminoſam, iuſtum ſed elingue decretum. Hinc ſcintilla in amplum expanſa, ortum dedit incendio: hinc notato authori, ſubminiſtrata aut aſcita querelarum materia: hinc eiulandi, blaterandi, mactandi immenſa ſegès, factaque via libello procaci quem vexamus: qui meritò inſcribendus venit; poſthumus ſanæ mentis fœtus, (ſi tamen parenti eius, vel minima vnquam probati iudicii ſcintilla affulſit) pudoris tumulus, pietatis ac prudentiæ rodens cancer; qui impiâ comparatione Chriſtum ipſum impetit, dum inter duos Latrones pendens, aſſimilatur libellis hæreticâ aut ſpurciloquâ labe fœtentibus, quos Pontificia cenſura in Indicem prohibitorum vnà cum aliis con-

fecit, proſtantque in Columna infami cum Hæretico-rum, Atheorum ac ſpurciloquorum libris. Coniungit pœna quos error aut fœtor conſociat : dum interim in-tacti manent Authores, combuſtoque calamo, reſilit in-offenſa manus. Hinc cōtorta in Secretarium Indicis pro illo tempore R. P. I. Bapt. de Marinis, nunc Cyriacorum præ-fectum generalem, qui quæ Pontifex cum Purpuratis Patribus decreuerat, humillimè executus eſt; improperia, dicteria, maledicta inferiùs comprimenda. Verùm, in-nocuum tibi pectus vltiò exhibet præfatus R. P. de Ma-rinis, vt quot volueris maledicentiæ & improperiorum telis impetas, dummodo diſcerpto ad libitum, Indicis ſacri Secretario, Chriſti Saluatoris honori ſit conſultum; nec Veritatem Increatam, mendacibus, & hæreticis portentis exæquet blaſphemus nebulo.

Dum enim libellum propudioſo programmati affi-xum cum Hæreticis & Atheis, aſſimilas Chriſto inter Latrones pendenti; vel Chriſtum putas reum, vel libellum ab omni labe purum? Chriſto vel minutulam notam inu-rere, procacitas blaſphema, repetito fulmine grandinan-da. Propugnare autem illibatam puritatem lucubratio-nis à ſummo Pontifice confixæ, temeritas compeſcenda, & ex vtrâque parte, ruinoſa ac profana comparatio, quæ Chriſto Domino æquiparat damnatum opus. *Quæ enim conuentio inter lucem & tenebras; inter Chriſtum & Belial?* Noli itaque impietatem crudè ſpumans; noli temeritate profanâ, auſuque ſacrilego, abuti diuinis in decus tuum. Cæterùm dum Cyriacorum libros ſæpius in lucem emiſſos, rariúſque notatos quereris, imprudens quid eiulas? quos enim cæco marte inſequeris, hoc no-mine comprobas & laudas; Quorum nempe lucubratio-nes, vt potè puræ & intaminatæ; tuas, irrogatæ ſæpius pœnæ, meritò reas euincunt. Si autem præſumat putidus ille fœtus tuus quem exagitamus, plenariæ, vt clamitas, Cyriacorum Librorum immunitati, veluti mari magno ſe immergere, vt ſi non purus, nec dum expurgatus, alienâ tamen puritate & immunitate fretus, libertatem viden-di lucem obtineat: vt aſſolent adulterinæ monetæ, pro-batis admixtæ, ex earum conſortio immunitatem aucu-pari commercij, licet degeneres, alienis tamen illuſtra-tæ fulgoribus. Si inquam fœtens tenebrio veritatem

Impietas.

exoculans, conſpurans pietatem, Sanctos vellicans, in Chriſtum blaſphemus; hocque nomine cum flagrionibus, furciferis ac patibulariis meritò ſuſpendendus, Cyriacorum ſe Libris iniquâ comparatione commiſceat; vt vel ex eorum ſaltem contubernio & luce, prodeat in publicum; velut i *Mineruæ*, vt ais, aſſecuturus, ſi illibatis noxius ſe fœtus coniungat & implicet, Cenſoribus offerendus; Dices illi ex ore ſanctiſſimi Iobi, fœdiſſimum hoc commercium exhorreſcentis. Quid ergo, *cum conuenissent Filij Dei vt aſſiſterent coram Domino, adfuit inter eos etiam Satan?* Diſcat interim Lector è quo fonte aut potiùs à quo fœculento lacu aquas deriuarit Pſeudo-Petrus. A Luthero Hæreſiarchâ; ab Eraſmo, & Reuclino amiciſſimis & Præcurſoribus Lutheri; denique ab Authore Elucidarij, cuius premo nomen, ob reuerentiam cœtus cui inhæſit. Ab Elucidatore, mutuatus eſt mendacia & calumnias: ab Eraſmo, nugas & impietates: à Reuclino, fabellas & impoſturas: à Luthero, dicteria & contumelias: quæ omnia coaceruans, in decem Diatribas digeſſit ſub ementito nomine. Certè tot Heroum hæres inclyte, qui de vlceroſi pectoris plenitudine, tot pudenda eructaſti; quique vis elimatus haberi in Iure ciuili, ſed vano & ridiculo conatu; quod in te Lex tulit ferale decretum, tanquam libelli famoſi authorem, accipe l. 9. Codicis, Titul. 36. vbi pœna capitis irrogatur ſpargenti librum famoſum: quid authori? *Si quis librum famoſum ſiue domi ſiue in publico, vel quocumque loco ignarus repererit; aut corrumpat, priuſquam alter inueniat, aut nulli confiteatur inuentum. Si vero non ſtatim eaſdem Chartulas, vel corruperit, vel igni conſumpſerit, ſed vim earum manifeſtauerit; ſciat ſe quaſi authorem huiuſmodi delicti, capitali ſententiæ ſubiugandum.* Audin' Petre? hæc meditare & incipe ſapere: dum nos ad ſingula reſponſuri, non capitale optamus tibi ſupplicium, ſed cor pœnitens, timorem Dei, & fraternæ ac Chriſtianæ charitatis affectum,

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Religioſæ Cyriacorum veſti, mendacio profanè illudit.

Videtur hac immunitas admittenda, & referenda in ſpecialem prærogationem Cyriacis diuinitùs collatam, propter zelum aduerſus hæreticos, quo à ſua prima inſtitutione flagrarunt. Inde enim vnus quiſpiam Cyriacus audiente Alphonſo de Caſtro, de ſacro ſuggeſto dixit, neminem qui veſtem Cyriacorum aliquando induerit, poſſe in hæreſim labi. Ita refert Caſtro l. 1. contra hæres. c. 9. & Vadinghus an 1371. num. 27.

RESPONSIO.

HÆc ſunt quæ primo impetu, modeſtiâ pluſquam religioſâ ac Chriſtianâ charitate Pſeudo-Petrus vndequaque corraſit aduersùs ordinem D. Dominici, ex multiplici capite, hæreſeos labe ſordidandum toto huius Diatribæ decurſu; vt glomerato agmine, ferociùs impeteret; confoſſâque ac ſepultâ ſub ingruentibus vndique telis, veritate; nulla ſpes purgandæ calumniæ, relinqueretur oppreſſis. Verùm, quia gratuito quidem, ſed furenti percitus œſtro, & vacillantis cerebelli turbidâ commotione occæcatus, argumenta ſua intermiſcendo confundit ipſemet & eneruat: placuerat, ex ſupremo charitatis apice, vt darem nouum robur euanido eius conatui; quæ ille ordine paſsim præpoſtero ac inconditâ farraginine machinamenta intexuit, ſeiungere: quæ in eundem ſcopum collimant, fido nexu infibulata, ab extraneis diuellere: & ad tria capita reducere totius Diatribæ primæ tentamenta, putà ad habitum, ad Doctorem, & ad Doctrinam Cyriacorum; vnde concuſſæ aut euerſæ fidei chimerica ſpecimina collegit indiſcretâ & nutante manu aduerſarius. Sed quia mihi cum imperito Tricone colluctandum, qui fugæ aut timori adſcriberet, æquiores prudentiæ leges, ſequar eum quocumque me duxerit per ſalebroſa & inuia loca; ac indigeſtum opus, nullo ſeruato ordine vexabo, premens errantia §. 3. DIATRIBA I.

lymphati ſcriptoris veſtigia.

Ipſo primo greſſu cæſpitat Pſeudo-Petrus, dum Dominicanum inducit pro ſuggeſtu ſacro enunciantem, alligatam habitui Cyriacorum nexu indiſſolubili, certitudinem intaminatæ fidei: cuius rei teſtes adducit Alphonſum à Caſtro, & Vadinghum. At quid mirum, ſi qui leges Chriſtianas impudenter effringit, conuellat etiam ciuiles: quibus ſapienter cautum eſt, ne idem actoris & teſtis perſonam ſimul induat. Huic æquiſſimæ legi ſubſcripſit ipſemet Petrus paragrapho 113. ſic ſcribens: *Franciſcus Penna hoſtis Profeſſus Ieſuitarum remoueatur à teſtimonio ferendo in eorum cauſa: quia omnibus manifeſtum eſt, eum erga ipſos, inimicitias continuaſſe per annos plurimos. Itaque cum citare hoſtem in Teſtem ſit ridiculum, &c.* Ridiculus es ergo Petre adducere in Teſtes contra Dominicanos, quos præcedenti §. induxiſti ſub tyrannide Dominicanorum gementes & oppreſſos Minoritas. Neſcis Vadinghum pro ſuo Scoto agentem, aperto Marte ſtrinxiſſe feralem calamum in Bzouium Cyriacum & in omnes eiuſdem Inſtituti Profeſſores? Hæc prima & celebris in te euoluti Iudicij immunitas, ex actore, teſtem educere & illæſam inter hoſtiles impetus ſeruare veritatem. *Ex ore tuo te iudico, nequam*; qui ridiculum intonuiſti; citare hoſtem in teſtem. Poſſemus autem duplici via Vadingho hæc teſtanti, os obſtruere. Primò reponendo illi, quod Ordini Prædicatorum exprobrat, ſimileque adſcribit Spondanus ei amiciſſimus, cuidam ex ſodalibus eius. Ipſeque meminit loco præfato. Reuerentiæ ergo nomen reticeo. Sed fides Vadinghi deſideratur in hac parte. Quod enim Alphonſus à Caſtro ſe audiiſſe teſtatur, Vadinghus longe recentior, non poteſt habere niſi ex ſcriptis Alphonſi, qui quidem fatetur loco à Te laudato, ſe audiiſſe concionantem quemdam in Die Patris ſui & fundatoris, dicentem qui habitum illius Ordinis ſemel induerit, non poſſe eſſe hæreticum. *Tamen*, inquit, (& nota verba) *ne hoc toti Ordini aut Societati impegiſſe videar, nomen Ordinis ex induſtria ſubticui, vt magis admonere viderer prout charitas Chriſtiana poſtulat, quam traducere, prout inuidia ſuggerit.* Alphonſum dicis, Petre, hoc à Dominicano concionatore audiiſſe; & Alphonſus nullum nominauit; imò proteſtatur ſe de induſtriâ, Ordinis aut Societatis

Stoliditas.

An. 1572. num. 11.

Falſatio.

cietatis nomen tacuiſſe. Vbi fides Petre? quod ille ex charitate ſilet, tu ex inuidiâ prodis, & falsò prodis, falſans impudoratè Authorem quem citas. Quod ergo in primo congreſſu Cyriacis impingis, manifeſta eſt præuaricatio veritatis & propudioſa ſcriptoris quem in Teſtem adducis, falſatio.

Verùm, gratis demus Cyriacum de ſuggeſtu ſacro prædicaſſe, Neminem qui veſtem ordinis ſui induerit, poſſe in hæreſim labi: Quidni ſacra & Religioſa veſtis, non ratione ſui, vt talis eſt coloris aut panni; ſed prout connotat gratias ſpeciales quas Ordini contulit Deus & confert eius profeſſoribus; vti protectionem Deiparæ quæ talem habitum dedit Cyriacis, præſidia & exempla ſanctorum Dominici, Thomæ, & aliorum cælitum qui hac veſte ſacra fuere decorati, ipſumque vitæ religioſæ tenorem ſacræ veſti conformem, quibus lapſus in hæreſim præueniatur & propellatur à Cyriacis; non inuincibiliter & infallibiliter, ſed adeò potenter vt quaſi moralis quædam labendi impotentia ſeu difficultas, illa locutione deſignetur. Sanè, ſi Tertulliani Pallium philoſophicum peccatores illud intuitos, ad meliorem frugem reuocabat ipſo clamante, *De habitu meo vitia ſuffundo*: Quidni vitia ſuffundat, propellatque labem & lapſum in hæreſim, Pallium non philoſophicum, ſed ſacrum, ſed religioſum: habitus ſacer, cuius delatores tot gratijs ac fauoribus Deus cumulat: Matris Dei, pignus inſigne? Certè *animalis es nec ſapis quæ Dei ſunt.* Quid ergo dices Henrico Engelgraue Ieſuitæ qui in Luce Euangelicâ & in Octauâ ſancti Ignatij ſic ait; [O fortunatam Ieſu Societatem, quæ adſcriptos ſibi ſocios æternæ fœlicitati vel inuenit vel facit. De quo quidem ſingulari eius priuilegio minus dubites, facit Beati Borgiæ irrefragabile teſtimonium. Franciſcum Borgiam orantem deprehenderat Marcus, viri ſocius, & (quod rariùs animaduerterat) manantibus ex ſingulari lætitia lachrymis, largè perfuſum. Rogat ergo cauſam vt promat tanti ſolatij; & cum vrgendi inſtantia non faceret finem, ita demum ex Franciſco intelligit: *Scito Marce* (hæc ipſa verba Borgiæ ſunt cum fide tranſcripta) *Deum impensè amare Societatem, eique conceſſiſſe beneficium, quod olim Ordini S. Benedicti, nimirùm vt trecentis primis annis, nemo qui in ea vſque ad mortem perſeuerauerit, damnetur.* Quod

L. de Pallio.

Indeuotio.

ipſum per alterius Religioſiſſimi viri teſtatam morte ſententiam alibi inuenies; qui cùm commonſtrante Domino in eo puncto temporis, aduocato ad ſe Barcinonenſis Proregis confeſſario P. Matreſio è ſocietate, gratulabundus ei dixit: *Fœlicem Te, ô Pater, cui contigit ſocium eſſe eius Ordinis, in quo quicumque decedit, vita fruitur ſempiterna. Hæc mihi iam nunc Deus oſtendit, hæc palam omnibus nunciare mandauit.*] Huc vſque Henricus Engelgraue. Si hæc attendiſſet Petrus, Poëtis ac fabulis innutritus, tam fœdo lapſu ac horrenda falſatione non dehoneſtaſſet ipſum ſcriptionis ſuæ veſtibulum. Attendat interim Lector, impudoratam eius licentiam, qui, quæcumque ſcommata aut probra in alios intorſerunt ſcriptores, ſuppreſſo licèt nomine eorum quos appetunt, ipſe detorquet in Cyriacos, de quibus nec authores cogitarunt. Luculentum huius impudentiæ ſpecimen exhibuit Tibi præſens Paragraphus; refert enim Alphonſum à Caſtro, teſtantem ſe id audiiſſe à Concionatore Cyriaco, de quo nec verbulum Alphonſus habet: imò proteſtatur ſe de induſtriâ tacuiſſe nomen Ordinis aut Societatis ſub qua concionator merebat. Idem paſſim facit in decurſu Operis, maximè §. 134. de Pico Mirandulano & §. 141. de Bellarmino, vt ex his iudicium ſit de cæteris.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

D. Thomæ doctrinam & famam ludicrè traducit.

§. 4. *Accedit quod Cyriaci per omnia inhærent S. Thomæ, cuius doctrina eſt infallibilis; & certò, ab hæreſi (etiam materiali,) immunis: vſque adeò vt Coſmas Philiarcus 2. p. ſumma l. 4. c. 21. referat, audiuiſſe ſe Concionatorem Cyriacum, intrepidè de ſacro pulpito conteſtantem, paratum ſe eſſe ad profundendum ſanguinem, pro quocumque vel minimo S. Thomæ dicto. Non dubitauit alius Doctor* Cyriacus, *aſſerere, Doctrinam* S. *Thomæ eſſe regulam fidei. Nam & Apoſtolica ſedes (inquit Hieronymus Vielmius, in opere pro S. Thoma;) ſolius Thomæ Doctrinam, probauit publico Edicto, & Eccleſiæ ſectandam tradidit, eius nomen & authoritatem poſteriora Concilia Oecumenica perpetuò venerata ſunt, & parem cu-*

in ſuis veterum Patrum authoritati fecerunt. Quin imo, S. Thomam quibuſuis Patribus ſuperiorem, & poſt Canonicos *ſcriptores planè primum, quidam* Currus *leuibus Typis delineatus effinxit. Tantumne? audiantur maiora. Non dubitauit Nicolaus Ianſenius Ordinis Prædicatorum in Apologia pro Bzouio Chartis illinere,* Hunc virum ſanctiſſimum electum eſſe, cui tribueret cælum theſauros ſapientiæ Dei; cui Spiritus ſanctus ad aurem inſideret; cuius Scholam ingrederetur Paulus, quem ipſe Chriſtus, ſecurum eſſe ſuæ doctrinæ iuberet. *Nimirum cum ei Neapoli dixit*; Bene ſcripſiſti de me Thoma. *Vnde adhærens huic Chriſti oraculo Innocentius 6. pronunciauit*, eos qui ab Angelici Doctoris mente diſceſſerunt, fuiſſe ſemper de veritate ſuſpectos. *Imò vt refert Alphonſus de Caſtro, auditum ab ſe eſſe de ſacro pulpito.* Suſpectus de hæreſi eſt quiſquis à S. Thoma receſſerit. *Itaque Cyriaci, Doctrinam S. Thomæ, ad eum authoritatis apicem prouectam volunt (teſte Dermitio Thadeo in Bzouio expoſtulato*, pag. 36*)* vt agnoſcendum ſit, nihil hactenus ab Eccleſia contrà eam deciſum eſſe, ſed neque decidi poſſe: omnes vero libros, eſſe ad eam Normam exigendos, & caſtigandos; omneque ad fidem aut mores attinens, eſſe ex S. Thomæ ſolius ſententiâ determinandum.

Ex hoc fundamento apertè ſequitur libros Cyriacorum *à quauis hæreſi, etiam materiali, immunes eſſe, nec ipſos* Cyriacos *eſſe hæreſi cuicumque obnoxios; quia quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe. Atqui* Cyriaci *ſunt tenaciſſimi Doctrinæ S. Thomæ prorſus infermentata; cum, vt ſuprà notatum eſt, ſint parati pro minimo eius dicto ſanguinem fundere. Sunt igitur ipſi quoque, & libri eorum, prorſus a fermento hæreſis alieni ac proinde etiam immunes a cenſura, ex hoc capite. Hic deſideratur ſobrietas* Cyriacorum.

RESPONSIO.

HÆc ſunt lymphati cerebri euaporata iudicia, quæ perſonatum Nebulonem, nec Catholicum eſſe, nec Chriſtianum, imò nec hominem, planiſſimè euincunt & comprobant. Quem enim Te dicemus Pſeudo-Petre? qui nec Catholicus, cum ſummos Pontifices non agnoſcas: nec Chriſtianus, qui Chriſto non acquieſcis: nec homo, qui non ratiocinaris, ſed ſupinâ ſtoliditate bruteſcis? Patere

ergo vt ex ore tuo, Tibi ſingula hæc impingantur, ſi non reformando, ſaltem confundendo. Verùm, vt cuncta animulæ tuæ lineamenta Tibi, omnibuſque nitidiùs innoteſcant, accipe emendatiſſimum ſpecimen Doctoris Angelici ex communi Cæli, Terræque applauſu ac Encomio contextum, in quo velut in ſpeculo, facies Animi tui, in D. Aquinatem irreligiosâ procacitate proteruientis, genuinis depicta coloribus, elucebit. Concurrunt ad promendas eius laudes ferè omnes Religioſæ familiæ, eiuſque Magiſterio gloriantur. De Fratribus Prædicatoribus non ambigis, quos impudentiâ hæreticâ, Doctrinæ Angelicæ amore infatuatos iam proclamaſti, & ab ea nec vel latum vnguem vſquam diuellendos. Ordo ſacer Heremitarum S. Auguſtini in ſuis Conſtitutionibus vult quidem ſuos ſequi Doctrinam Ægidij Romani; ſed ita tamen vt *vbi huius ſcripta non reperiuntur, ex D. Thomæ Doctrinâ ſuppleatur.* Cuius, præfatus Ægidius fuit multis annis Auditor & Amanuenſis; adeòque Angelicæ Doctrinæ addictus, vt in eius etiam defenſionem, ediderit librum cui titulus eſt, *Defenſorium aduerſus corruptorem, ſeu impugnantem Doctrinam Thomæ.* Congregatio S. Saluatoris Lateranenſis Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini in ſuis Conſtitutionibus ait. *Porrò Lectores certam Methodum in legendo obſeruent: imprimis in ſacra Theologia viam D. Thomæ ſequendam præcipimus, quæ cæteris Scholaſticorum viis, ordine Doctrinæ, facilitate, integritate & ſoliditate meritò præferri debet.* Et ibidem. *Si ambo Theologi ex noſtris haberi non poterunt, ſaltem alter ſit ex noſtris; alter verò ex Ordine D. Dominici vel ex alio, qui viam D. Thomæ ſequatur, quam in noſtris ſcholis ſequendam ſerè mandamus.* Gallicana Congregatio Canonicorum Regularium Ordinis eiuſdem ſancti Auguſtini, in generalibus Comitiis Pariſiis celebratis, ſtatuit in ſuis ſcholis legendam S. Thomæ *Doctrinam puram.* Sacer Carmelitarum Reformatorum Ordo in Conſtitutionibus Prouinciæ Turonenſis, Reformationis Gallicanæ. *Præcipimus intra triennium totam D. Thomæ ſummam perlegi.* Quid interrogas de Thereſianâ & Seraphicâ Excalceatorum doctiſſimâ familiâ, totâ Thomiſticâ, nec in hoc Zelo, ipſis Dominicanis ceſſurâ? In Conſtitutionibus ſic eloquitur. *Lectores Theologiæ operam dabunt ſacram Doctrinam à ſanctis Patribus, præcipuè à D. Thomæ*

P. 5. c. 2. de officio Regentis.

P. 2. c. 11. de literarum ſtudijs.

P 1. c. 21. de ſtudijs §. 15.

P. 2. c. 4. n. 6.

traditam edocere. Idemque Lectores Artium obſeruent: ſin minùs, officio Lectoris priuentur.

Regalis Ordo B. Mariæ de Mercede redemptionis Captiuorum, in libro linguâ Hiſpanicâ edito, cui titulus (ſi fideliter Latinè reddatur) *Compendium Regulæ & Conſtitutionum Ordinis noſtræ Dominæ de Mercede*, verbo, *doctrina*; Titul. 6. hæc habet. *Ad aſſequendos Religionis gradus legi debet doctrina S. Thomæ, prout explicatur à noſtro R. P. Magiſtro Zumel.* Et vt ſolùm indicemus alios Ordines & Congregationes, Barnabitarum, Patrum Doctrinæ Chriſtianæ, ac Preſbiterorum Oratorij, quarum Statuta non vidimus, quæ tamen eodem ſancto Præceptore gloriantur: ſacra Societatis Ieſu Religio, ab ipſo Parente S. Ignatio & Congregatione ſub ipſo habitâ, Doctrinæ D. Thomæ affectuosè adſtringitur. Et quidem in Conſtitutionibus ſic habetur. *In Theologiâ legetur vetus & nouum Teſtamentum, & Doctrina Scholaſtica D. Thomæ.* Parte 4. c. 14. §. 1. Quæ conſtitutio confirmatur & explicatur in 5. Congregatione Generali Canone 9. *Sequantur noſtri Doctores in Scholaſtica Theologia Doctrinam D. Thomæ; neque deinceps ad Cathedras Theologicas promoueantur, niſi qui D. Thomæ doctrinæ benè affecti fuerint; ab ea verò alieni, à docendi munere repellantur.* Et Can. 56. *Noſtri omninò S. Thomam vt proprium Doctorem habeant, eumque in Scholaſtica Theologia ſequi teneantur: tùm quia Conſtitutiones eum nobis commendant, & S. Pontifex Clemens 8. id ſe cupere ſignificauit: tùm quia cum vnius ſcriptoris Doctrinam in Societate eligendam Conſtitutiones moneant, nullius hoc tempore Doctrina poteſt occurrere, quæ ſit eâ ſolidior aut ſecurior, vt non immeritò S. Thomas Theologorum Princeps habeatur.* Nec Patres ſacri, nomine *Minimi*, charitate & merito Maximi, qui à tribus annis in Capitulo generali Barcinone celebrato, Doctorem ſibi communi aſſenſu elegerunt D. Thomam, Minimi erunt in hoc Agone literario, ſed vt ex incaleſcente in dies affectu erga Doctrinam Angelicam, poteſt conijci; erunt Nouiſſimi primi, granumque Synapis cum ſit *Minimum*, excreſcet in immenſum, ita vt volucres cæli, præcelſa ingenia, habitent in ramis arboris huius Thomiſticæ, ex quo lux Cherubica eſt inſerta Ordini verè Seraphico, nunc Seraphi-Cherubico.

Audiſti Petre, Tu qui tam crebro Nobis fatuorum no- *Contumelia.*

men imponis, ob exhibitum Doctrinæ Thomiſticæ prudentem ac religioſum cultum; quos & quales viros omni literaturæ ac pietatis laude præcellentes, & quantos fidei Catholicæ defenſores adeò pudendâ criminatione appetere audeas? Si euigilas, intuere. Dicis infatuatos amore ſanctiſſimi Doctoris eius diſcipulos? Demus: Nos ſtulti propter Chriſtum, hocque titulo iuxta Salomonem, *Stultorum infinitus eſt numerus*; vt meritò exclament poſteriora ſæcula de D. Aquinate, *Quis eſt hic*; *omnis enim mundus abiit poſt eum* & poſt Doctrinam eius? Tu ſolus ergò ſapiens: Sed inquit Dominus; *Perdam ſapientiam Sapientum.* Plexus itaque es hoc diuino fulmine: euacuata corruit inſolens Sapientia Tua,& Medico eget caput fulminatum. Optimos prouidebo ex ſelectioribus Academiis, qui curandæ, quam inconſultus furor ingeſſit in S. Thomam proteruiæ, ſeduliùs inuigilent. Medica animorum conſultatio inſtituitur, coëunt celebriores Academiæ, omniumque Mater Pariſienſis, velut dux Verbi, in laudem & defenſionem Doctrinæ D. Thomæ ann. 1325. quæ recitatur à Bergomenſi in Tabulâ aureâ, Sic ſenſa ſua explicat ore Stephani 2. Epiſcopi Pariſienſis cum aſſenſu ſui Capituli ac 72. Doctorum. *Cum D. Thomas fuerit vniuerſæ Eccleſiæ lumen præfulgidum; gemma radians Clericorum, fons Doctorum, Vniuerſitatis noſtræ ſpeculum clariſſimum, & candelabrum inſigne ac lucens, per quod, omnes qui vias vitæ, & Scholas doctrinæ ſanæ ingrediuntur, lumen vident claritatis vitæ; fama clara & ſcientiæ, velut ſtella ſplendida & matutina refulgens &c.* Viden' Petre per hanc ſtellam oblatum lumen? ſplendida eſt, tenebras fugat: Matutina eſt; quæ vmbras diſſipat, vmbram facit. Eia euigila ad

L. 2. hiſt. nat. c. 8. nouum Luciferi ortum! quis ille? *Ingens ſydus*, inquit Plinius, *alternò meatu vagum, ipſiſque cognominibus æmulum ſolis ac Lunæ; Præueniens quippe & ante matutinum exoriens, Luciferi nomen accipit, vt ſol alter diem maturans; contrà ab occaſu refulgens, nuncupatur veſper vt prorogans lucem; vicemque Lunæ reddens. In magnitudine extra cuncta alia ſydera eſt: claritatis quidem tantæ, vt vnius huius ſtellæ radiis, vmbræ reddantur, ab Sole nunquam abſiſtens.* Stellam matutinam vocat Pariſienſis Academia D. Thomam; quia velut ſol alter, diem illibatæ doctrinæ maturans & perficiens, ſolus vmbram facit, obſcuratque, quoſuis alios tanti

ſyderis æmulos, quia à ſole nunquam abſiſtit, nec deuium à veritate tramitem ſignat ſequacibus ſuis.

Tolosana Academia hoc accepit ab Vrbano 5. diploma in tranſlatione Corporis ſacri beati Thomæ. *Volumus inſuper & tenore preſentium vobis iniungimus, vt beati Thomæ doctrinam tanquam veridicam & catholicam ſectemini, eamque ſtudeatis totis viribus ampliare.* Salmanticenſis profeſſores ſuos hoc Iuramento adigit, emiſſo die nono Iunij 1627. *Iuro in quotidianis lectionibus, quas in Academiâ vel Cathedræ moderator, vel voluntarius profeſſor legero; me docturum atque lecturum in Theologiâ Scholaſticâ doctrinam S. Aug & concluſiones D Thom quas in Summâ Theologicâ docet, vbi horum SS. mens aperta fuerit; vbi verò anceps & dubia, nihil docturum neque lecturum quod eorum doctrinæ aduerſari ſenſerim; ſed quod iuxta meum ſenſum, vel eorum qui diſcipuli SS. Aug. & Th. cenſentur, SS. Patrum doctrinæ magis conforme inuenerim* Duacenſis concinit, electâque FF. Prædicatorum Eccleſiâ ad ſolitos Academiæ Conuentus, eleganti ſtatuæ S. Th. ſpeciem referenti, hanc ſubiecit Epigraphen, *S. Thomæ Aquinati patrono Academia Duacenſis.* Patauina, S. Th. Aquinati tanquam patrono ac Doctori ſuo, quotannis die illi ſacrâ parentare ſolet in Eccleſiâ Fratrum Prædicatorum; hoc ritu. In eam Profeſſores omnes, infulati conueniunt; Tùm ſacris peractis, vnus eorum ab ipſis electus, publicam habet orationem in laudem *S. Thomæ Academiæ Patroni.* Louanienſis denique Academia D. Th. adeò ſpecialem colit ac veneratur Patronum ſuum, vt non modo doctrinam illius & ſancti Aug. in omnibus rigido ac religioſo cultu tueatur; ſed & ſpeciali illius ſtatuto teneantur eius alumni, ad S. Th. nomen prolatum, nudato pronoque capite, humillimam illi reuerentiam exhibere, vt refert R. Pater Ioannes à S. Maria, in Vita S. Th. Gallicè ſcripta. Cap. 24. Audiſti Petre Medicorum ſpiritualium ſaluti tuæ conſulentium coeuntia ſuffragia, nec de ſanitate recuperandâ cogitas? malum omen, & deſperatæ ſalutis non leue argumentum. Fortè altiora ſapis, velleſque antequam Doctori Angelico faſces ſubmittas, auribus tuis diuina inſonare oracula? libenter tibi, ſacri Oecumenici Concilij Tridentini fores reſerabo, ducetque Te ante venerandorum Patrum conſeſſum B. Camblat Profeſſor Theologiæ con-

ſummatus, Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ. Ille enim in Inſtitutionibus Theologiæ Angelicæ, ſic habet [Quo cultu S. Th. Aquinatis doctrinam venerati ſint Concilij Tridentini Patres, vel hoc vnum plus ſatis explicat; quod cùm ſacrum Euangeliorum librum, cæteraſque ſacræ ſcripturæ paginas ſuper altare pro more iuſſiſſent reponi, vt certiſſimam ſuarum definitionum regulam; vnam voluerunt ijs adjungi S. Th. Summam; *Ad quam vt ad Lydium lapidem, ſi quid ambiguitatis, ſi quid controuerſiæ exortum fuiſſet, communibus votis referendum exiſtimabant*; inquit Orator eiuſdem Oecumenicæ Synodi inſignis Magiſter F. Ioannes Gallo Ordinis Prædicatorum. Sicut enim de ſancto Hieronimo, ita & de ſancto Thoma, in illa ſacro-ſancta Synodo habita fuit concio, quæ extat in libro de Orationibus habitis in Concilio Trid. impreſſo Louanii 1567. *Vix quiſquam enarrare ſufficeret, quot vir ſanctiſsimus atque doctiſsimus Theologorum praconiis celebretur: quantumque illius illibata doctrina a SS. PP. in ſacro-ſancto Concilio Oecumenico Tridentino fuerit acclamatum*; inquit Cardinalis Baronius in notis ad Martyrologium Romanum die 7. Martij.

Opuſc. 2. de auctor. doctrina D. Thoma.

At certè quid adhuc maius, narrat oculatus, iſque grauiſſimus teſtis tunc, Doctor Didacus de Paiua Luſitanus. Celebratūr ſeſſio 21. quæ fuit 5. ſub Pio 4. Pont. Max. die 16. Iulij 1562. in qua ſtatuitur doctrina de communione ſub vtraque ſpecie & paruulorum. Viſum fuit legatis, opportunè decreto illi addi debere tanquam rem omnibus notiſſimam & indubiam, Chriſtum Dominum in vltima cœna ſuos Apoſtolos in Sacerdotes ordinaſſe illis verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*. Re accuratè diuque diſcuſsâ, ſententia illa Patrum animis iam inſederat; præſto erant ſuffragia; cum neſcio quis illorum palàm teſtatus eſt, videri ſibi D. Thomam ſentire Chriſtum dominum Verbis illis nihil aliud ordinaſſe, quam quod ſacroſanctum illud myſterium, in Paſſionis eius memoriam celebraretur. Mirum! Iuſſu Patrum affertur liber, notatur locus, diſcutitur; cumque varij variè eum interpretarentur, tantum ponderis in Concilij lancem iniecit ſola D. Thomæ auctoritas, vel etiam dubitata; vt placuerit Concilio potius decretum ſuſpendere, quam aliquid definire, ſenſu D. Thomæ in illam rem

Tom. 1. de SS. Serm. 2. de B. Thoma.

Luc. 22. v. 19.

3. p. q. 73. a. 5. ad 3.

nondum ſatis apertè cognito. Dilatum ergò fuit iudicium: Interimque de verâ circa hoc S. Doctoris mente fuit diſputatum: Cumque tandem conueniſſent Patres in præfata aſſertione nihil contra Diui Thomæ Sententiam definiri, ſequenti ſeſſione fuit ſancita veritas: debitam (attende Petre & patulas exhibe aures) doctrinæ Angelicæ reuerentiam à tota Eccleſia hic diſcant inconſulti eius blaterones; & dum illa dubium etiam S. Thomæ ſenſum, tantopere reueretur, apertum inceſſere deſinant; niſi malint, ne quid durius dicam, inter peſſimos rerum æſtimatores haberi. Quod ſi adhuc ſibi liberum eſſe velint, in ſuo ſenſu abundare, ac in Theologiæ ſtudio *habere pro voluntate Sermonem*, vt Cæleſtini Papæ vocibus vtar, mihi quoque ſit liberum exiſtimare parum abeſſe, quin libera nimis ab Angelicâ doctrinâ defectio, iam ſit Apoſtolicæ ſedis iniuria. Nec minori cultu Doctrinam hanc Angelicam proſecuti ſunt in Concilio Florentino Græci Patres, admirati Latinos tantâ præpollere argumentorum ſubtilitate; vbi enim iam compertam habuere tantam rei literariæ ſupellectilem, vnam eſſe Aquinatis Summam; eam verti Græco Idiomate curarunt; ſicut & abhinc Hebraico ſcriptam habemus, vt non minus totius orbis, quam Latinæ Eccleſiæ foret oraculum.] Hæc Camblatus Veritatis propugnator acerrimus.

Eia Petre, inter tot ſplendores adhuc cæcutis? deliros, infatuatos, fatuos vocas ſequaces & veneratores ſolis, cui tota ſupplex inclinatur natio literaria: quem tot cœtus religioſi & Academiæ Præceptorem ſibi aſciuere & Patronum; ipſæque Synodi Oecumenicæ, inſigni elogio honeſtarunt? Spiro, inquis, aliquid altius & eminentius. Vis ſupremos Pontifices? coëunt plurima primæ magnitudinis aſtra, ſupremaque oracula, vt lucem & venerationem concilient doctrinæ Thomiſticæ; quam Ioannes 22. in ipſo Canoniſationis Sancti Diplomate, ſpeciali infuſione partam aſſerit; vnde & in lectionibus Breuiarij Romani pro feſto ſancti Thomæ, Eccleſia voluit hæc legi: *Qui etiam ſodali ſuo fratri Reginaldo dicere ſolebat, quicquid ſciret, non tam ſtudio aut labore ſuo peperiſſe, quam diuinitùs traditum accepiſſe.* [Vbi opportunè referri poſſe exiſtimo, (inquit iam laudatus Camblatus,) quod olim Dominicus Epiſcopus Torcellanus tùm, po- Ibid.

ſteà Brixienſis, lecto illo diplomate dixit; *Hæc vel ſimilia non dixit* (ſummus nimirum Pontifex) *de alijs, ideò videtur, quod non poſſit tangere hæc ſedes doctrinam eius, ſine hoc quod ſeipſam quodammodo tangat*] idemque Ioannes XXII. dixit ſanctum tot patraſſe miracula quot ſcripſit articulos. Innocentius VI. in ſerm. Ecce hic, &c. *præ cæteris exceptâ Canonicâ, habere proprietatem verborum modum dicendorum, veritatem ſententiarum: Ita vt qui eam ſecutus fuerit, nunquã inueniatur à veritatis tramite deuiaſſe; & qui eam impugnauerit, ſemper fuerit de veritate ſuſpectus.* Vrbani V. Elogium audiuimus iam in diplomate ad Academiam Toloſanam directo.

Pius V. in Bulla quæ incipit, *Mirabilis Deus*; vocat ſcripta eius, *certiſſimam Chriſtianæ doctrinæ regulam*, quâ S. Doctor Apoſtolicam Eccleſiam, infinitis confutatis hæreſibus, illuſtrauit. Clemens VIII. in Epiſtola 1. ad Neapolitanos, datâ 1603. ait; *Piè prudenterque cogitatis de nouo adſciſcendo ciuitatis Patrono, Ciue veſtro, diuinæ voluntatis interprete, vitæ ſanctitate & miraculis claro, Thoma Aquinate, cuius doctrina tantum fuit tributum, vt Chriſtianæ eruditionis ſuæ, diuinum etiam illud habeat teſtimonium, Bene ſcripſiſti de me Thoma.* Idem Pontifex in ſecundis literis eodem anno & ad eoſdem datis, ait. *Hic ſiquidem honor eius virtutibus cum admirabili doctrinâ coniunctis, optimo iure debetur: ac doctrinæ quidem teſtis eſt ingens librorum numerus, quos ille breuiſſimo tempore, in omni ferè diſciplinarum genere, ſingulari ordine, ac mira perſpicuitate, ſine vllo prorſus errore conſcripſit.* Tandem denique Alexander VII. in diplomate ſuo ad Academiam Louanienſem an. 1660. die 7. auguſti. *Non dubitamus, quin vos pro ſingulari ſcientiæ pietatiſque ſtudio, ſanam & incorruptam, qualem tot Apoſtolicæ ſedis declarationes & ſanctorum Patrum traditiones requirunt, doctrinam ſemper amplexuri, & aduerſus Orthodoxæ religionis hoſtes defenſuri ſitis. Necnon præclariſſimorum Eccleſiæ Catholicæ doctorum Auguſtini & Thomæ Aquinatis inconcuſſa, tutiſſimaque Dogmata ſequi ſemper, vt aſſeritis, ac impensè venerari velitis: quorum profectò ſanctiſſimorum virorum penès Catholicos vniuerſos ingentia, & omnem laudem ſupergreſſa nomina, noui præconij commendatione planè non egent.* Ad hæc ſi quis adiungat, triplicem Chriſti de cruce penden-

tis, operum diui Thomæ comprobationem, *Bene ſcripſiſti de me Thoma*, nihil vltrà exquirendum.

Iam redeo ad te Petre, nec ſine cauſa coniectam in imam velut ſpeculi concaui ſuperficiem, tot teſtium ac oraculorum nubem tibi oppoſui: deſumo enim ex reflexâ eiuſdem ſpeculi in oculos tuos ſpecie, proteruiæ tuæ ineluctabile argumentum. Attende tibi, vt collato pede decertemus ambo, qui Cyriacos hæreſis inſimulas, quia benè affectos ad Diui Thomæ doctrinam, quam tot cœtus Religioſi, tot Academiæ, tot Concilia, tot Pontifices, ipſeque Chriſtus, comprobant & laudant; Tu ne Catholicus? Ex ore tuo volo huius rei experimentum trahere. Argumento ad formam ſyllogiſticam exacto, te conuenio. Quæcumque doctrina à ſenſu ſummorum Pontificum abiungitur, aut hæretica eſt, aut confinis hæreſi; doctrina enim ſedis Pontificiæ, eſt lapis Lydius Catholiciſmi puri ac probati terræ, purgati ſeptuplum. §. 15. agnoſcis verba tua? ergò ſecundum Te, doctrina tua non eſt Catholica, ſed Hæretica aut confinis Hæreſi, ſi à ſenſu ſummorum Pontificum abiungitur: At quid ſentiunt ſummi Pontifices de doctrina Diui Thomæ, quam vellicas & exhorres? Audiſti iam: Ioannes XXII. ait, poſt Apoſtolos & & primos ſanctos Doctores, plus alijs eccleſiam Dei illuſtraſſe Diuum Thomam; totque feciſſe miracula, quot ſcripſit articulos. Innocentius VI. Qui eum tenuit, nunquam à veritate deflexit; ſuſpectuſque omnis qui illum non ſequitur. Paulus IV. doctrinam eius, vocat doctrinæ regulam Chriſtianæ. Clemens 8. nominat eum, Diuinæ voluntatis interpretem. Alexander 7. doctrinam eius intactam & inconcuſſam declarat, etiam poſt damnatas 5. propoſitiones. Hæc ſunt iudicia, hic ſenſus Pontificum, hic lapis Lydius Catholiciſmi puri ac probati terræ, purgati ſeptuplum. Cum ergo ab hoc ſenſu Tu procaciter abiungaris (quia ex his omnibus capitibus doctrinam Angelici Præceptoris traducis & irrides vt conſtabit legenti verba tua, huic reſponſioni præfixa, deliroſque ac fatuos voces §. 5. qui ei adhærent, eademque loquuntur quæ Pontifices) quomodo Te Catholicum credam, qui iuxta effatum tuum, Hæreticus es aut hæreſi confinis? Forſan Chriſtianus? Chriſtianus, inquit *Auguſtinus*, à Chriſto dicitur, quaſi Chriſto adhærens &

obediens, quid ergo prodeſt vocari quod non es, & nomen vſurpare alienum, cum Chriſto non acquieſcas dicenti, *Bene ſcripſiſti de me Thoma*, prout ipſemet Clemens VIII. teſtatur vbi ſupra? Non es itaque, Petre, Chriſtianus, cum ſis à Chriſto ſic diuulſus.

Vltrà progredior; nec quidem es homo, qui impetu abduceris, non ratione. Caue itaque ne tibi illud Chriſologi reponatur: *Non-ne tibi videtur ipſis beſtijs beſtialior homo, ratione vigens & ratione non vtens?* Hoc ille dicit de prodigo, qui è domo paterna, in qua veſcebatur pane filiorum, delapſus ad ſtabulum, ingurgitatur ſiliquis porcorum: quid de Te, qui abiectâ doctrinâ Angelicâ, quâ ex commendatione Paternâ, totque Pontificum comprobatione paſci debueras; doctrinis peregrinis inhias, cum quibus fame peribis, recumque peribunt, quos à Thomiſticâ filiorum menſâ abducis, vt damnes ad ſiliquas?

Illuſio. Hinc videris mihi ſimilis nocturnis illis ignibus, quos *fatuos* vocant: dum enim inchoatâ nocte, obmuteſcentibus amnium vndis, faces interdum aliquot ex ſtratis fluctibus emergunt; & voces, tanquam viarum indices, peregrinos ad ſe, non obſcuro clamore euocant: ſpectra ſunt hæc, & infœlices ſpiritus, quibus nihil eſt hominum ruinâ potius, qui in omnibus prope fluminibus nocturna hæc incendia excitant; incautique viatores dum his vtuntur ducibus, ſe plerumque, vel nodoſis vorticibus implicant, aut cœnoſis paludibus impediti, vix emergunt. Quo, amabo! nos vocat, dum à ſancto Thoma euocat *fatuus ignis*, Pſeudo-Petrus, non Catholicus, non Chriſtianus, non homo, ſed infœlix Genius, ſpectrum perſonatum? Miſerabili letho cupit nos inuoluere, fluctibus peregrinæ & ſuſpectæ doctrinæ; Ex ore ſi quidem Innocentij 6. ſemper fuit de veritate ſuſpectus qui à D. Thoma aberrauit. Ad præcipitium vox infauſta & nocturna ducit; non oſtendit iter, ſed barathrum; vox malè ominoſa, triſte ſonat; dum vt ab Aquinate auertat incautos, petulanti audaciâ, ea ridet & impetit, quæ ſummi Pontifices calculo ſuo obſignarunt; ſicque in vortices aut foueas, præcipites agit. Vix quiſquam enarrare poſſit, inquit Baronius iam adductus, quantùm D. Thomæ *illibata doctrina*, à ſanctis Patribus, in Concilio Trid. con-

ſedentibus fuerit acclamatum: Tu verò maculatam dicis, quam Synodus œcumenica illibatam agnoſcit? *Qui eam tenuit, nunquam inuentus à veritatis tramite deuiaſſe*, inquit Innocentius 6. & tu Pontifice ſapientior, veracior Oraculo; in hæreſim lapſos clamitas Cyriacos, quia eam tenent & indiuulsè amplexantur? Idem Pontifex ſubijcit: Qui eam impugnauit ſemper fuit de veritate ſuſpectus: ſuſpectus ergo de veritate & mẽdacij cõuictus Pſeudo-Petrus, qui eam impugnat. Audi Clementem 8. & tanta Pontificũ nube & mole obrutus, incipe ſapere. Aquinatis doctrinæ tantum fuit tributum, vt Chriſtianæ eruditionis ſuæ diuinum etiam illud habeat teſtimonium, *Bene ſcripſiſti de me Thoma*. Qui ergo Eccleſiam & Eccleſiæ viſibile caput non audit, ſit nobis tanquam Ethnicus & Publicanus. Quid amplius blateras & fingis, paratos Cyriacos mori pro doctrina ſui ſancti Præceptoris; de ſuggeſtu ſacro fuiſſe proclamatum? Sola eſt fides diuina, virtuſque Chriſtiana, pro qua fundendus eſt ſanguis Chriſtiano. Verùm ſi extra illam, doctrina aliqua mereretur (quod nemo hucuſque cogitauit) illud Priuilegium, quæ potiori iure hunc ſortiretur euentum quam Angelica D. Thomæ, quam tot cœtus Religioſi & docti, tot celebres Academiæ, tot œcumenica Concilia, tot ſummi Pontifices, Chriſtus ipſe de cruce pendens approbauit? Lege tamen Spondanum, Epiſcopum Apamiarum in Gallia Narbonenſi, continuatorem Baronij, virum doctum, pium & grauem qui paratum ſe dicit multoties vitam & ſanguinem profundere pro defenſione vnius propoſitionis, quam conſtat non eſſe de fide. An. 1350. n. 23.

Sed, inquies, ventilant Cyriaci D. Thomam eſſe regulam fidei, omneſque libros eſſe ad illam normam exigendos & caſtigandos? At non regula viua, quia hoc proprium ſummi Pontificis; nec mortua, eo quod ſecundum principia fidei; hoc ſoli canonicæ Scripturæ adſcribendum. Sic diſcurris infra §. 8. Cæcutis Petre, vt video; priuſque venis erudiendus quam caſtigandus. *Supinitas*, Diſce ergò duplicem eſſe regulam veritatis ſeu fidei; regulantem ſimpliciter vnam, nec aliunde regulatam: regulatam alteram, ſimul & regulantem. Quando quidem ad ſublimia nequit aſſurgere hebes animula tua, ruſtica progenies; ruſtico ac populari exemplo te ad ſaniora traducam. Extat

in quauis Ciuitate primariâ ac Metropoli Prouinciæ, menſura quædam fixa, immutata & inuariabilis, librandis aut metiendis mercibus apta. Ad huius imitationem fiunt aliæ menſuræ, vrbibus minoribus ac pagis propriæ; quæ vbi minuuntur, augentur, aut adulterino quouis errore, à primæuâ illâ menſurâ deſciſcunt, irritæ ſunt ac prohibitæ, donec primariæ concordent, quæ dicitur regula regulans, nullatenus regulata: cæteræ ſunt regulatæ ab illa prima & ſuperiori, regulantque inferiores. Intelligis hæc, mi fratercule? aſſurge nunc ad altiora.

Deus eſt prima veritas. In cælo, primus huius veritatis ac voluntatis increatæ interpres, eſt ſupremus omnium Angelus, qui in alios lumen veritatis effundit. En tibi regulam creatam ſimpliciter regulantem in cæleſti ciuitate ac Metropoli: Alij in alios ſibi inferiores Angelos, ſucceſſiuâ infuſione lumen propagant, & dicuntur regulæ regulatæ à primo Angelo; & regulantes ſibi ſubiectos ſpiritus. Idem videre eſt in humana Metropoli. Chriſtus caput eſt Eccleſiæ: Eccleſia autem Oraculum viuum, regula animata, infallibilis diuinorum interpres. En tibi regulam fidei non regulatam à quocumque puro homine, ſed regulantem omnes. Thomas ſub hâc normâ dirigente conſtitutus, diuina promit eloquia, diuina interpretatur oracula. En regulam fidei, non quidem regulantem ſimpliciter, cuiue infaillibilitas ſit promiſſa, vt Eccleſiæ: ſed regulatam à *primâ* & *ſecundâ*, cæteraſque ſub hâc regulantem; cui datum à veritate nunquam deflexiſſe; *Certiſſima eſt Chriſtiana regula doctrina* inquit Paulus 4. vbi ſuprà, & Ioannes 22. in Bulla Canoniſationis eiuſdem. *Omnem ſuam verbo vel ſcripto doctrinam ad eiuſdam Eccleſiæ normam fidei deuotione reduxit.* Ne mireris ergo Petre, ſi tantum Doctorem, orbis Oraculum, tot Academiarum & Pontificum encomijs celebratum, laudibus quoque euehat inſolitis, nec tamen meritis eius æqualibus, D. Thomam ſchola Thomiſtica. Longè plura Conimbricenſes, licet à Te intacti, de Sodali ſuo, tanta intercapedine Doctori Angelico inferiori, Suareſio cecinerunt, vt vocarint Alexandrum magnum, vnum Apollinem, communem orbis Magiſtrum: à quo Philoſophiæ & Theologiæ candidati omnes reſponſa in dubijs referant, Delphicis multo Oraculis certiora.

In præfat. Tom. 3. de relig.

Verùm ad Te redeo: dum amore ſancti Thomæ infatuatos Cyriacos profanâ dicacitate intonuiſti: Intelligis quod dicis? Infatuatus erga aliquem amor dicitur, cum ſine causâ & longe ſupra meritum diligitur. Aliunde miraculum dicimus, quod ſupra communes naturæ vires, ſolitumque rerum tenorem, elatum eſt. His ita prælibatis; dic Petre; Si detur aliquod obiectum, omne meritum commune excedens, imò pertingens vſque ad miraculum, numquid etiam affectu extraordinario venit colendum, elogijs inſolitis venerandum habereturque delirus, fatuus, impius, qui miraculo negaret obſequium ſingulare, ſuperexcellens, nec commune? Huic veritati ſine dubio dabis vltroneas manus; aliàs vnita omnium manus vniuerſo te orbe exturbaret. At quem huius quæſtionis arbitrum & iudicem ſtatuemus, qui ſupremo iure decernat quovſque pertingat D. Thomæ doctrina & meritum; an vſque ad miraculum? Scio quia delicatus es, ſuſpectuſque Tibi, quicumque Tibi non applaudit. Dabo itaque in iudicem, virum tibi notiſſimum, amiciſſimum; *intraneum* (da locum huic vocabulo) & qui eſt *alter Tu*. Quis ille, inquis? Theophilus Raynaudus, nulla ratione tibi ſuſpectus. Hic iudicet, hic decidat & indicet quid de doctrina D. Thomæ ſit ſentiendum. Si enim ille mirabilem eam pronuntiet & vſque ad miraculum extollat, causâ cecidiſti, & tanquam delirus, fatuus, maledicus & impudentiſſimus nebulo ablegaberis à ſocietate hominum, ad ſtabula porcorum. Audiamus itaque illum in clauſura Parænetica pro Leſſio adiuerſus Barneſium. *Quid ſingulatim eos numero? Quæ ſemper Sancti omnes, mundo & Erebi caſtris infeſti:* (attende quem locum aſſignet tibi amicus tuus) *ſcelus ſit de S. Thoma tacuiſſe. Intellige quod dico, & ex præteritis preſentia æſtima, ac futura proſpice. Quis & quantus S. Thomas Aquinas. Nempe ad miraculum doctus*, (Audin Petre?) *Ad miraculum in doctrina ſolidus. Ad miraculum accuratus atque ordinatus; profundus, acutus, perſpicuus; omnibus probati ſcriptoris ac Theologi dotibus eminentiſſimè inſignis. Parcè ac iejunè hominem commendo, priuatâ quacumque commendatione ſuperiorem, & commendarunt Eccleſiæ capita verbis ampliſſimis, quæ apud Aquarium in controuerſiarum Theologicarum calce, paſſimque alibi pro-*

Contumelia.

Contradictio

Num. 9. p. 781.

ſtant. Hic vir talis tantuſque, ſuos aliquando Barneſios nactus eſt, eorum ſuffixionibus patuit, dentes ac morſus non effugit, ita vt poſteros puduerit, eorum quæ in tantum virum eiuſque ſcripta, per paucos Capitoſos, malignè ac nequiter patrata fuerant, nihil affinxi. Hæc amicus tuus Petre; & cum inter amicos omnia ſint communia, tuumque reputes quod eſt amici tui; Tuum teſtimonium Tibi ipſi obijcimus, Te ipſum Te ipſo Tundimus, & ex tam ridiculâ diſcrepantiâ, non cum homine qui ridiculum vllum hominem (minus ſanctum Thomam) efficere poſſit: ſed cum eo, cuius iudicium ridendum vniuerſim & exſibilandum, vt hominis ſummè ridiculi & nulla mente præditi, haberi debeat, rem mihi eſſe profiteor. Hinc liquet te non iudicio ſed præiudicio; non ex rebus ipſis, ſed ex affectu tuo, pro mobilitate paſſionum alternante, ſententiam de doctrinâ D. Thomæ protuliſſe in tuo tenebrione, quæ ſuâ ipſâ leuitate, quaſi ſpuma turbati animi, defluat.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Fingit Cyriacum Iudaïcâ impietate expirantem.

§. 5. *ET in primis quod veſtis S. Dominici reddat immunem ab hæreſi eum qui ſemel illam induerit, eſt aperta accuratio. An enim eam veſtem non induerant Martinus Bucerus, Ioannes Palæologus Romæ ſub Gregorio 13. combuſtus, Petrus Paulus de bellis, Agatnus, & alij in hæreſim prolapſi ac hæreſi immortui; quorum nomina de conſilio Bracharij ad Ianuarium, præſtat premere? quid ille trans Pyrenæos Prouincialis, qui ſub horam mortis, aduocato cœtu Fratrum, iuſſit allatum ſilicem immergi vaſi aqua repleto; & eductum, extrinſecùs planè madentem, findi impacto malleo, addita ea ad Fratres allocutione?* Silex iſte, exteriùs aqua perfuſus, interiùs tamen ſiccus & arens eſt, æque ego viſus ſum perfuſus aquâ Baptiſmatis; interiùs tamen manſi ſiccus, & nullo imbutus humore, ac in tali ſtatu apponor ad Patres meos Hebræos; *Sicque fœdum Spiritum expuit, non hæreticus duntaxat, ſed etiam Apoſtata à fide, & tamen veſtem Cyriaci prætulerat.*

RESPON-

RESPONSIO.

CHARITATIS Chriſtianæ & ſuperecximiæ qua æſtuas Petre, non leue argumentum erit erga Ordinem Prædicatorium, quod pro moderatione ſolitâ, duo tantum illi impingas, quæ leuiſſimi vel nullius ſunt momenti; Hæreſim nempè & Iudaïſmum. Minutiora ſunt hæc, vt tantillis læſa Cyriacorum patientia, excandeſcat. Quid autem his duobus intercepti ſcopulis, reſpondebunt; aut quâ arte ſe expedient: vtroque exitu præcluſo? Ordinem hunc obſeruabunt, debitus veritati locus non denegabitur, fatebunturque candore innato, quæ ſanguineis lacrymis vellent eluere probra, quibus pauculorum funeſtâ deceſſione, totius corporis decor infuſcatur & palleſcit: aliunde tamen, impacta ictu contumelioſo calumnia, alto Spiritu depelletur, vt ſic, libratâ ad pondus Iuſtitiæ trutinâ, hinc aduerſarij conſtet feritas, dum gratis ſæuit; illinc proteruia, dum gratis fingit: modo addens afflictionem afflicto; modo, inſonti affingens infamiam, & ex vtroque capite, non humana, ſed diabolica Valcluſini procacitas. Duplici tentamento, dupliciter occurritur; & primò circa hæreſeos improperatam labem, vt poſtmodum, Iudaïcæ prauitatis irrogatum dedecus expurgetur.

Impreſſum ſibi lamentatur Religio Dominicana inſanabile vulnus; quæ dum gnauos Euangelij præcones, & immenſam Martyrum turbam è ſinu ſuo emittit in ornamentum & præcellens decus fidei Catholicæ; intercepêre feſtiua matris gaudia, Abortiui quidam fœtus & infandi transfugæ, qui à fide ad hæreſim deſciuerunt. Fatetur hoc ſingultibus oppreſſa Genitrix, cogitque me Pater ſanctus Dominicus, infandos partus abhorrens, dicere cum Poëta fraternos deteſtante erratus:

Ouid. *Quærebam Fratres, exceptis ſcilicet illis*
Quos ſuus optaret, non genuiſſe Pater.

Luget & languet his pulſata defectionibus Cyriaca Religio; *Anguſtia*, inquit, *poſſedit me quaſi anguſtia parturientis; emarcui cum viderem*, in tanta liberorum ſege-

te, quos in gloriam Chriſti & Eccleſiæ fœlix ſinus emiſit; repertos pauculos quidem, ſed in quauis paucitate nimios, transfugas qui viperino dente materna viſcera diſcerperent. Sed debuerat-ne Vir, vt dicitur Chriſtianus, Catholicus, & aliquid ampliùs; addere afflictionem afflictæ; & ſignatis ex propriis ſingulorum nominibus, (ne quis ignoraret) infandæ deceſſionis ſocijs, adhuc crudeli inſultatione, ſilentio premendos jactare, quos jam nominauit: & alios non tacuiſſet, ſi indago propria & alienæ relationes vndequaque emendicatæ ſuggeſſiſſent? Reticentia omni declaratione nocentior, quæ quos ſilet, multiplicat; inſinuans lectori hoc fraudulento ſilentio, obductam ſipario, transfugarum numeroſam multitudinem, quam ex charitate ſuppreſſit; cum in rei veritate, nullus præter præfatos ſuperſit quem obtrudat. Habet tamen inter hos mœſtiſſimi ſtatus acores, non leuia ſolatij argumenta, afflicta Mater; ejectis quæ computruerant, cætera liberiori aëre membra excreſcere: repertum in Collegio Apoſtolico traditorem, qui nullatenùs Fratrum euacuauit maieſtatem: in cœtu Angelorum, non paucos Apoſtatas, quorum caſu, nullatenus obſcurata eſt, ſed inclaruit Cæleſtis domus: exijſſe ab Eccleſia Catholica Arios, Pelagios, Lutheros, Caluinos, nec his dehoneſtamentis detritam, ſed nouo potius fulgore micantem parentis gloriam. Quid etiam mirum, in tanto rerum humanarum æſtu ac temporum malitiâ, ſi quinto jam inclinante ſæculo, à quo exortus eſt Ordo Prædicatorius, quatuor aut quinque tantum notari potuerint à furenti indagatore, transfugæ: cum proh dolor! reperiantur cœtus, qui ſingulos ſæculi annos, ſingulari ſuorum defectione obſignent? Iam à pluſquam decem annis corraſit vndique irreligioſâ ſedulitate aduerſarius, quoſcumque potuit inuenire Dominicanæ familiæ Alumnos, à fide Catholicâ extorres; nec potuit inſanus labor, quam quatuor aut quinque ſuggerere; quorum adhuc alter, Petrus Paulus de bellis, chimericus, gratis confictus vt impoſturæ daret locum §. 151. Dicebat Auguſtinus: *Quantumlibet vigilet diſciplina domus mea, mihi arrogare non audeo, vt domus mea melior ſit quam Arca Noe, vbi tamen inter octo homines reprobus vnus inuentus eſt: aut melior quam cohabitatio ipſius Domini Ieſu Chriſti;*

Crudelitas.

in qua vndecim boni, perſidum & furem Iudam tolerauerunt: aut melior poſtremò quam calum, vnde Angeli ceciderunt.

Natura licet prouida nequiuit impedire quin fulgentiorum ſyderum maculata facies, opera ſua aliqualiter dehoneſtet: cum & in ipſo ſolis Globo, nigricantes quædam Notulæ, attentas Aſtrologorum inſpectiones non effugiant. Verùm huic probro, preſens & inſigne remedium adhibuit prudens Mater: congeſſit enim in corpus Solis, immenſum lumen, cuius interſecantibus ſe ſplendoribus, tecta & obducta foramina maculoſa, nobis neç nigricant, nec palleſcunt, nec apparent, domeſticis illuſtrata fulgoribus. Quatuor aut quinque obtrudis à fide deuios, gemebundæ Parenti; quæ pro quinque, quinquaginta offert & ſubrogat, inuictos & Purpuratos fidei Pugiles, ex eodem ſinu quo transfugæ, enatos; vt paucillimæ gentis infauſtos lapſus, compenſet, vtique cum vſurâ, præfulgentium ſyderum numeroſa cohors; & obuelet micante ſipario patentes rimulas. Tot huius rei teſtes adduco, quot ſunt Poloni: víget enim adhuc celeberimi facinoris memoria, referuntque præter alios, Mathias Michouius, *a* Martinus Chromerus, *b* Michaël Pius. *c* An. 1260. dùm clauem Eccleſiæ teneret Alexander IV Scythæ & Tartari, Religionis Catholicæ infeſtiſſimi hoſtes, agmine facto irruunt in Poloniam; & interceptâ vrbe Lublinenſi, Sandomiriam aduolant, deuaſtant, incendunt. Nocte præcedente eam cladem: F. Sadochus Prior cœnobij Prædicatorum, dum ferro & igne cuncta circumjacentia deflagrarent; deuotiſſimo Fratrum grege vtrumque latus cinctus, in Eccleſiâ dum perſoluendo Officio diuino mediâ nocte intereſt; pro antiquo more Religionis, Tyro ſeu Nouitius Indiculum Martyrologij ad diem ſequentem recinens, extemplò literis aureis exaratos in Libro Charactres aduertit eum in modum. *Sandomiriæ Paſſio 49. Martyrum.* Ad primum huius nouitatis aſpectum, legat an taceat, dubius hæret ac pendulus: timore tamen abiecto, Cygneâ, licet tremulâ voce, recitat aureum & futuri præſagum edictum. *Sandomiriæ paſſio 49. Martyrum* Accurrit Prior ſenioreſque inauditam lectionem exploraturi; vident quod Nouitius legerat, legunt, relegunt, dum exſaturatâ piâ

a *L. 3. c. 4. de rebus Polon.*
b *L. 9. de Polon.*
c *1. p. l. 2. col. 333. apud Fernandem.*

curioſitate, inter manus Fratrum legentium aurei illi Characteres ſenſim euanuere. Diuina eſt (ait Prior) hæc præmonitio, Fratres, hoc nobis prænuntiant cælitùs exaratæ illæ Notulæ; Prophetica vox intonuit, nos de imminente morte præmonens; Eja! Paremus nos ad aduentum Sponſi qui inſtat, & per gladios ancipites, hilari pede vocantem ſequamur. Sacrâ Exomologeſi ſuos ſinguli reatus expiant, roboratique ſacro viatico, intrepidi Chriſti Pugiles præſtolantur hoſtes fidei; qui reliquâ vrbe vaſtatâ inuolant in Conuentum & Eccleſiam Dominicanorum, Fratreſque velut Cygnos, extremam illam hymnodiam, *Salue Regina*, Matri miſericordiæ, vnà ſuauiter concinentes, trucidant omnes ad vnum, immerguntque ſanguinolentas manus 49. Dominicanorum innoxio cruori.

Hæc, Petre, Chriſtianæ ac Catholicæ fidej glorioſa meſſis, nunquid quatuor aut quinque deuiorum lacunam complet & illuſtrat? Perficiendus eſt numerus; & vt loco quinque, quinquaginta reponantur, ſuperaddendus venit Melchior Moſticenſis, generalis eiuſdem Poloniæ Inquiſitor ann. 1559. ſub Paulo IV. Cum enim Brentius & alij Germaniæ hæretici obtuliſſent Sigiſmundo primo, Regi Poloniæ, blaſphemas ſchedulas ad ſubſcribendum, & ſordidante hæreſi infectas, velletque Rex deceptus ſubſcribere, ipſis que diſſeminandi ac prædicandi in Regno Doctrinam ſuam, licentiam concedere; Melchior ſubingreſſus dum hæc fierent, intrepidâ ac Apoſtolicâ libertate, porrectum iam Regi calamum, de manu excuſſit; ſchedas hæreticorum diſcerpſit, eoſque coram Rege, viua voce ac tonanti ſpiritu confundens, repulit in Germaniam, hæreſique ne in Poloniam ſerperet, viam præcluſit, fidei Athleta inuictiſſimus; vt teſtantur Miechouius & Fernandes: Nunquid, Petre, quinque imbellium defectionem, quinquaginta heroes eluent? Hæc profectò Chriſtiana Charitas prædicare debuerat in Eccleſiæ Orthodoxæ ſummum decus, præteritis ijs quæ cum maximo eius dehoneſtamento vulgaſti, vt Cyriaco Ordini lethale probrum inureres: veluti muſcæ, ſalubre ſi quod offendunt prætereuntes; ad vlcera verò properantes; & ſicut vultures prata amœna, & odora loca circumuolantes, ad tabida loca & fæculenta accurrentes, vt inquit S. Baſilius.

Diſc. 311. nu. 30.
In concert. præd.
Procacitas.
Hom. 11. var. argum.

Mutat ſedem, mentem non mutat Aduerſatius; ab hæreticis ad Iudæos, æquè infœlici greſſu demigrans, aſſuetus mendaciis animus. Verùm caſſa effluet iſta tua jactatio, nec Te fuga ab hæreſi ad Iudaïſmum iuuabit quicquam, quia tecum fugis, nec inuenis hoſtem niſi fingas. Ecquis Prouincialis ille anonymus & Iudæus, cum ſi vel primis labris, ſacras Moſis paginas delibaſſes; non ignorares Hebræos, Binomios fuiſſe & Trinomios: Tu verò nec vnum nomen perſonati huius Iudæi agnoſti, alias non taceres. Dic amabo, cuius Regni fuit incola? Reſpondes, vltra Pyrenæos. Vaga ſolutio. Cuius Prouinciæ, Catalauniæ, Aragoniæ, Murciæ, Caſtellæ, Bœticæ? Non dices nobis, quia ignoras, nec figmentorum datur ſcientia. Verùm à quo accepiſti nugacem hanc Tragi-comediam? à ſecularibus? non interſunt religioſo viro animam efflanti in Conuentu; maximè dum Prouincialis aut Prior occumbunt, quos vniuerſa Fratrum cohors venerabunda circumſtat. Fortè à Dominicanis excepiſti? quaſi verò pudenda ſua, ſi quæ ſint, iurato hoſti reuelarent, in eorum perniciem ferociter imminenti? ſicnè lectores ludificaris ridicule Trico? Caue tibi, ne ipſe ſis ſilex, qui aquâ Baptiſmi ſemel, & cruore Chriſti toties in ſacrificio perfuſus, interiùs tamen ſiccus & arens, ſicca foues viſcera, ſilicea & erga Cyriaeos, adamante duriora, in vltima ſenectute, adhuc Chriſtianæ charitati imperuius. Caue inquam, ne manens ſiccus & nullo humore imbutus, apponaris ad Patres tuos Hebræos, qui maledicta conjecere gratis in Chriſtum Domini; ſicut & Tu in Chriſtos eius: Eorum enim es Filius, quorum imitaris opera & veſanum furorem. At tu furorem ſapis Iudaïcum: vt quid enim Cyriacis irrogas quod non ignoras accidiſſe in altero cœtu, quem ex Religioſa veneratione, affectúque Chriſtiano taceo; narratque Balzacus ſcriptor Gallus in Socrate Chriſtiano, quem ſcripſit aduerſus Doctorem Louanienſem per modum Apologiæ, mihi pag. 373. & 374. in alia editione 151. & 152.

Impoſturæ.

Calumniæ.

Vis omnes intelligant quo animo erga Iudæos ac Iudaicam perfidiam affecti ſint Cyriaci? Diui Vincentij Ferrerij, viri planè Apoſtolici labores mente recole. An. 1412. præcipuam eorum Synagogam Salmanticanam ingreſſus Sanctus, dum ad preces conueniſſent, Crucifi-

xum manu geſtans, tanto animi zelo in eorum perui-caciam inuectus eſt; eoque loquente, dum miraculoſæ Cruces albæ ſuper pallia virorum, & linteamina fœminarum apparuerunt; Miraculo attoniti, Deoque interiùs operante emolliti vniuerſi qui aderant, omnis ſexus Iudæi, baptiſmo ablui petiere omnes à Beato viro; mutatâ ex tunc Synagogâ in Eccleſiam, quæ *vera crucis* dicitur, vbi nunc eſt Collegium Religioſorum ordinis Noſtræ Dominæ de Mercede, vt teſtantur Diana *a* Diagus *b* Spondan. *c* Viden' quo pondere Apoſtolico propendeant in Iudæos Cyriaci? An. 1291. ſub Nicolao 4. ſtudium generale erigitur in cœnobio Setabitano Cyriacorum (Hiſpanicè de Xatiua) in regno Valentino, linguarum Hebraicæ & Arabicæ, ad conuerſionem Iudæorum, & Saracenorum, vt refert idem Diagus an. 1263. ſub Vrbano 4. Barcinone in Domo Regia coram Iacobo Rege, totaque curiâ, frater Paulus, dictus *Chriſtianus*, Cyriacus, Doctiſſimum Rabinum Moyſem Gerundenſem in ſolemni diſputatione conuicit publicè, ac mutum effecit; teſte Michaele Pio. An. 1283. frater Raymundus Martini, Cyriacus, duo doctiſſima volumina edidit, ad conuincendam Iudæorum perfidiam apprimè neceſſaria: alterum inſcripſit, *Capiſtrum Iudaeorum*: alterum, *Pugionem Iudaeorum.* Ita Diagus. Tuneti ac Murciæ B. Raymundus de Pennafort, item Cyriacus, literarum Hebraicæ & Arabicæ ſtudium inſtituit ad eoſdem Iudæos conuincendos, qui & blaſphemos punit, vt idem Diagus teſtatur. Dicis, Nebulo, Cyriacum trans Pyrenæos ſeu in Hiſpaniâ, Iudaico ſpiritu ſpurcam efflaſſe animam. Scito tota Hiſpaniâ expulſos Iudæos, ſolo vt ita dicam, Cyriacorum ſeu Dominicanorum zelo & operâ. Vt enim infrà §. 126. latè declarabimus, cum à Rege Hiſpano Ferdinando, decreta fuiſſet eiectio omnium Iudæorum è ditione ſuâ, oblatâque immenſâ pecuniâ, Circumciſi obtinuiſſent edicti ſuſpenſionem, quod lapſu temporis in auras abierat; F. Thomas de Turre-cremata Cyriacus ac Inquiſitor Caſtellæ & Aragoniæ, zelo Dei accenſus, verbaque ſua ad Regem, cum Miniſtris ſuis de negotijs regni deliberantem dirigens, executionem edicti Regij petijt; & vt facilius obtineret, Crucifixum eleuans, quem ſub Cappa huc-vſque latentem geſtarat, conteſtatus eſt Principem

a l. 19. c. 8.
b l. 2. c. 64. de Epiſc. Carthagin.
c an. 1412. n. 8.
l. 1. c. 2.
2. p. l. 1. col. 43.
l. 2. c. 28.
l. 1. c. 15.

nomine Chriſti è cruce pendentis, vt hoſtes eius & Deicidas procul amandaret; adiecitque ſpiritu plane Apoſtolico, vt refert Poſſeuinus in Apparatu ſacro V. Thomas à Turre-cremata: *Nunquid ſatis eſt quod Dominum Iudæi triginta argenteis vendidere; quia adhuc de eo Iudæis reuendendo triginta mille aureis cogitatis?* Tantum ponderis obtinuit apud Regem pium hæc Dominicani Inquiſitoris vox intrepida, vt ſtatim executioni mandatum decretum, eiectique Iudæi. Hæc ſi attendiſſes impoſtor effrons, Cyriacis non affinxiſſet Iudaïſmum improuida & inſaniens calumnia.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Mentitur dicens Grabonem Cyriacum damnatum hæreſi in Conc. Conſtantienſi.

QVAM (veſtem Cyriacam) item præferebat F. Mathæus Grabon qui à Martino 5. & Concilio Conſtantienſi agentibus Petro Cardinali de Alliaco & Gerſone Academiæ Pariſienſis Cancellario, damnatus eſt de hæreſi, circa largitatem Eleemoſinæ ac paupertatem Euangelicam; & liber eius combuſtus. §. 6.

RESPONSIO.

EXCOCTAM diu rabiem deſpumans aduerſus Cyriacos laruatus ſenex, tribus lineis, tria eiaculatur tela, quæ ſi mortifeta dixero, à veritate non abludam. Obrendit notatam Matthæi Grabonjs, natione Saxonis, profeſſione Cyriaci doctrinam: damnatum hæreſi authorem: & ſimul (in quod præcipuè collimat) vltimo relaxatam propudio Religionem Dominicanam coram œcumenicâ Synodo. Primum non negamus; nec defendimus notata præfati Grabonis dogmata, quæ damnauit Pontifex Martinus cum Concilio. Damnatum volumus quicquid Eccleſia confixerit. Sed impudentiæ tuæ confundendæ occurrimus, dum propoſitionum authorem, hæreſi damnatum, contumelioſo ore proclamas. Certè oſtendis æquè *Calumnia.* Te imperitum ac procacem, cum ignores nullum dari ſine

pertinaciâ, Hæreticum. *Errare poſſum*, inquiebat Auguſtinus, *non tamen ero hæreticus*, quia non ero peruicax, ſed docilis ac obediens. Pauciſſimi ſunt ex antiquis Scriptoribus, qui innatâ humanæ fragilitatis mobilitate ac natiuâ caligine, in aliquem errorem non impegerint, vt latè oſtendit Sixtus Senenſis, Bibliothecæ ſacræ multis in locis: nec tamen propterea notantur hæreſi, quia & ſe, & ſcripta ſua, Eccleſiæ iudicio corrigenda ſubiecere; parati reuocare & eluere, quod illa reuocandum aut eluendum indixerit. Poſſe errare, humanum eſt: corrigere errata, dum imperatur, Catholicum: Hæreticum autem, errores obfirmatè tueri. At vt ex Spondano apertè conſtat; prædictus Grabo dum in Concilio Conſtantienſi quædam propoſuiſſet quæ fuere damnata; compulſus ea reuocare, reuocauit ſtatim, paruitque Martini 5. Pontificis ſic iubentis imperio, obedientiæ filius, in deuium tramitem errore humano abreptus, ſed redux, ac pedem reuocans ad rectum veritatis iter, Catholico famulatu, ſtatim ac juſſus. *Ipſeque eorum* (dogmatum, inquit Spondanus) *aſſertor, coactus ea abiurare & anathematiſare ibidem Conſtantiæ.* Damnatæ itaque ſunt propoſitiones, quia erroneæ: non tamen damnatus hæreſi author (vt oggannis) quia ſcripta ſua reuocauit, iudicio Pontificis plenè obediens. Gerſon ipſe quem adducis, in calce primi Tomi Hiſtoriam hanc retexens, obedientiam Grabonis exponit.

An. 1418. n. 5.

Et ex his tertia argutationis Tuæ clancularia machina diſſoluitur, planumque fit, non dehoneſtatam vnius oſcitatione & lapſu; ſed illuſtratam præpropero eiuſdem ad veritatem reditu, Religionem Dominicanam; cuius ſummè fulgens ſplendor & gloria apud Patres Concilij Conſtantienſis. Siquidem funeſto trium annorum ſchiſmate, tres Pontificatus Candidati contendunt; nec niſi electione Martini V. veri ac legitimi Pontificis, pax Eccleſiæ redditur. Adactus Concilij Decreto Ioannes XXIII. renunciat iuri ſuo: at nihil peractum, niſi Gregorius X. ac Benedictus XII. idem præſtent. Quis à nolentibus impetrabit? perſuaſionibus ac rationibus Ioannis Dominici Raguſini Cardinalis, ex ordine Dominicanorum aſſumpti, emollitur Gregorius; eiuſdemque Ioannis Legati ſui coram Synodo, ore, Pontificatui renunciat. Ita Leander Albertus. Supereſt Petrus de Luna, naturâ ceruicoſus,

L. 3. fol. 79.

qui & dictus Benedictus XII. At quis contumacem vi aut ratione confringet, quem vir Dei & Apoſtolico ſpiritu præfulgens, D. Vincentius Ferrerius, diu Pontificem agnouit & profeſſus eſt? Ipſemet D. Vincentius, cui Deus oſtendens neceſſariam Trium abdicationem, vt quarti electio pacifica, antiquum reſtitueret Eccleſiæ decus; cum obduratum non poſſet inflectere ad ea quæ pacis ac religionis erant; Regem Aragonum Ferdinandum admonet, vt ab obfirmati obedientiâ ſe ſubtrahat: publicè docet & prædicat illi à nemine obediendum; & conuentu Epiſcoporum ac Theologorum, cum Rege apud Morellam habito, in quo Didacus Tamorenſis pariter Cyriacus, & regius Confeſſarius, ſtrenuam operam nauauit in regnis Caſtellæ, Aragoniæ, ac Legionis, Benedicto recuſanti cedere iuri ſuo, denegandam quoque obedientiam agente & prædicante D. Vincentio concluditur; vt teſtantur Gerſon, Antonius Luſitanus in Chronico & alij apud Fernandem. Cumque in eadem Synodo non conuenirent Patres circa quaſdam difficultates; Cardinalis S. Angeli, dictus Petrus Annibaldus mittitur à Concilio Legatus ad eumdem B. Vincentium, tunc in Burgundia prædicantem, vt quid ipſe circa illas ſentiret, dignaretur indicare. *In Chron. an. 1415.*

Extant etiam literæ Cardinalis Petri de Alliaco & Gerſonis Cancellarij Pariſienſis ad eumdem B. Vincentium, quibus S. Viro gratias agunt pro tot laboribus in bonum Eccleſiæ ſuperatis, ac denegatâ Benedicto Antipapæ, populorum obedientiâ: vt teſtis eſt ipſemet Gerſon a & Diagus. b Rebus itaque ad electionem Pontificis legitimi conſtitutis, cum eſſet procedendum; fuiſſentque ſuperadditi Cardinalibus, ex nobilioribus totius orbis Chriſtiani nationibus, triginta viri dignitate aut eruditione præcellentes, tres è Dominicanâ familiâ Electores conſtituuntur; F. Ioannes Dominici Cardinalis; Dominicus Archiepiſcopus Toloſanus; & Leonardus Statius Generalis Ordinis præfectus; vt apud Fernandem teſtantur Leander Albertus a Caſtillus b & alij. Dantur iudices Ioanni Hus Hæreſiarchæ quatuor Cardinales, quorum primus Ioannes Dominici Cardinalis & Dominicanus: & duo Generales Præpoſiti, Prædicatorum ac Minorum; vt refert Spondanus. Denique abſoluto Concilio, mittendi legati; & ad inſtantiam Sigiſmundi Imperatoris, iam

a *Part. 1. tract. 22.*
b *L. 2. c. 67.*
a *l. 3. fol. 79. p. 2.*
b *1. p. l. 3. c. 67.*
An. 1418. n. 18.

toties laudatus F. Ioannes Dominici Cardinalis Raguſinus
5. p. tit. 22. c. 7. mittitur Legatus in Bohemiam, Poloniam & Hungariam, vt Huſſitas ad fidem reduceret; vt teſtis eſt Antonius, ſepultuſque eſt in Hungaria, miraculis clarus. Viden' Petre, an ordo Dominicanorum in Concilio Conſtantienſi obſurduerit, qualiſque fuerit Cyriacorum gloria in Oecumenica Synodo?

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Duplici impoſturâ impingit Cyriacis Smolenkinis anabaptiſmum.

§. 7. *EVGE, Euge ad id quod ſubijcio. Smolenchus vrbs eſt muniтиſſima & ampliſſima in extrema Lithuania ad Moſchorum fines. Praerat ei Lepus, & aduentantibus Moſchis, turpiter ſe ac vrbem dedidit, cum ab omni apparatu belli eſſet inſtructiſſima. Vrbe captâ, Moſchus, pro more hoſtium fidei Romanæ, ablegat Ieſuitas, quorum ibi Collegium erat, magnificentiâ viſendum. Rati Cyriaci eam ſedem Cœnobio quod in vrbe habebant commodiorem, Collegium vacuum ſibi depoſcunt, & vt eſſent ſecuri commorationis, ſacramentum Moſcho dicunt, ac fidem Catholicam eiurant, non vnus aut alter, ſed Cœnobium vniuerſum; lubenteſque conſentiunt in Anabaptiſmum; eoquod Moſchi baptiſmum Romanum quia non peragitur cum trinâ immerſione, cenſeant irritum. Itaque iteratò ſunt baptiſati omnes illius Cœnobij Fratres. Sed non fuit eiurationis fidei, & inuaſæ domus alienæ, diuturna lætitia. Nam vix nefandum baptiſmum ſuſceperant, cum à Moſchis ex vrbe eiecti & in extremas Moſchouiæ oras à Lithuaniâ remotiſſimas ſunt ablegati. Hæc non ſunt geſta in vno aliquo angulo, ſed in facie orbis vniuerſi & lamentabiliter deſcribuntur in literis datis Varſauiæ 14. Decembris annô 1654. quo contigerunt. Quid videtur, Frater de Marinis? Fratres Tui, ſunt ne circa fidem infallibiles? prædeterminantur-ne ad non labendum in hæreſim?*

RESPONSIO.

HEv quam benè ſaltitat fraterculus noſter! ab Alpibus ad Pyrenæos; hinc ad Tanaïdis oras, qua mentis volubilitate tranſuolat leuiſſimus funambulus? ab hæreticis ad Iudæos, & à Iudæis ad ſchiſmaticos, dicam Angelorum? imò Dæmonum more, impertranſito medio, velociùs Euro, proſilit ventoſum caput; cui quie[illegible] ere nuſquam datum nec ſapere. O miſerande ſenex, fereris hùc & illùc, quocumque te furor abripit, vt excutias inſiliens pondus liuoris & odij, quibus æſtuas aduerſus ordinem Religioſum. Verùm quicquid inſulsè & calumniosè tentas, feſtino & infauſto pede remeat in caput Tuum, motuque ipſo opprimeris. Iactatione hâc vagâ vergis in deterius; & velut in naui, onera immota minùs vrgent, & inæqualiter conuoluta, citiùs eam partem, in quam incubuere demergunt: ſic Tu, homo fronte attritâ, perfoſſâ vndique conſcientiâ, linguâ mendacijs tantùm & impoſturis armatâ, Tibi ipſi necem paras dum ſæuis in alios, multa turbidè effutiens, nihil probans. Obtrudis ſub ementito nomine, interfector veritatis, integrum Cœnobium nefandâ hæreſeos labe conſpurcatum; effuſiſque calumniæ habenis, in quicquid rectum & ſanctum eſt, palabundus dum excurris, ipſo probationis veſtibulo deficis; vt non immeritò cadat in Te, illud ab Auguſtino exprobratum Maximo. *O diſputare! O probare promiſſa! Oſtende promiſſa, quid pergis in vacua? quid deludis expectationem noſtram, nec exhibes pollicitationem tuam? Multiplicas verba non neceſſaria, vt neceſſaria occupes tempora.* Tetram & horridam mendaciorum nubem obnubilandæ veritati, & interficiendæ innocentiæ compegiſti, quæ propria inanitate diſſoluetur, mirabiturque & explodet orbis vniuerſus impoſturam, ipſis Solis radijs ſcriptam, dum interim figmenta tua vndique fluitantia, ineluctabili veritate depellemus. *l. 3. c. vlt.*

Tria opponis quæ licet alieno flatu non impellantur ad caſum, natiuâ tamen imbecillitate labaſcunt. Inuaſum nempe Ieſuitarum Collegium à Dominicanis poſt debellatam Smolenſchum: Dominicanorum protritam fidem repetito baptiſmate, eorumque ad Orientales Moſ-

chouiæ plagas deportationem. Penſemus & excutiamus ſingula, & quæ volatica mens, fæcundâ mentiendi libertate intricat & inuoluit, æquâ lance ſeorſim trutinemus. *Vrbi munitiſſimæ*, inquit, *praerat lepus.* Feſtiua tricantis cenſuræ inductio, dignumque expugnatæ vrbis Catholicæ, ac probroſi (vt fingis) fidei Orthodoxæ excidij præludium! Venationem deſcribit, non obſidionem. Pergit: Capta vrbe & fugiente illinc Lepore, ablegati ſunt poſt eum Ieſuitæ. Quo ſpiritu? Reſpondes, *pro more hoſtium fidei Romanæ.* Sunt ergo ſimul ablegati Minoritæ, Auguſtiniani, Dominicani, Clerici omnes, imò & ſeculares fidem Romanam profitentes, ſi ſola obtenditur ablegationis cauſa, eiuſdem fidei profeſſio? Hic cæſpitas; citò cades. Collegium, inquis, Ieſuitarum petunt à Moſchis Cyriaci, quia magnificum & commodius illis, antiquo Cœnobio, & obtinent. Quid garris? Nondum ſecundum Te, fidem eiurauerant Dominicani, & à Moſcho victore, ſchiſmatico & hæretico, Collegium expoſcunt & impetrant, adhuc Romanæ fidei profeſſores publici? Magnificum dicis Collegium; non dubito quin tale ante captam vrbem extiterit, ſed vacuatum, vt benè aduertis, remanſit; imò purè ligneum, pro more patriæ, cuius domus & vrbes ligneæ, ſique ornamenta abſtuleris, nihil niſi Robur & fraxinum dabunt. Quid ergò? Miſella hæc ligneæ molis domicilia, & poſt expilationem, horrenda Tuguriola, emere Dominicani pretio Sacramenti, vt dicis, & eiuratæ religionis Romanæ? quibus hæc nugamenta vendis impoſtor ſceleratiſſime?

Scurrilitas.

Impoſtura.

Cæterum ſi ante eiuratam fidem, Collegio potiuntur Cyriaci; nam fateris non eiuraſſe vt obtinerent, ſed *vt eſſent ſecuriores commorationis* in ſede iam collatâ; cur eiurationis fidei, ex voto Moſchi ſubſecutæ, & ex eius conceſſione, inuaſæ domus alienæ, adeò breuis poſſeſſio, nec diuturna, vt ais, lætitia? Qui ab irato hoſte, & adhuc ſanguinem ſitiente, petitionis ſuæ adeò faciliter compotes extitere, quid à placato, amico, & nouo Religionis fœdere ſociato, ſibi timeant? cur Collegio & vrbe extruduntur à Moſcho, acceptatâ Moſchi obedientiâ & fide, qui in fide Romanâ Moſchoque oppoſitâ, adhuc perſeuerantes, vrbis ciues, & Collegij poſſeſſores, nullo reclamante habebantur? Agnoſcat ergò & fateatur

Implicantia.

horrendam exaſperati cerebelli vertiginem, pudendus calumniarum intextor: nec Collegij fictitiam inuaſionem obtrudat, quæ ſolo narrationis contextu corruit, & patentibus rimulis prodit impoſturam; quæ vires acquirit eundo, dum inuaſioni domus, Apoſtaſiam à fide, qui fidem paſſim violat, ridiculâ ſocietate innectit. Sacramentum inquis, Moſcho dicunt Cyriaci Quid tum? Hæc lex belli: victori colla ſubdunt victi, inculpatâ Tutelâ, dum ſola & ciuilis obedientia exigitur. Exierant iam vrbe plures Dominicani, ſicut multi Minoritæ, Ieſuitæ, & ex omni ordine; ſinguli autem qui ex qualibet familia, imò & ex Clero remanſerant, cuſtodiendis proprijs Eccleſijs, Collegio ac Domibus, idem ſacramentum fidelitatis præſtitere; nec ex hoc vllatenùs culpandi. At ſubdis; Cyriaci Smolenchini fidem Catholicam eiurant, non vnus aut alter, ſed vniuerſum Cœnobium, lubenteſque conſentiunt in Anabaptiſmum, triplici immerſione iterùm tincti, *vt eſſent ſecuri commorationis*. O effrænem calumniandi audaciam! homo mendaciorum loquaciſſime, & ad mentiendum proiectiſſime; cui in tanto pudoris naufragio, liceat obtrudere, quod in ſimillimum nebulonem exclamauit Seuerus. *Si cloaca eſſes, magna fores*. Dic ſodes; infandi huius piaculi quos adducis teſtes aut ſcriptores, ſcurra effrons? Reſpondes. *Hæc non ſunt geſta in vno aliquo angulo ſed in facie orbis vniuerſi, & lamentabiliter deſcribuntur*. Vbi nam? *in literis datis Varſauia 14. Decembris an. 1654. quo contigerunt*. Sunt Typis expreſſæ hæ litteræ? præter Te, nemo vidit. Si calamo exaratæ, à quo, aut à quibus obſignatæ? Dices ab ijs qui Varſauiæ degunt. At quomodo ipſi reſciuere, cum ferè trecentis leucis diſtet Varſauia Smolencho, & interceptæ fuerint interim mediæ regiones, viæque præcluſæ, Polonorum & Moſchorum oppoſitis exercitibus? *Impoſtura.*

Penitiùs adhuc ſtringo enſem. Cuius Characteris & nominis ſunt hi ciues Varſauienſes, Epiſtolæ quam percepiſti conditores? Hîc Pſeudo-Petre, laruа excutienda eſt; hîc veritas denudanda. Fateberis, ſi aliquando proferre verum, naturæ imbecillitas & ſpumantis in Fratres Prædicatores animi liuor, tibi indulgeant; Te ſolum fuiſſe huius infandæ Criminationis auctorem & architectum. Tu ipſe deludendo orbi Chriſtiano, & infamando

ordini inclyto, meditato confinxiſti. Mirum tamen, nihil de hoc effatos Scriptores huius temporis. Tibi ſoli innotuit hoc Monſtrum, quod foret publicum, ſi verum: ſoli Pſeudo-Petro, de Tripode reuelatum. Certè mentiendi habes audaciam, ſed fingendi artem non habes. En mendaciorum fœcundam ſegetem, quorum vnum ex altero naſcitur! Ieſuitis & aliis Regularibus, captâ vrbe, expulſis, & odio fidei exulantibus, liber patet

Mendacia. reditus ad Fratres Lithuanos & Polonos; dum Cyriaci, victoribus obedientiâ & fide juncti, extruduntur ſoli, & in loca inuiſa & barbara amandantur. Dic nobis quid actum de illis? Vix, ais, nefandum Baptiſmum ſuſceperant, cum à Moſchis vrbe ejecti, & in extremas Moſchouiæ oras à Lithuania remotiſſimas ſunt ablegati. Verùm qua de causâ tanta ſortis mutatio, nullam enim offers? Fortè ob præſtitum obedientiæ Sacramentum? Obedientia non eijcit, ſed firmat obſequentes. Ob eiuratam fidem Romanam? hoc expetitum à victore. Ob Anabaptiſmum ſuſceptum? hoc vnicum Moſchi votum: alia non adducitur, nec obtendi potuit ejectionis ratio; cum vt indicas, vix Baptiſmum ſuſceperant, & explodunturs, ejuratam fidem & profanum Baptiſma comitatur ejectio.

Certè non attendebas tibi Petre, quando ludificando orbi Chriſtiano, hæc intra crudum caput comminiſcebaris; debebat enim inter communicationem Religionis initam cum principe Schiſmatico, & imperatam ab eo ablegationem, interceſſiſſe tempus vel morula, in qua præſumeretur emerſiſſe cauſa tantæ & inſperatæ mutationis. Veriſimiliùs & veriùs dixiſſes: egreſſis initio qui abire voluerant, præſcriptum tempus cæteris, qui ex omni Ordine remanſerant, præſtandi fidelitatis Iuramentum. Quo euoluto termino, ad Iuramentum adacti omnes qui ſupererant Catholici tam ſeculares quam Regulares; quo non obſtante, cum fidei Romanæ & Catholicæ tenaciùs adhærerent, fruſtrà ex hac parte pulſati, vnà omnes deportati ſunt ad vltimos Moſchouiæ Orientalis fines: in qua narratione, illibata manet veritas Hiſtoriæ; nec inhonora Eccleſiæ Romanæ aut Ordini Prædicatorio impoſtura, ventilaretur cum maximo totius orbis Catholici ſcandalo.

Verùm exſufflatâ calumniâ, deportatos ad extremas Moſchouiæ oras inuictos fidei Pugiles fido pede ſequamur, vbi Volga fluuius influit in mare Caſpium, Armeniæ Septemtrionali conterminum: vbi exules pro fide Cyriaci, colligi & excipi potuere à Fratribus eiuſdem Inſtituti, quibus totius Armeniæ directio ſpiritualis à ſede Apoſtolicâ commiſſa eſt. Quo fit vt quicquid moliris Petre, ad conſpurcandam Dominicanorum fidem, nouum ei ſplendorem conciliet, ſeruiaſque volens nolens manifeſtandis acceſſionibus quas fidei Catholicæ attulit indefeſſus eorum labor, zeluſque verè Apoſtolicus. Audi ergo Epiſcopum Apamienſem Spondanum fœlicitatem illius regionis, ad cuius viciniam deportatos dicis Cyriacos Smolenchinos, deſcribentem. [Annus 1237 Indictionis decimæ, maximam lætitiam attulit vniuerſæ Eccleſiæ, ipſique in primis Gregorio 9. eius Pontifici ex conuerſione Patriarchæ Iacobitarum Orientalium, qui cum magno Epiſcoporũ, Archiepiſcoporum & Monachorum ſuæ ſectæ comitatu (præerat ille Chaldæis, Medis, Perſis, Armenis, aliarumque plurimarum Prouinciarum à Sarracenis occupatarum Chriſtianis) Hieroſolimam veniens ad loca ſancta viſenda, hortationibus & prædicationibus F. Philippi Ordinis Prædicatorum, Prioris terræ Sanctæ, diuinitùs tactus; in proceſſione ſolemni quæ die Palmarum in deſcenſu montis Olieti, fieri conſueuerat, antiquâ abjuratâ hæreſi, promiſsâque obedientiâ Romanæ Eccleſiæ, habitum eius Ordinis aſſumpſit. Eandemque abjurationem &profeſſionem obedientiæ imitati ſunt alij duo Archiepiſcopi, alter Iacobita Ægyptius, Neſtorianus Orientis alter. Ipſique eorum Patriarchæ, aliorum Fratrum Prædicatorum operâ idipſum præſtare promiſerunt; cum eſſet Iacobitarum Ægyptiorum longè deprauatior quam Orientalium fides (vt pote qui Circuncisionem more Saracenorum alijs erroribus adderent) ſubeſſentque eorum Patriarchæ MinorIndia, Lybia, Æthiopia & Ægyptus: Neſtoriano verò India major &RegnumPræſbyteri Ioannis, aliæque Aſiæ Prouinciæ. Extant enim de his literæ prædicti Philippi ad Gregorium Pontificem ſcriptæ, quas recitat Pariſius in Henrico IV. hoc anno; partemque earum Godefridus Monachus Colonienſis, qui hoc anno An.1237.n.1

Annales ſuos claudit.] Hæc Spondanus. Per has ergò omnes regiones quæ ferè totum Orientem complectuntur, volitat & ſpargitur fides Catholica, zelo & operâ Dominicanorum, quos eiuratæ fidei, calumnioſo ac maligno auſu inſimulare non erubuit furens impoſtor Pſeudo-Petrus.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Doctrinam D. Thomæ multiplici errore notatam, ex causâ Monteſoni ridiculè exſcerpit.

§. 8. *QVid illi quos referebam aſſerere S. Thomam eſſe Regulam fidei? Hoc non poteſt accipi de regulâ viuâ; quia ea regula neceſſe eſt vt ſe voce explicet de ſcitis fidei infallibiliter pronuntiando; quod ſolius R. Pontificis eſt proprium. Debet ergò accipi de Scriptura infallibili qua excitante, vel Scriptoris mentem & calamum ductante Spiritu Sancto, ſit pro oraculo Diuino; cuiuſmodi Scripturam certum ex fide eſt, eſſe ſolam Scripturam Canonicam, vel eam quæ Eccleſiaſticam de fide definitionem continet. Qui ergò dicit Doctrinam S. Thoma eſſe Regulam fidei; & qui à Diuo Thoma recedit, eſſe de hæreſi ſuſpectum; Et determinationes Eccleſia arctari ad ſenſa S. Thoma, nec quicquam poſſe in contrarium ab Eccleſia decidi; (qua omnia dicunt & ſcriptis committunt Cyriaci;) qui inquam talia effutit, quantum abeſt ab hæreſi, transferente prærogatiuam Scriptura Canonica, definitionis Eccleſiaſtica de fide, in doctrinam qua neque eſt verbum Dei ſcriptum neque traditum; neque ex alterutro illo Dei Verbo ſubſumptum per euidentem conſecutionem?*

At S. Thoma Doctrina eſt approbata ab Eccleſia. Multos Pontifices approbatores enumerat Aquarius in Controuerſijs pag. 133. *addens idcirco Gregorium XIII. Academia Thomiſtica Romana, ſingulis primis menſis Dominicis conceßiſſe indulgentiam plenariam. Audio, ſed hoc quomodo ſit condiendum rectè exponitur in tractatu contra fratrem Ioannem de Monte ſono, qui habetur ad calcem Magiſtri ſententiarum; vbi ſtatuitur doctrinam S. Thoma, non poſſe jactari approbatam per omnia, tamquam omnimodis indubitatam: cùm in ea (iuxta alios) multi nævi reprehenſione digni, occurrant annotati*

annotati ab aliis; quorum nonnulli ſpeciales Tractationes ediderunt aduerſus aliquos illorum nauorum; nec ſemper ſatis commodè defenſi ſunt, ſiuè à Richardo Clangas Anglo apud Pithæum, ſiue ab Ægidio Romano, ſiue à Ioanne Pariſienſi vt teſtantur Picus Quæſt. 1. Apologiæ; & Leander lib. 4. de Viris illuſtribus Ordinis Prædicatorum, qui libros ediderunt Titulo Correptorij, Corruptorij doctrinę S. Thomæ. *Nam præ multis doctrinæ S. Thomæ impugnatoribus, laborandum pleriſque (etiam exteris,) fuit in eius propugnatione. Author quoque Tractatus prædicti, contra F. Ioannem de Monteſono in 3. Puncto principali, diffuſiſſimè & ſubiectis pleriſque exemplis monſtrat, doctrinam S. Thomæ in pleriſque non poſſe dici prorſus illimem, & nitentem. Illa ergo approbatio Eccleſiaſtica quam iactant, aliud non fert, quam teſtimonium doctrinæ vt plurimum bonæ, nec vllâ manifeſtâ hæreſi ſordentis; tametſi non ſemper immunis ab errore, ac etiam non habentis ſecuritatem ab hæreſi materiali: quibus nauis obnoxia eſſe ſcripta Doctorum, etiam Canoniſmo Eccleſiaſtico illuſtrium, docet Nicolaus Monachus S. Albani apud Cellenſem l. 9. Epiſtola item 9. Fatuitas ergo Cyriacorum circa tantam eminentiam doctrinæ S. Thomæ, quantam retuli ab eis ſtatui, degenerauit in hæreſim, ſaltem materialem; atque adeò perperam iactatur immunitas Cyriacorum ab hæreſi.*

RESPONSIO.

DVo obijcit Aduerſarius: Theſim & Hypotheſim; Doctorem & Diſcipulum: doctrinam D. Thomæ non eſſe regulam infallibilem, cui amplè ſatisfactum eſt. §. 4. Alterum, quod excutiendum reſtat; obtenduntur Ioannis de Monteſono Concluſiones quædam Thomiſticæ, quæ ab Academia Pariſienſi dicuntur notatæ. Ad huius intelligentiam, quædam ſunt neceſſariò prælibanda. In Tractatu contra præfatum Ioannem de Monteſono, qui habetur ad calcem Magiſtri Sententiarum, ſtatui doctrinam S. Thomæ non poſſe iactari approbatam per omnia, ludicrâ iactatione intonas. Verùm qui corradendis vndique librorum Indicibus palabundus erras, Exſcriptor acutiſſime, ediſſere nobis nomen, dignitatem, meritum Auctoris, cuius Tractatum indicas ad calcem Magiſtri Sententiarum appoſitum. Certè in ſummâ petulcitate, cautior Te, fidem ſibi

nullam haberi voluit, qui ſuum tacuit nomen, nec tempus ſcriptionis ſuæ innuit. Scimus tantum Baſileæ, iam à fide Catholicâ ſecretò deuiantis an. 1510. breuique publicè diſceſſuræ, impreſſum opus, ex quo triplici capite, quantæ ſit fidei, maximè apud Cordatos, indigeſtus ille Cento, Tu ipſe intelligeres, ſi ſapere vel tantillum liceret. Sed ad duritiem cordis Tui, demus Opus illud vtcumque admittendum; quid tum? Probas ex eo doctrinam D. Thomæ non eſſe in omnibus illimem & nitentem, cùm in Diſcipulo eius Fratre Monteſono, plures illius Concluſiones fuerint erroris damnatæ, quas Anonymus enumerat? At quà fide tacuiſti, quam idem Conſarcinator adiungit ibidem, oppoſitionem eiuſdem Monteſoni, & ad ſedem Petri de grauamine illato querelam?

Triplicem Adducit huius appellationis titulum: Primus eſt, quòd aliquæ ſuarum Concluſionum trahantur ex doctrinâ S. Thomæ, quam facultas Theologiæ, aliàs expreſsè commendauit; & Dominus Epiſcopus Pariſienſis per ſuas Literas approbauit. Huic obiectioni reſpondens Scriptor Anonymus, nomine Vniuerſitatis, ſubdit: *Nos millies diximus, & vt videmus non ſufficit, qualiter ſancti Thomæ doctrinam in dicta noſtra condemnatione nequaquam reprobamus, ſed hunc, eiuſque fautores, doctrinam eius ad diſtortum Fideique abſonum ſenſum adaptantes, aut vltrà quàm fieri debet, contra eiuſdem Doctoris documentum dilatantes, condemnamus; quod audacter aſſerimus. Et hæc,* (inquit idem Author) *ex dicendis clarè patebunt. Ex 2. & 3. Capitulis, vbi manifeſtè probabitur quòd prædictæ erroneæ Concluſiones non trahuntur ex doctrina S. Thomæ.* Audin' Petre? *ſed magis contrariantur eidem.* Quare ergo fraudulenter tacuiſti, quæ D. Thomæ doctrinam in omnibus illimem & nitentem probant, quam tu inde maculatam conaris oſtendere, adulterator eff...ons? Verùm præterquàm quòd ex Dogmatibus Logicis, Phyſicis & extra metas Fidei longè excurrentibus compaginatus eſt prædictus Cento, implantataque ridiculâ ſocietate, iocularia ſerijs, ac profana ſacris; ignoras-ne ſimilem Cenſuram Academiæ Pariſienſis, reuocatam anteà ab eadem Academiâ, & ſimul à Stephano Epiſcopo? Vide reuocationem Opuſculis D. Thomæ editionis Venetianæ an. 1498. præfixam, his verbis. *Supradictam Articulorum condemnationem & Excommunicationis*

Adulteratio.

ſententiam, quantùm tangunt, vel tangere aſſeruntur ſanam doctrinam S. Thomæ prædicti & Doctoris eximij; ex certâ ſcientiâ, tenore Præſentium totaliter annullamus. Datum 1325. Si hæc legit, non erubeſcit duplicis criminis reus Pſeudo-Petrus, ſilentij & impoſturæ? Doctrinam itaque D. Thomæ ipſa Sorbona cum Epiſcopo Pariſienſi illibatam, illimem & vndique nitentem inclamat. Compeſce igitur importunos tuos eiulatus, quibus §. 153. quereris, quòd dùm tot Lucubrationes proſtant in Programmate infami, paucæ aut nullæ Cyriacorum notentur, quippe qui ſequuntur doctrinam illimem; voxque eſt Pontificia, neminem qui doctrinam D. Thomæ ſecutus fuerit, à veritatis tramite deuiaſſe. Quid autem mirum, quòd inclyta hæc doctrina propugnatores habuerit ſtrenuos, & nullo ferè labore victores; cum etiam Fides Catholica ex omni parte intacta & infallibilis, ſuos habuerit & innumeros apologiſtas? Libri autem à Cyriacis editi, titulo Correptorij Corruptorij S. Thomæ, quid aliud euincunt, quàm iure merito corripiendos fuiſſe corruptores eiuſdem Angelicæ doctrinæ, quam impugnare nequeunt, niſi priùs adulterent & corrumpant? Hæc lege & intellige, ac telas quibus imprudenter & turbidè Temetipſum implicuiſti, ſi potes diſſolue. Redditus eſt Scholæ Thomiſticæ cum ſupereffluente menſurâ, natiuus ſplendor, illibatum decus. Sed lata in Te decreta Romana, ac Senatus-Conſulta Gallica manent & in perpetuum manebunt, nec reuocata, nec reuocanda; ſed potiùs obſignata, aggrauata, nulloque eluenda baptiſmate. *Impoſtura.*

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Puerili argumento inſimulat Cyriacos hæreſis in Materia Conceptionis, ſugillatque Combefiſium.

Non minùs luculentum exemplum quod ſubijcio: Cyriacorum plerique (etiam poſt Sixtum IV. & Concilium Trid.) dixerunt prorſus falſum & nullatenus probabile eſſe, Beatam Virginem fuiſſe conceptam ſine peccato originali. Imò Bartholomæus Spina, qui Romæ tantum poſt Sixtum IV. fuit Magiſter S. Palatij, in opere de vniuerſali Corruptione gene-

ris humani, Parte 5. Cap. 9. intrepidè dixit, aſſertionem de Beata Virgine concepta abſque peccato originali, eſſe inuentore Diabolo ſatam, & Feſtum Conceptionis in ea aſſertione fundatum, eſſe deteſtandum. *At hoc dicere, eſt hæreticum. Quod vt intelligatur; ſecernenda ſunt duo in hac enunciatione*; Pium ac probabile eſt B. Virginem eſſe conceptam abſque peccato originali. *Vnum eſt, propoſitio de ineſſe; ſiue dictum illius propoſitionis contentum illis verbis*, B. Virgo eſt concepta ſine peccato originali. *Alterum eſt modus afficiens illud dictum, quod ſcilicet* pium eſt ac probabile Conceptionem illam peractam eſſe abſque labe originali. *Ex dicto illo & modo ſimul iugatis, exſurgit propoſitio modalis, quâ aſſeritur pium eſſe ac probabile, Conceptionem Dei-paræ, paſſiuam, fuiſſe expertem peccati originalis. Dictum ergo propoſitum non eſt ex fide certum, vt Sixtus IV. & multi poſteriores Pontifices declararunt; firmauitque Concilium Trid. At quod dictum illud ſit pium & probabile, de Fide eſt, quia Eccleſia, quæ eſt columna & firmamentum veritatis, docet Fideles illud dictum eſſe expers erroris; & qui ita ſenſerit, piè ac probabiliter ſentire, nec poſſe notari vllius temeritatis aut culpæ. Hoc Pontifices firmante Concilio Oecumenico, tradiderunt loquentes ex Cathedra; hoc eſt, obligantes vnumquemque fidelium ita ſentire & abſtinere omni cenſurâ & improbatione illius propoſitionis modalis, enunciantis pietatem ac probabilitatem aſſertionis prædictæ*: B. Virginis Conceptio paſſiua, fuit abſque peccato originali. *Habetur hæc doctrina Pontificia in corpore iuris & rata habetur in Oecumenicâ Synodo Trid. atque adeò aſſertio illa, eſt de Fide; & qui dicit erraſſe Pontificem docentem neminem Fidelium poſſe reprobare eam propoſitionem, habendus eſt hæreticus, quia abiicit viuam regulam Fidei, quæ ex Scripturis & Traditione, affirmat talem propoſitionem eſſe erroris practici expertem; & omnes Fideles obligari abſtinere ab eius reprehenſione.*

Ex his infertur multos Cyriacorum fuiſſe, aut etiam nunc eſſe hæreticos. Nam multi eorum (etiam poſt Sixtum IV.) inficiati ſunt eam propoſitionem modalem: Pium eſt ac probabile B. Virginem eſſe conceptam abſque peccato originali: *quam tamen propoſitionem Pontifices ex Cathedra loquentes, (id eſt obligationem omnibus Fidelibus iniicientes, ſic ſentiendi, & nulla tenùs ſugillandi ſic ſentientes,) annuente*

Trid. Concilio Oecumenico tradiderunt.: in quo docendi modo Pontifices non ſunt obnoxij errori. Vbi ergo immunitas ab hæreſi & errore circa Fidem, in Cyriacis illis, quos dixi obſtrepere Eccleſiæ circa enunciationem illam modalem? Nec ſe eximunt à tetrâ notâ quam inurimus, illi Cyriaci, qui inſidiantes calcaneo Dei-paræ; tametſi fatentur dici poſſe B. Virginem caruiſſe peccato originali, propter prædicta; tamen negant pium eſſe ac probabile Conceptionem paſſiuam Dei-paræ fuiſſe immaculatam; & quoties audiunt Conceptionem dici immaculatam, *efferantur; nec patiuntur, hoc vel in Libris qui eduntur extare; vel in Concionibus doceri. Qui ita ſe gerunt, non ſe eximunt à notâ quam iis inurebam. Manifeſtè enim Cyriaci iſti refragantur Pontificibus, ex Cathedra docentibus, atque adeò in hæreſis caſſes ſe induunt. Verum enim eſt, Conceptionem fuiſſe immaculatam, & caruiſſe peccato originali. Ridiculè autem & prorſus ignoranter, admiſſo nitore Conceptionis à peccato, refugitur titulus* Conceptionis immaculatæ. *Quis enim anguis latere poteſt in illâ herbâ? aut quis ignis ſupponi poteſt illi cineri doloſo? nam Conceptionem fuiſſe abſque maculâ; nihil aliud eſt, quam fuiſſe ſine peccato originali: Si ergo vnum dici & vulgari poteſt, quare non aliud? Cogor ineptire cum ineptientibus, vrgens rem per ſe claram & dignam in qua non hæreatur. Sed ferant me ineptientem, qui non niſi ineptientes inſequor. Igitur ſi errat in negotio Fidei, qui dicit non eſſe pium ac probabile B. Virginem eſſe ſine originis peccato conceptam, quomodo non errat in negotio Fidei; qui prohibet dici, pium eſſe ac probabile, Conceptionem illam fuiſſe immaculatam? nam duæ illæ propoſitiones ſunt ſynonimæ, & eundem prorſus ſenſum ſub duplici verborum cortice continent; Ita vt ſi vna approbetur, altera quoque ſit approbanda; & poſito quòd vna repudietur, vtraque ſit repudianda.*

In eadem naui verſantur & circa Fidem æquè naufragant, qui contra expreſſa Pontificum decreta toties iterata, & firmata vſu per centum ſaltem ac triginta annos recepto in vniuerſâ Eccleſiâ; negant nitorem Conceptionis Dei-paræ, piè ac probabiliter; atque adeo prudenter aſſertum, eſſe obiectum idoneum religioſi cultus; qualem Pontifices vigere in Eccleſia agnouerunt, tam à tanto tempore: & explicatiſſimè docuerunt feſtum quod Romana Eccleſia de Conceptione Virginis celebrat, eſſe de prima animatione; (id enim ſonat vox Conceptio-

nis) *& repulerunt aſſerentes , hoc feſtum non eſſe niſi de ſanctificatione ſubſecuta Conceptionem. Illi ergo Cyriaci, qui poſt tam manifeſtam ſenſus Eccleſiæ expreſſionem , contrarium tradiderunt ; nec de ea repulſa curarunt , ſed pertinaciter inſtiterunt ſuo ſenſui , & Eccleſiam in cultu religioſo propoſito , irreligioſè egiſſe dixerunt , quomodò ſunt ab errore immunes ?*

Viderit verò F. Franciſcus Combefis qui immaculatæ Conceptionis Feſtum non ſemel allatrauit , quomodò ſe pedicis in quas ſe induit , extricet. In ſuâ enim Monothelitarum hiſtoriâ , quam rodendo Baronio , quia Canum circa Honorium I. pexuerat , adornauit, Cap. 3. §. 2. Pag. 174. contendit ; indubitatos honores Conceptionis Dei-paræ , eſſe duntaxat , quòd B. Virgo ſit concepta ex coniugio ſterili , & quòd hic fuerit velut anteambulo gaudii noſtri ex Chriſti Natiuitate de hâc Virgine conſecuturi ; quod ipſum ait à Græcis celebrari in Conceptione S. Ioannis Præcurſoris , ac veluti Luciferi aduentantis Solis Iuſtitiæ. Non plus habuiſſe Conceptionem Dei-paræ à tempore ſextæ Synodi : ac etiamnum nihil plus habere religioſè feſtiuum, contendit Frater prædictus ; & aliud colere , affirmat aliud non eſſe quàm contentioni ſtudere , ac ſibi viſa ſtabilire, præter publicam & vniuerſalem Fidem. Rurſumque in notis ad Orationem Gregorii Nicomedienſis de Conceptione Dei-paræ ; ait ; Feſtum hoc Dei-paræ , inductum eſſe exemplo ſimilis feſti de S. Ioannis Conceptione ; præſertim cùm acceſſit reuelatio , quâ haud ſatis ſolidè iactabatur , Beatam Virginem , Herluinum Abbatem , S. Anſelmi ſucceſſorem , impuliſſe ad celebrandum huiuſmodi Feſtum à S. Bernardo improbatum , nec à Græcis , præ Latinis hâc in parte ſobriis , in alio ſenſu admiſſum quàm quo celebrabant Conceptionem S. Ioannis ; inquinatam quidem peccato originali , ſed tamen aduentantium tot bonorum prænuntiam , & eorum antecurſorem ſeu prodromum. Sic ſentire de Conceptione Deiparæ , (*ait idem Author in Præfatione voluminis ſecundi inſcriptis Cancellario Franciæ ,)* eſt eam Conceptionem ſolidè laudare , & vt ex Conceptione , nulla veris Matris famulis , offenſio ſit.

Perucitem ab hoc Fratre Cyriaco conſiderari , quàm hæc eius aſſertio vacet , fermento doctrinæ reprobæ , de quo proximè agebam. Et ſunt ſanè multa in eius dictis compendio nunc relatis , quæ reprehenſioni meritò pateant ; vt quod per fædum

anachroniſmum, facit S. Anſelmum Herluini prædeceſſorem; Item quod ait, S. Bernardum improbaſſe feſtum de Conceptione ſimile feſto Natiuitatis; in quo aduerſarius & ſibi contrarius eſt, cùm ipſemet tale Conceptionis Feſtum admittat; & Bernardum malè intellexit vt alibi traditur. Ad hæc, quod Feſtum Conceptionis Dei-paræ, in ſuo illo ſenſu diſtorto ſumptum, ait, inductum eſſe exemplo Feſti S. Ioannis Quaſi verò non ſit par ſentire, Fideles erga Dei-param meliùs affectos eſſe, quàm vt dicantur ſolo exemplo Feſti S. Ioannis, atque adeò non niſi poſt hoc inductum, egiſſe feſtiuum diem Conceptionis Dei-paræ. Tandem quod ſobrios præ Latinis fuiſſe hâc in parte Græcos & ſapientiores ſtatuit. Hæc omnia reprehenſionem merentur; ſed ea diſſimulemus in præſentia; in illud vnum intenti, quod idem Frater ait, nihil plus nunc habere cultum Conceptionis, quàm eius, non quidem ſanctæ, ſed tamen ſanctitatem prænunciantis, memoriam: & quod detrita ſobrietatis & ſapientiæ notat Eccleſiam Romanam, & ei adhærentes Latinos admittentes religioſum cultum Conceptionis, piè ac probabiliter immaculatæ. Id verò eſt, ipſi Eccleſiæ illudere. Eccleſia enim conceptis verbis declarauit, ſuam mentem in huius Feſti celebratione eſſe, colere Conceptionem piè ac probabiliter immaculatam; mandatque eadem Eccleſia columna & firmamentum veritatis, vt omnes Fideles de eo Feſto ſic ſentiant; & illud religioſè & abſque errore ad eum modum coli, ſibi perſuadeant. Sequuntur hunc Eccleſiæ ſenſum, præter paucos Cyriacos, fideles omnes. Quis ergò eſt Philiſtæus iſte, exprobrans aciebus Dei viuentis, (Capitibus inquam Eccleſiæ & Fidelibus ei inhærentibus,) defectum ſobrietatis ac ſapientiæ in eo cultu? Illud vero quàm ſobrium, quod ait, talem ſenſum eſſe ſtudentium contentioni, & eſſe *præter publicam & vniuerſalem Fidem, & eam Dei-paræ laudem non eſſe* ſolidam, & veris Dei-paræ famulis eſſe offenſioni; *ſcilicet paucis Cyriacis; (nec enim omnibus inter eos, vt Catharino & Coyffeteo, aliiſque cum primùm per Inſulas ſegreges facti, potuerunt ſenſa ſua liberè promere.) Vt autem præter paucos illos, quibus timor malorum, vel peruicacia propter honorem Ordinis, fauces obſtringit, nulli ſint alii veri Dei-paræ famuli; conuicium eſt infrunito ori congruentius, quàm religioſo. Nec minuit hanc noxam toties ab hoc Authore iactatum decretum Pii V, quo Feſtum de Conceptione voluit coli adhibito Officio, quale adhibetur in Natiuitate, mutato tantùm*

Natiuitatis *nomine in nomen* Conceptionis. *Hoc enim edixit Pius, quia in reuelatione facta Abbati Herluino, habebatur vſurpandum eſſe in Conceptionis Feſto, tale Officium. Et in hoc ipſo Officio per Pium V. probato, octauum Reſponſorium conceptis verbis tradit*, Sanctam *Dei-para* Conceptionem, *æquè ac* Natiuitatem, *Sicut ergo certum eſt, Dei-param in Natiuitate ſua fuiſſe ſanctam & gratiâ ſanctificante collucentem; ita certum eſſe debet, Eccleſiam non errare, cùm celebrat Conceptionem tanquam piè & probabiliter ſanctam. Et quicquid Pius V. è Cyriacis aſſumptus, ſecundum ſuum priuatum ſenſum exiſtimarit, tamen prout Pontifex, & ratum habens Officium prædictum, quo* Conceptio *ipſa* ſancta *dicitur, in ſenſu, in quo Natiuitas dicitur ſancta; voluit quod affirmabam; talemque fuiſſe & eſſe in huius Feſti celebratione ſenſum Eccleſiæ, diſertiſſimè tradiderunt poſteriores Pontifices. Itaque viderit F. Combefis, quàm abſit ab hæreſi, talia proferendo contra Romanam Cortynam, Fidei Magiſtram, & petram Fidei, vt Damaſcenus in Ioſaphati hiſtoriâ vocauit: contra quam quiſquis arietat, ipſe confringitur, vt ait S. Auguſtinus. Neglectum ab iſto ſilentium, ab eâdem Romanâ Eccleſia Cyriacis indictum, circa ſuam peculiarem de non ſanctâ & maculatâ Conceptione aſſertionem, alii vrgeant.*

RESPONSIO.

SIcut profundum cœnum veſtit fragilis, indigna fronde, ceſpes: ſicut fumum nubes induunt, nec ipſis anguibus, pulchrum veneni tegmen, verſicolor tergo & ſquammis fulgentibus deeſt; ſic propugnando (vt credit) Dei-paræ honore, velut radianti contectus vmbone, pugnat ficti Zelotis in Cyriacos væſanus liuor: diceresque zelo, non œſtro percitum, dum Lectori propinat ſub ſpecioſo pietatis amictu, veteris odii latens virus. De elucidandâ propoſitæ Quæſtionis veritate, nec ſomniat; conflando Aduerſariis apud imperitam plebem odio, totus imminens, geſtitque perire dum feriat: more Apum, quæ morſibus venenum inſpirant, & affixæ venis, animam cum ſpiculo relinquunt in vulnere. Vertibile in vtramque partem de hâc difficultate iudicium, libero contendentium arbitrio reliquit Eccleſia; dirasque intentarunt Pontifices inurentibus hæreſeos aut erroris næuos alterutri

Scholæ. Continuit ſe intra præſcriptas obedientiæ & ſilentij leges Cyriacorum Religio & obſequens cultus; necpro ſacro Suggeſtu, in congreſſu familiari, aut emiſſâ quauis ſcriptione vel lato vngue, metas exceſſit: debacchantibus interim aliis publicè & priuatim; à quibus, nec Cyriacis, nec Ordini, imò nec Angelico Doctori, parcitum.

Turpiùs adhuc impegiſti in eas Petre, iteratis ad nauſeam conuitiis, Hæreticis accenſens Cyriacos; nec Te puduit poſitos Pontificiæ prohibitionis cancellos toties effregiſſe. Quid ad infantiles ſannas, & virulenta Tua ſcommata reſpondeant, quibus ſummo iure impoſita eſt lex ſilentii, quæ te nunc effrænem & audaculum reddit, futurum in cæteris elinguem? Cogor vt video, cum ineptiente ineptire, latrare cum latrante; eodem tamen euentu, quo ſolutis linguæ vinculis Zacharias, vocem, religioſi ſilentii celeberrimam prolem edidit; Filium vocalem, quo totus orbis ad pœnitentiam eſt inflexus. Pœniteres certè, laruate Trico, ſi Tibi ſpes vlla ſapiendi relinquitur, dum etiam extra rem de quâ agitur, inhianti & interpolato illo tuo diſcurſu, miſerande ſenex, indicarem tibi puerilia nugamenta, imperita vaniloquia, craſſam inſcitiam, nec delibata à Te, ipſa Theologiæ rudimenta. Si autem quam meruiſti in hac parte, non repono Cenſuram; hoc debes exactè obſequentis ſilentii religioni. *Contumelia.*

Dicam tamen; quàm infœliciter Te expedis pedicis in quas Te induiſti, acturus in Combefiſium vocans Philiſteum; corpore quidem Pigmæum; ſed animo Gigantem; quem propriæ imbecillitatis conſcius, non es auſus inſimulare Hæreſeos, ſed ipſimet remiſiſti hanc curam. *Viderit*, inquis, *Frater Combefis, &c.* Attende Tibi interim & doctrinæ. Quaſi in effœta ætate, ſaltitare ſit animus, ſaltas extra chorum; & intactâ notâ hæreſis, cui tamen ipſe Diatribæ titulus, religioſo Te nexu aſtringebat; palabundus excurris ac tumultuariè irruis in adiaphora & vmbras: in futilem quemdam circa Chronologiam lapſum & vanum Anachroniſmum, quo conaris explere inanem & ieiunam mentem tuam. Quàm facilè itrepat, ſolidioribus rebus intento Scriptori, vnius aut alterius anni exerratio, grauis ille Te docebit, Poſſeuini exactæ Chronologiæ adlaborantis, Anachroniſmus; qui

Durandum à Sancto Portiano Cyriacum, & aſſumptum ad Epiſcopatum; facit Epiſcopum Leodienſem, cum eſſet Anicienſis; non aduertens alium eſſe Durandum qui iuxta Sigebertum & Baronium, Leodienſi præfuit Eccleſiæ, ab Anicienſi. Item Durandum à S. Portiano Anicienſem & Cyriacum ponit ad annum 1035. cùm tamen Ordo Dominicanorum cuius ipſe erat filius, non incepe-rit niſi anno 1216. & Durandus adhuc longè poſt D. Thomam comparuit; vnde ducentis & plus annis errat calculus Poſſeuini. Sed Tu quid ad munutias deuolueris, grauiorum omiſſo ſermone?

Anachroniſmus.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Caïetanum, Carranzam & Inquiſitorem Parmenſem, hæreſi maculatos fingit. Hunc circa Contritionem.

§. 10. *Svſpectos præterea vel etiam compertos nonnullos Cyriacos aliorum contra fidem errorum poſſum oſtendere. Prætermitto quæ in Caïetano obſeruauit Catharinus hæreſi ſordentia: & quæ in F. Ioanne de Monteſono Lutetiæ hæreſeos damnata referuntur ad calcem Magiſtri. Nec Bartholomæum Carranzam, apud Hiſpanos Quæſitores, & Romæ apud Gregorium XIII. de hæreſi iudicia ſubeuntem adduco. Æterno item ſilentio preſſam volo Palæologi miſeram ſortem, qua Romæ iubente Gregorio XIII. conſumptus eſt viui comburio, ob violatam pertinaciter Fidem Catholicam. Audiamus mitiora.*

Contritionem perfectam etiam ante Sacramenti realem ſuſceptionem in eius voto, conferre gratiam, dogma Catholicum eſt, traditum à S. Bernardo Epiſt. 77. & à S. Ambroſio in causâ Gratiani & Valentiniani Fratrum Baptiſmo præreptorum, & aperte à Tridentinâ Synodo Seſſ. 14. Cap. 4. de Pœnitentia; eſtque certum Catholicis quibusvis infermentatis. Attamen Inquiſitor Parmenſis Ordinis Prædicatorum anno 1649. Aſſertionem de Contritione perfecta, ante ſuſceptum reipsâ Sacramentum ſanctificante, tanquam reprobam & à Fide ac ſanâ doctrinâ abhorrentem, obfirmatè rejecit, & vt vulgari pateretur, adduci nunquam potuit. An erat de partiariis Baianorum, ſiue, vt vulgò loquimur, Ianſeniſtarum.

quos ita ſentire compertum eſt? Vnde ſicut Frater Baptiſta Marinus exhibuit ſe Ianſeniſtarum protectorem, & per ſe Romæ apud Pontificem, & Lutetiæ per ſuos, fortibus literis in eam rem datis; vtrobique infœliciter, & malis auibus: ita potuit fortaſſe, hunc Inquiſitorem Parmenſem Partiarium ſuum eodem infeciſſe fermento.

RESPONSIO.

THeatrum aſcendit Ludio nugax & nugiuendus. Vt ſordentes hæreſi nouos obtrudat Cyriacos, antiquos reuocat quos §. 5. petulanter vexauit; polliceturque ea ſe æterno preſſurum ſilentio, quæ tamen palanti ore denuntiat. Aduerſus Caietanum, teſtem adducit Catharinum, iuratum eius hoſtem; cum ex inimico teſtem educere, ipſemet ridiculum iam declarauerit. Recentem adhuc Monteſoni cauſam, iteratò recantat; & Carranzam quem non nouit, reum indigitat, quia accuſatum; quaſi conuictio ſit criminis, ſola delatio. Reuocat iterùm mentionem de Pæleologo, quem quidem damnatum ad ignem ob hæreſim docet Antonius Ciappi in vita Italicè ſcripta Gregorij XIII. §. 7. pag. 67. 68. ſed dum igni eſſet tradendus, repentè de cœlo tactus, pœnituit, & ſcribens pro fide, piè obiit in Carcere. Nec Ciappi autem, nec Victorellus qui eum Iacobum vocat in Additionibus ad Ciacconium in vita Gregorij XIII. dicunt eum fuiſſe Dominicanum. De quo & altum ſilentium apud Prateolum, Spondanum, Galterium & alios. Cæterùm regnantibus in Angliâ Philippo & Maria eius coniuge, Frater Carranza ſummâ pollens auctoritate apud ipſos, ſimultates ortas circa receptionem Legati ſedis Apoſtolicæ, ipſe pacauit; laborauitque indefeſſè vt Regnum Anglicanum in obedientiâ Eccleſiæ permaneret: Hæreticorum fuit flagellum; Thomam Crammerum Archiepiſcopum Cantuarienſem, Oxoniæ iuſſit effodi & comburi; ſicut & oſſa vxoris Petri Martyris Hæreſiarchæ. Ad Archiepiſcopatum Toletanum tandem aſſumptus, & à Pontifice vocatus, Romæ comparuit, causâque eius iuſtè iudicatâ, humiliter ſententiam acceptauit, animo in aduerſis æquo, & modeſto in proſperis, vt conſtat apud Fernandem, ex quartâ Centuriâ ab Epiſcopo Monopolitano edita. Errare

potuit, nuſquam tamen hæreticus, qui humillimo famulatu ſubjecit ſe iudicio & arbitrio Pontificis. Pro quo etiam audiendus Cardinalis Pallauicinus, è Societate Ieſu aſſumptus: qui 2. p. Hiſtoriæ Concilij Tridentini italicè

L. 14. c. 11. ſcriptæ, ſic ait. [Quantum ad Carranzam de quo tacere voluit Suauius, dicendum quod per plures annos, cauſa eius fuit ventilata apud Inquiſitionem Hiſpanicam, dein apud Romanam ſub Pio V. & Gregorio XIII. non eſt inuentum fundamentum eum abſolutè condemnandi; ſed ſolum adigendi vt fateretur grauem dediſſe anſam malè de ipſo ſuſpicandi. Poſt quæ; liber à carcere, non ſolum intaminatæ fidei, ſed etiam ſingularis deuotionis ſigna dedit.] Purgatâ itaque contra Carranzam iniectâ calumniâ, aliam adhuc rudiorem ab Inquiſitore Parmenſi depellamus.

Rudis & hebes figmentorum faber, Petre, mihi certè videris imitari Caligulam, pari Tecùm Capitis debilitate famoſum;

Cap. 46. qui teſte Suetonio in Caïo, directâ acie in littore maris, balliſtis machiniſque hinc inde diſpoſitis: ardente ad pugnam milite, nemine gnaro quem aggreſſurus eſſet, cum nec Afer, nec Germanus, nec quiuis alius hoſtis tentandus occurreret. Dato tandem ſigno, progreſſum eſt cum magno belli apparatu, ad littus; conchaſque legere imperatum. Cui victoriæ omni ex parte ridendæ, ridiculior adhuc à Senatu decernitur triumphus. Ecquis ergo miſer ille hoſtis, de cuius ſtrage adeo pompaticè ouatur? Vmbra volans, Spectrum inane, Concha vilis, quæ furentis Occeani ſpuma eſt & ſputum. Bone Deus! Quando Te vidimus Pſeudo-Petre in huius Paragraphi veſtibulo varias & victrices armatorum primæ

Nugæ. Nobilitatis ordinantem phalanges; Doctores Eccleſiæ; Imperatores Catholicos & Pios, Gratianum & Valentinianum, ipſos Cælicolas, Bernardum, Ambroſium, & venerandos Concilii Tridentini Oecumenici Patres, pari conatu in eundem ſcopum prorumpentes, Gigantem credidimus aut Herculem debellandum. Sed ecce Concha ſolum proponitur conſequenda: Non inquam verus; ſed fictus Quæſitor Fidei, Parmenſis; idolum, volaticâ mente conceptum; furentis in Cyriacos Pſeudo-Petri, ſpuma fœtens. Quomodo enim verum aut veriſimile, Quæſitorem & propugnatorem Fidei ex officio, Fidem

Catholicam à Conciliis & Patribus ſolemniter obſignatam, palàm conculcaſſe in vrbe primariâ, nullo penitùs reclamante, in ipſo Italiæ gremio? Vbinam ergò tunc Magiſtratus? vbi Regulares? vbi Clerus? vbi Præſul? ſilent omnia, Fide miſerabiliter protritâ & in plateis corruente? At vbi vigiles illi Fidei Athletæ, pro minimo Religionis apice parati mori? Ab anno 49. ad 52. elinguis omnis Catholica natio Parmenſis? per 13. annos integros, querulas in Fidei Quæſitorem emiſit voces lacera Fides, & nemo pereunti manum obtulit? Vbi Zelus? vbi Religio? Reus ergo eſt Clerus vterque, deſertæ ac crudeli ſilentio præfocatæ veritatis. Venere itaque conſenſu tacito in criminis ſocietatem, inclamante Paulo, *dignos eſſe morte, non ſolum qui talia agunt; ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* Qui ſilet, cùm poſſit & debeat reclamare, conſentit. *Calumnia.*

Vis aperiam omnibus veritatem quam tu obliquando obſcuraſti? Duplex Tibi Parmenſis fidei Quæſitor, vterque Cyriacus. Quinam illi? edicito. Verus & fictus: Genuinus & perſonatus. Verus quidem, qui ſapienti & inuicto animo, Theſes publicè agitandas, quibus defendebatur Contritionem conferre gratiam, nullo etiam exiſtente explicito vel implicito voto Sacramenti, tanquam reprobas, vt loqueris, & à Fide ſanâ abhorrentes conſtanter reiecit, nec paſſus educi in lucem opus Tenebrarum. Hoc proponenti bilem commouit; cuius tu vindicaturus iniuriam; injiſti eum eo conſilium, impetendi ſuppoſititium Fidei Quæſitorem; fingendo verum ab ipſo fidei dogma improbatum, putà Contritionem etiam cum voto Sacramenti eſſe ſterilem & gratiæ vacuam. Sicque vindicante Numine, infœlix Araneus, iiſdem quas texuit, telis implicatur; iuſtamque luit, detectâ fraude, commenti pœnam. Verius enim eſt, Petre, Te & dictis & factis euacuaſſe Contritionem, abieciſſeque amorem diuinum, quaſi ſis vnus de Partiariis Baïanorum, quos ita ſenſiſſe dicis; quàm R. P. Marinum; qui libellos Hæreticos & impios ſimiles tuis, in Columnâ infami, iuſtâ cenſurâ notatos per 25. annos tanquam Indicis Sacri Secretarius affigi curauit, eſſe Baianorum, vt loqueris, partiarium; quamque Inquiſitorem Parmenſem aliquo errore Fidem maculaſſe. Quantum ad cætera, proba quæ adducis & reſpondebimus. Ridemus puerilesgarritus. *Fictio.*

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Bannem hæreſis ſuſpectum inducit, circa exiſtentiam Specierum Sacramentalium.

§. II. *PANIS & vini ſubſtantiam, & omnia ad eam attinentia, per Conſecrationem deſtrui, vox* Tranſubſtantiationis *demonſtrat; eſtque dogma Fidei indubitatum. Inuentus nihilominus eſt apud Cyriacos, qui neſcio quid ſubſtantiale, (exiſtentiam ſcilicet ſubſtantiarum panis & vini) ſupereſſe poſt Conſecrationem, abſolutè doceret. Ita Bannes 1. p. q. 4. in prima editione: quod Fidei Catholicæ prorſus diſſonare tradunt Vaſquez 3. p. diſput. 180. cap. 11. Suarez Tom. 3. Diſputat. 49. Sect. 4. & Ægidius de Conninck 3. p. q. 7. num. 63. fuiſſeque eam doctrinam, tanquam à Fide alienam, ab Innocentio VIII. damnatam, obſeruat Albertinus Coroll. de quantit. dub. 5. num.* 11. *Recognouit poſteà eam ſuam doctrinam Bannez, ſed ita correxit, vt tamen voluerit eam eſſe probabilem. Sed neque hoc ferendum eſt, quia eſt perſpicuè contra doctrinam Eccleſiæ de Tranſubſtantiatione panis & vini, traditam in conciliis & benè pridem expreſſam à Gaufrido Cardinali Vindocinenſi Opuſc. 1. & antiquis omnino multis, quos adducunt Coccius atque Garetius.*

RESPONSIO.

ANimulæ Tuæ rimas & interpolationes non illepidè oſtendis Petre. Duplex tibi munus: circumfluentia memorialia ſeu Schedas, vndique excipere, & perquiſitos vagâ mente librorum Indices, exſcribere: vt qui in tanta argumentorum inopiâ, Lectorem potes ludere, non inſtruere, indigeſtâ & paſſim adiaphora Citationum mole obtundas. Legiſti Banneſium quem citas & impetis? Puro quod fide nireris alienâ. Inueniſſes enim obiectiunculæ Tuæ (ſi Tua dicenda eſt, quam ab ipſo Auctore in quem inuolas, emendicaſti:) planè ſatisfactum; & tanquam vanæ ac ſophiſticæ argutationi occurſum. Audi ergo, quem non vidiſti cæco Marte irrumpens. Loco à te citato, ſic ait; *Benè fieri poteſt per Diuinam potentiam eſſe*

1. p. q. 4. a. 2. dub. 2. in reſp. ad. 3.

exiſtentia quod modò eſt in ſubſtantiâ, ſeparari & conſeruari ſine ſubſtantiâ. Im'o de facto (attende) *poſſet aliquis probabiliter ſuſtinere, quòd accidentia in Sacramento altaris exiſtant per modum ſubſtantiæ, cum exiſtentia quæ fuerat antea in ſubſtantiâ, quæ totaliter deſinit eſſe. Dixerim probabiliter ſuſtineri; quia probabilis eſt opinio quam tenet Magiſter Soto. Quod quando accidentia exiſtunt in ſubſtantiâ, exiſtunt ſecundariò per eamdem exiſtentiam, per quam exiſtit ſubſtantia: ita ſanè, quòd eadem res, per quam per ſe primò, ſubſtantia exiſtit in rerum naturâ, ſit eadem per quam ſecundariò accidentia exiſtunt in ſubſtantiâ, ſeu potius inexiſtunt. Atque hoc pacto per neceſſariam conſecutionem ſequitur, quod cum factâ Conſecratione maneant & exiſtant accidentia, eadem numero quæ antea erant in ſubſtantiâ panis, cum eadem exiſtentiâ quam antea habebant. Nam certum eſt, niſi quis velit deſipere oppoſitum aſſerens, quòd non creatur de nouo exiſtentia aliqua per quam accidentia exiſtant. Sed, vt inquit D. Thomas; quòd poſt Conſecrationem, quamuis ſubiectum accidentium non remaneat, remanet tamen eſſe quod habebant huiuſmodi accidentia in ſubiecto, quod quidem eſt proprium & conforme ſubiecto. Ecce igitur conſequentiam euidentem. Accidentia manent cum exiſtentiâ quam acquiſierunt in ſubiecto: ſed illa exiſtentia ſecundum probabilem opinionem non diſtinguitur tanquam res à re ab exiſtentiâ per quam antea exiſtebat ſubſtantia: Ergo iam de facto ſeparat Deus illam exiſtentiam, vt accidentia maneant & exiſtant per modum ſubſtantiæ, atque inde eſt vt nutriant hominem & corrumpantur, ſicut ſi eadem ſubſtantia panis maneret, vt docet D. Thomas vbi ſuprà. Idem docet Caietanus.*

L. 1. Phyſ. q. 6. a. 1. prope princip.

3. q. p. 77. a. 4.

3 p. q. 77. a. 4.

Poſt hæc, argumento tuo Petre, ex Conc. Trident. ſeſſ. 13. can. 2. ſic reſpondet idem Bannes à quo accepiſti quæ in ipſum torques tela. *Reſpondetur ad hoc argumentum quod qui pauca reſpiciunt, facile hallucinantur. Si enim Sophiſticus argumentator attenderet, quòd eo ipſo, quod concilium definiuit accidentia manere, definire etiam quod maneant cum exiſtentia, videret conſequentiam ſui argumenti nullam eſſe. Certum eſt enim apud doctos Theologos, quòd exiſtentia in hoc myſterio non creatur de nouo, ſed eadem prorſus per quam antea exiſtebant accidentia, manet cum illis vt exiſtant per modum ſubſtantiæ. Ergo dictio excluſiua, duntaxat, cum dicitur, duntaxat manentibus ſpeciebus Panis &*

Vini, non excludit exiſtentiam quam antea acquiſierunt accidentia in ipſa ſubſtantia. Vtrùm autem hæc exiſtentia diſtingueretur tanquam res à re, cum reſpectu ad ſubſtantiam, diceretur exiſtentia per ſe ſubſtantiæ, & rurſus diceretur inexiſtentia accidentium, ſiue exiſtentia in alio; quæſtio eſt ſatis impertinens ad Sacroſancti Sacramenti Religionem ac Fidem. Atque ita ſentiunt(audi Sciole)*omnes viri doctiſſimi, quos ego conſului plurimos, non ſolum mei Ordinis, ſed etiam alterius & ſingulares Magiſtros doctiſſimos valdeque Catholicos.*

Vides ergo, Pſeudo-Petre, confoſſam iam pridem à Banneſio obiectiunculam tuam, qua nihil de tuo ingeris. At qua fronte poſt tot rationes & teſtimonia, negas probabilem hanc Banneſii ſententiam, qui in ea es ſententia (cuius probatio tibi incumbit,) quòd duo, & etiam vnus tantùm Doctor grauis poteſt opinionem probabilem conſtituere? Numquid Tuo iudiciolo æſtimandi ſunt viri graues ac pii, Cardinalis Caïetanus qui in totam Scripturam & in vniuerſam Theologiam ſcripſit commentarios

L. de Scrip. 1500. doctiſſimos? de quo Bellarminus. *Thomas de Vio patria Caietanus, vir fuit ſummi ingenii, nec minoris pietatis.* Sotus, Theologus Concilii Tridentini, de quo idem Bellarminus ibidem; *Dominicus Soto Segobienſis, vir doctiſſimus & pius valde, qui Carolo V. Imperatori à Confeſſionibus fuit & Concilio Tridentino interfuit.* Ipſeque Banneſius Vniuerſitatis Salmanticenſis olim primarius Regens, D. ac Seraphicæ Thereſiæ Director Spiritualis, cuius opera toto orbe habentur in pretio. Opinio igitur his tribus Doctoribus innixa, eſt probabilis iuxta etiam doctrinam quam ſequeris. Quid ergo improbabilem clamitas? Crede, noli in poſterùm res alienis intueri oculis qui te deceperunt, adhuc decepturi: multo autem minùs crede Tuis, qui rabioſuli liuoris tabo infecti, lucem ſuſtinere non valent.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Imponit Candido Cyriaco, approbaſſe Species Sacramenti eſſe præſtigias.

§. 12. *IN eadem Euchariſtiæ materiâ, nuper quidam Bardus effutiuit craſſam hæreſim, negans Species Sacramentales obiectiuè*

ſumptas, eſſe reales. Quas autem paſſim cenſemus accidentarias, Panis & Vini exuuias, dixit eſſe praſtigias, & inanes ſpecies quales ſunt colores Iridis. Hoc vero eſt apertè hæreticum, vt patet ex definitione Concilii Conſtantienſis, & ex vnanimi conſenſu Patrum, & omnium ad hanc diem Doctorum Catholicorum, celebrantium Dei omnipotentiam in auulſione Accidentium panis & vini, & conſeruatione eorum abſque omni materiali ſubiecto, vt eſſet fides ac noſtro merito locus. Hanc Hæreſim tradidiſſe primùm fertur Robertus Holcot Ord. Prædicatorum, qui tamen fortè paſſus eſt calumniam: Sed ei, cum primùm à bardo, quem dixi, vulgata eſt, inhæſit ex eodem Ordine F. Vincentius Candidus; qui inter eos qui ſuffragatione & adſcriptione ſuâ Hæreſim illam firmarunt inuentus eſt primus; atque adeò non modò alienum errorem fecit ſuum, ſed etiam paucis quibuſdam improuidis facti turpis Dux fuit. At docentibus Chryſoſtomo in magni Ignatii Encomium, & Aſterio, oratione de S. Stephano, qui primus complanat iter ad malum, & cæteris viam munit, tetrius exerrat; ſicut econtrario, qui dux eſt generoſi facti, auctius meritum aſſequitur.

RESPONSIO.

Certè, mi Fratelle, illuſus es; faſcinauit Te, implantata natalium debilitati vanitas imperita, magiſque eges Medico quam Doctore. Recordetur barditas Tua, eius quod Tibi Romæ contigit in congreſſu cuiuſdam religioſi viri, & profeſſione *Minimi*, ſed *maximi* Doctrinâ & merito: quem Tu, dum ſcripto ei amicâ manu tradito, probare velles, hæreſim ſapere, ob præſens dogma, cuius ipſe eſt acerrimus propugnator, ſi ſyncerè proponitur; (ſed tu corrupiſti, præſtigiis & illuſionibus res inuoluens, vt inuidiam & crimen conflares authori:) Reſpondens ille die ſequenti, puerile Linguæ ſenilis profluuium tribus lineis ita exſiccauit, vt Te ex illâ horâ elinguem expertus fuerit. Ideo fortaſſe tacito nomine eum ſugillas, quia ad nomen eius expaueſcis. Detegam ego. Ille eſt Emmanuel Magnan Gallus, Ordinis Minimorum, & noſtræ ætatis inſigne decus, adhuc inter viuos agens Toloſæ; qui in duplici opere euulgato, quorum vni Titulus eſt, *Philoſophia ſacra*; alteri, *Curſus philoſophicus*, eam-

dem doctrinam de Accidentibus, ob quam eum hîc vellîcas, repetens & inculcans, approbatores habuit tres Academiæ Toloſanæ Profeſſores, quorum nomina & approbationes eiſdem Lucubrationibus præfiguntur. Vt hoc ſufficiat ad conuictionem barditatis Tuæ, dum Candidum, Cyriacum ac Magiſtrum ſacri Palatii, appetis, eò quòd ſimile opus continens eamdem doctrinam, in opere Panormi impreſſo, calculo ac approbatione ſua obſignarit.

Impoſtura. Hallucinaris; approbarunt Franciſcus Delbene, Melchior Balducci & Franciſcus Bardi è Societate; quorum duo poſtremi erant qualificatores S. Officij. Approbauit & Vincentius de Candia: nullatenùs autem Vincentius Candidus ſacri Palatij Magiſter, vt illi falsò obiicis; quique doctiſſimos libros de Sacramentis in lucem edidit, & in Tractatu de Euchariſtiâ, vera & realiſſima agnouit Accidentia Euchariſtica. Robertum autem Holcot, pariter Cyriacum retracto pede, non es auſus temerare. Crede mihi; Bardus es, Bardus eris, & niſi caueas, in craſſa Barditate tua morieris.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Imponit Combefiſio agnouiſſe duplex Eccleſiæ caput.

§. 13. *ASſertionem cuiuſdam Arnaudi, ſtrenui in Gallia veterum errorum mangonis, de SS. Petro & Paulo duobus ſimul Eccleſiæ Capitibus, indiuiduè in vnum coaleſcentibus. Innocentius x. damnauit hæreſeos. Ei tamen aſſertioni inhæſit F. Franciſcus Combefis Ord. Prædicatorum, in Collatione Actorum ſextæ Synodi pag. 244. nixus ſtramineo argumento, petito ex eo quòd aliquando Pontifices dicant ſe eſſe ſucceſſores Apoſtolorum Petri & Pauli. Hoc extricarunt omnino multi qui egerunt de bicipiti Eccleſia contra hæreſim Arnaudianam, per cuniculos molientem exæquare Romano Pontifici omnes Epiſcopos. Et quamquam in ea collatione Actorum, hic author veluti Sepia, affuſo verborum ac phraſeon inuolutarum atramento tentauerit videri aliud dicere, quàm dixerat Arnaudus; & vel ab aliquo admonitus, vel notam inurendam extimeſcens, in calce eiuſdem voluminis poſt notas ad orat. Demetrii Cydonii; velit cenſeri inhærens definitioni*

Pontificia; tamen non retractat quæ priore illo loco dixerat; totidem verbis cum Arnaudo affirmans, Paulum vnà cum Petro, indiuiduâ, vnâ, formali ac per ſe Cathedrâ, cuius ſucceſſio ſit penes Pontifices, eſſe poſitum; quam verborum illuuiem non abſterſit poſteriore illo loco.

RESPONSIO.

SEpiam tenemus, nec lãtitationis aut fugæ locus occurret. Veterum errorum ac renaſcentium indeficienti ſcaturigine mendaciorum, rudis *Mango*, perſonatus ſenex, debiliſſimam mentem, validiſſimis oſtendit argumentis; licèt, vt eum decet, intricatis. Noctem nocte illuſtrat; ſtultius ac infelicius quàm vllæ *Sepiæ*, atramentum fundit vbi captatorem timet. Nec enim complicatâ falſationum, mutilationum ac impoſturarum affuſione id aſſequitur, (quod Sepiæ ſolent) vt lateat & effugiat; ſed contrario planè euentu, magis ſe prodit & clariùs deprehenditur, inſido vſus ſtratagemate, & *ſtramineo nixus argumento*. Similem principio Clauſuram impoſiturus primæ Diatribæ Pſeudo-Petrus, Combefiſium quem timet, dolo aggreditur: dolus an virtus, quis in hoſte requirat? Offert ſe quadruplici deuehendus rotâ, effrontis ac deſperatæ mendacitatis triumphalis currus. Primo enim dicis, Petre; Combefiſium inhærere Aſſertioni libelli de duplici Eccleſiæ Capite, ab Innocentio Decimo damnati. Quid ille? Audiatur in propriâ causâ. *Hæc obiter pro eius* (ſedis Apoſtolicæ) *reuerentiâ, & ſubnotatione libelli de duplici capite Eccleſiæ, Petro & Paulo.* Audin? Ille ne aſſertioni libelli inhæret, qui libelli aſſertionem ſubnotat? Libellus Paulum Petro in omnibus exæquat, duplexque caput corpori Eccleſiæ, æquali poteſtate inſidens docet, ex quo notam meruit. At, inquit Combefiſius; *certè ipſe Agatho 1. illâ ſuggeſtione ait, Petrum omnium Apoſtolorum principem; quod putem ne Pauli quidem dictum exceptione, quem nec extraordinarij illius Apoſtolatûs celſitudo, ab eiuſdem Petri, velut ſaltem perſonali ſubiectione, quicquid ſit de Officio ac Apoſtolatûs plenitudine in reliquos omnes ab Apoſtolis aliis, eximeret. Quippe factus erat ex Lupo Ouis Chriſti, cuius curam, Chriſti eiuſdem Vicarius Paſtor, omnino creditam accepiſſet, Ioan. 20.* Calumnia.

Libellus ſecundum Te, conatur oſtendere pares eſſe
ſummo Pontifici Epiſcopos: *Hoc extricarunt,* inquis, *omni-*
no multi, qui egerunt de bicipiti Eccleſiâ contra hæreſim Ar-
naudianam, per cuniculos molientem exæquare Romano Pon-
tifici omnes Epiſcopos. At quàm diſpar vox illius, in quem cæ-
co Marte irruiſti? Audi illum. *Succedant ergo Illuſtriſſimi*
Epiſcopi, maiori aut minori amplitudine poteſtatis, prout ſacri
Calumnia. *Canones ad congruum Eccleſiæ regimē cuique ſanxerint, Apoſto-*
lis Epiſcopis; vnus maior inter Fratres Romanus Pontifex Petro
ſuccedat in plenitudine poteſtatis, eiuſq; vna ſedes κατ' ἐξοχὴν
eximièque ſedes Apoſtolica dicatur & ſit. Denique author
Libelli, Petrum & Paulum *duo ſimul Eccleſiæ Capita, indi-*
uiduè in vnum coaleſcentia, Te teſte, declarat; nullo indu-
cto diſcrimine Capitis ordinarii & extraordinarii, quale
Calumnia. exertè adducit Combefiſius. *Qui eam* (Eccleſiam Roma-
nam) *non tantum fundauerint ac doctrinâ erudierint, quod*
aliis quoque Eccleſiis præſtitiſſe noſcuntur, ſed etiam propriam
ſibi ſedem delegerint; ſeu potiùs à Domino Ieſu Chriſto pecu-
liariùs deſtinante ad Romani Imperii Arcem ac Orbis Caput,
vt talem exceperint, inque eâ glorioſo martyrio Doctrinam
ſanxerint: ſic tamen vt vnus Petrus Ordinarii primatûs pote-
ſtate, Romanæ Eccleſiæ primatum illum in Succeſſoribus, ac
priuilegia ſedis Apoſtolicæ initiauerit, idem nihilominus ini-
tiaturus, tametſi Paulus nec Sedis nec Martyrii vnquam ac-
ceſſiſſet ſocius. Paulus verò Primatûs eiuſdem, ſi tamen eiuſ-
dem, velut extraordinariâ poteſtate, poſt Eccleſiam ſatis inſti-
tutam in 12. Apoſtolis, iiſdem ſubſidio datus, atque ad eius
poteſtatis plenitudinem excellentiâ quâdam ſubſidiarii velut
Capitis aſſumptus; non ipſe quidem eiuſmodi Primatum per
ſe initiauerit; qui nec ſucceſſorem vllum, ſic extraordinariè
Apoſtolatûs, ac in eo eminentia velut Capitis *indiuiduè cum*
Petro auctus perſeueraturâ Eccleſiâ in veritate, quâ primò
fundata fuerat, erat habiturus. Ergo ne vt impudenter bla-
teras, *quamquam in ea collatione Actorum hic author* (Com-
befiſius) *velut Sepia affuſo verborum ac phraſeon inuoluta-*
rum atramento, tentauerit videri aliud dicere, quàm dixerit
artifex libelli damnati, idem cum illo ſentit, qui oppoſi-
tam amplectitur ſententiam ex quadruplici illo capite
iam laudato?

Verùm, quâ fronte ſubiungis eum vel admonitum,
vel inurendâ notâ exterritum, (cum ſecundùm Te

quicquid ſcribant Cyriaci, nulli planè cenſuræ ſint obnoxii, ex ſingulari immunitate) poſt notas Demetrii Cydonij, velle cenſeri inhærentem Pontificiæ definitioni, tamen non retractatis, quæ priori loco dixerat *totidem verbis cum authore libelli affirmans, Paulum vnà cum Petro indiuiduè, vnâ formali ac per ſe Cathedrâ, cuius ſucceſsio ſit penès Pontifices, eſſe potitum. Quam verborum illuuiem non abſterſit poſteriore illo loco.* Enimuerò abſtergere quid opus fuerat, vbi nulla peccati vel tantilla labes? Tu-met, Petre, duplex peccatum debes eluere. Eodem enim audaculæ mentis pruritu verba mutilas, & falſas ſenſum, ex vtroque reus. Non corrigit ille effata ſua, ſed repetit, quæ & Pontificiâ conſtitutione, velut nouo calculo obſignat & firmat. *Modoque*, inquit, *vbi ſuprema Romæ inquiſitio ac Sanctiſſimus pronunciarunt, libertius aſſero*, iterumque; *Paulum Chriſtus ouem ſub Petro vice Chriſti paſtore vno, vt & Apoſtolos reliquos, indubitatâ veritate dico.* Imponis itaque illi, ſenſumque eius vt euertas, abradis verbulum vnum totius negotii cardinem. Et vt oculis res ſubiecta pateat, libelli textui, quem Tu mox adduxiſti, verba Combefiſii quæ illius verbis ſimillima aſſeris; attexam. *Cum dederit* (Paulus) *Romanis deinceps Pontificibus occaſionem merito gloriandi de ea velut ſaltem materiali* (abraſiſti) *vt vocant, indiuiduè cum illa Petri, vnâ formali, ac per ſe, ſucceſſione.* Viden? Succeſſionem Pauli ad Pontifices deriuatam, *materialem* vocat; illam verò Petri, *vnam, formalem ac per ſe.* Tu verò vt confunderes, doloſâ mutilatione ſubſtraxiſti, *materiali.* Habemus ergò currum ipſiſſimæ calumniæ, non triumphalem; ſed feralem, ſimilemque infami Rhædæ, quæ facinoroſos morti addictos, ſub infamiâ publicâ deportat ad patibulum. Quæ enim tibi in poſterum fides adhibenda, qui omnem planè fidem eiuraſti? aut per quos Deos es iuraturus, qui Deos omnes violaſti? vt aiebat antiquus Orator. Simul enim euertiſti, impoſuiſti, truncaſti, Falſaſti: in vno eodemque perbreui Paragrapho, quadruplicis maleficij Machinator & Reus, vt meritò tibi dicere poſſit Combefiſius, illud Auguſtini in Iulianum. *Tu autem vir honeſtus & verax, abſtuliſti verba, quæ dixi, & dixiſti quæ finxiſti, redde verba mea, & euaneſcet Calũnia tua.*

Falſatio. *Truncatio.* *Reatus 4.* *L. 4. c. 8.*

Audi ergo à grauibus viris propugnatum, quem impugnas, & Cyriaco accinentes varios, quorum Tu teſtimo-

nium non deſugies, Scriptores. Audies Venantium Fortunatum, quem citat & ſequitur Cornelius à Lapide, in Prolegomenis ad Epiſtolas Pauli, capite de fama Apoſtoli, ſic concinentem; & quaſi Combefiſio, de verbo ad verbum, præludentem Aperi igitur, ſi potes, aures, Petre ab aure & valle clauſâ; & à profano Poëtarum laſciuientium lacte, quo Te ingurgitauit Poëtria vallis tua, ad ſaniora euocatus, excipe quæ tenui ſibilo inſufflabit, de Theologico Themate, Theologaſtrum inſtruens Vates ſacer.

L. 3. Carminum.

Cælorum porta, lati duo lumina Mundi.
Ores tonat Paulus, fulgurat arce Petrus.
Inter Apoſtolicas radianti luce Coronas,
Doctior hic meritis, celſior ille gradu.
Corda per hunc hominum reſerantur, & aſtra per illum.]
Quos docet ille ſtylo, ſuſcipit iſte polo.
Pandit iter cæli hic Dogmate, Clauibus alter,
Eſt via cui Paulus, Ianua fida Petrus.
A facie hoſtili duo propugnacula præſunt,
Quos fidei Turres Vrbs, caput Orbis habet.

L. 1. de rom. p. c. 25. Nec ſolus hoc intonat ex Venantio Cornelius; Bellarminus enim ſic ait: *Etiamſi conſtaret Paulum Petro omnibus nominibus anteponedum, nihil officeret Pontificibus aut Petri primatui, quia ipſi tam Petrum quam Paulum prædeceſſorem & Parentem agnoſcunt. Si quidem vterque Apoſtolus Romanam Eccleſiam fundauit, & gubernauit. Vt præter alios teſtatur Iræneus. Et in vrbe Româ vterque per Martyrium vitam finiuit. Itaque omnis Pauli gloria ad Pontifices pertinet. Nihil etiam officeret Petri pontificatui ſumma dignitas & auctoritas Pauli, quoniam extraordinatia erat, quanta quanta tandem eſſet.* Cogita Pſeudo-Petre quid his reſpondeas, Combefiſio apertè accinentibus.

L. 3. c. 3.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Ridiculè concludit Cyriacorum libros ſcatere erroribus.

§. 14. *ALIA exempla Stribiliginum circa Catholica dogmata, inquinantium libros Cyriacorum, dabit in tempore, Index Vniuerſalis ad ſingulos eorum Doctores. Nunc hæc ſpecimina ſufficiant, & quamuis F. Ioannes Baptiſta de Marinis,*

importuniſſimis precibus, (an minis?) extorſit à Teutonibus, vt volumen vnius Celtiberi, de hæreſibus, queis ſcatent libri Cyriacorum, lucem non videret, tamen pro illo vno abortuo, naſcentur maturi fœtus complures, cum res feret, quæ item Diatriba ſequenti ſubiiciam, faciunt ad hoc inſtitutum.

Concluditur apodicticè ex antedictis, libros Cyriacorum non poſſe ſtatui immunes à cenſurâ, propter immunitatem à fermento doctrinæ reprobæ. Dices S. Cyprianum aſſeruiſſe Anabaptiſmum hæreticorum; & Sanctum Auguſtinum, dum eſſet iunior, admiſiſſe primam gratiam præuenientem dari ex merito; & tamen neutrum notatum eſſe hæreſeos, quia caruerunt obfirmatione in illis placitis hæreſi ſordentibus; quæ obfirmatio eſt de eſſentia hæreſeos & cuſuſvis completæ infidelitatis, vt docet Couarr. l. 3. Variar. cap. 1. & Suare l. 5. contra Iacob cap. 23. Et habetur ex C. Damnamus *de ſummâ Trinit. & Fide Catholicâ; vbi Ioachimus Abbas excuſatur, quia non laborauit pertinaciâ. Similiter ergo Cyriaci quos adduximus, non ſunt contumaciter obluctati definitionibus Eccleſiæ: atque adeò cum non fuerint formaliter hæretici, meritò libri eorum in quibus doctrina tantum materialiter hæretica delitеſcit, non ſunt relati in Album nigrum, hoc eſt in librorum prohibitorum Indicem. Sed hæc excuſatio eſt planè friuola; ſic enim nullius planè Catholici opera, poſſent referri in Indicem Librorum vetitæ lectionis; quia nemo qui perſtet Catholicus, eſt contumax aduerſus Eccleſiam. Ad hoc ergo vt Liber aliquis ſtatuatur Cenſuræ obnoxius, ſufficit in eo tradi hæreſim materialem quam interſit fidelium, improbari interpoſitâ cenſurâ libri. Sicut ergo libri Cyriacorum (vt monſtratum eſt) non rarò ſordent hæreſibus; ita neque deberent eſſe immunes à Cenſurâ, cui adeò frequenter ſubiacent libri cæterorum, æquè Catholicorum. Vnde iſta diſparitas?*

RESPONSIO.

NEc adhuc è fluxâ foraminoſæ mentis memoriâ exciderunt vltimæ pueriliatis *ſtribiligines*, ſeu ſolœciſmi, vt ſacra tractare & temerare audeat profanus Ludi magiſter, infimæ garrulitati aptior, quàm pulueri Theologico? Remittatur domeſtico Maſtygi, vt ſtribiliginoſæ loquacitatis reus vapulet, donec ſapiat aut erubeſcat, neutrius capax. Interìm non ignoras, laruate Nebulo, inter

promiſſa & repromiſſa mutuam intercedere relationem:
Mina. Cum igitur adeò christianâ & religioſâ liberalitate promiſeris, Te publicæ daturum luci, Indicem in omnes Cyriacorum auctores, ſub cano capite ſenex Alphabetaries repromitto ego, Cyriacæ gratitudinis obſes, collatumque à te beneficium repenſurus, prodituruin ſtatim poſt Abphabetum ſeu Indicem Tuum, Elucidarium Vallisclauſæ, in omnes eius ſinus expanſum. *Intelligenti pauca.*

Cæterùm quia apodictiçè concludis, libros Cyriacorum non poſſe ſtatui immunes à Cenſurâ, eò quòd, vt dicis, ſcateant hæreſi materiali; multóſque Cyriacorum fuiſſe, aut etiam nunc eſſe Hæreticos, ſæpiùs, maximè §. 9. inclamaueris; gratum erit Lectori; imò neceſſaria fidei tuæ comprobatio, oſtendere breui, in quo Concilio, & à quo Pontifice, irrogata ſit Dominicanis hæreſæos nota. An in Concilio I. Lateranenſi ſub Innocenrio III. celebrato an 1215? Non poterat hâc labe notari Ordo Prædicatorum qui nondum erat; enatus eſt autem anno ſequenti, Imo in eâ Oecumenicâ Synodo, D. Dominicus Fundator & Pater, ac Theologus eximius, confutauit errores Abbatis Ioachim, & Almerici Carnotenſis; & immediatè poſt Concilium, à Pontifice creatur primus Fidei Quæſitor contra Hæreticos. Hæc læta primordia, non ruinam Fidei, ſed fœlix augmentum ominantur Dominicanæ familiæ.

An. 1245. celebratur primum Lugdunenſe ſub Innocentio IV. in quo Hugo de S. Theodorico, dictus communiter, Hugo Cardinalis, Cyriacus, & ibidem ad Cardinalatum aſſumptus, errores Petri de Vineis Capuani, circa Pontificis auctoritarem, eruditis diſputationibus confutauit; miſſuſque Apoſtolicæ ſedis Legatus ad Imperij Electores, vt in Frederici abrogati locum, alium
3. p. pag. 563. & ſeq. Imperatorem ſufficerent; vt benè Ciacconius deſcribit. Non palleſcit adhuc fides Cyriacorum, quibus conſtat honos, confutaſſe in hoc Concilio errores; & eminentiſſimâ Legati auctoritate, adlaboraſſe eligendo Imperatori, poſt Schiſmaticum exauctoratum.

Lugdunenſe II. ſub Gregorio X. celebratur an. 1274. ad vnionem Eccleſiæ Græcæ & Latinæ; ad expeditionem contra Saracenos, & pro pace Principum Chriſtianorum conciliandâ, cui interfuerunt præter Pontificem, Conſtan-

tinopolitanus & Anthiochenus Patriarchæ, quingenti Epiſcopi, Oratores & Legati ſeptem Regum & Imperatoris Conſtantinopolitani ac Tartarorum. Ad hanc celeberrimam Synodum vocatus à Pontifice S. Thomas, moritur in itinere: ſed in auguſtâ illâ coronâ, Petrus de Tarantaſia Dominicanus, qui poſteà ad Pontificatum promotus, dictus fuit Innocentius V. & Albertus Magnus eiuſdem Inſtituti, Græcos Doctores de erroribus contra proceſſionem Spiritus-Sancti; publicâ diſputatione conuicere; traxeruntque ad Fidem & vnionem cum Eccleſia Romanâ. Commiſit etiam Gregorius Ordini Prædicatorum, curam prædicandi Militiam ſacram contra Infideles, vt teſtatur Ciaccon. de Gregorio X. Leander Albertus & alii apud Fernandem. Aderant ibi Tres ex familiâ Dominicanâ Cardinales; F. Robertus Archiepiſcopus Cantuarienſis Cardinalis Portuenſis: F. Hugo Gallicus Archiepiſcopus Lugdunenſis & Cardinalis Oſtienſis: item F. Petrus de Tarantaſia, qui in 5. Seſſ. Oratorem Abagha Regis Tartarorum; cum duobus ſociis baptiſauit. Ita Miechouius in Roſa Myſtica. En Petre, nondum de hæreſi damnantur Dominicani, qui tot pro Fide obtinent Coronas. *L. 3. fol. 126.* *Diſcurſu 311. n. 26.*

Anno 1313. ſub Clemente V. Concilium Viennenſe habetur pro reformatione Eccleſiæ, & F. Guillelmus Durandus Cyriacus, & Epiſcopus Mimatenſis, erudititiſſimum, edidit librum de rebus in Concilio decernendis; iuxta quem omnes ferè Ordinationes ſunt conſtitutæ, vt teſtis eſt Michael Pius: Sicut & Ciaccon in Clemente V. Ibi etiam F. Eymericus Placentinus, & F. Berengarius Toloſanus, poſtea Archiepiſcopus Compoſtellanus, Beguinas & Begardos erroris conuicerunt. Erant omnes Cyriaci. Ita Miechouienſis. Conſtatque paſſim ex Spondano quid Cyriaci contulerint Eccleſiæ contra eoſdem Hæreticos. Dic, Petre, in quo ergo Concilio Cyriaci Hæreticorum catalogo ſunt inſcripti, adeò gloriosè in omnibus Conciliis contra Hæreticos laborantes? Fortè in Concilio Conſtantienſi an 1315. At vt conſtat ex §. 6. in extinguendo Schiſmate Trium Pontificatui inhiantium, præcipuè & gloriosé adlaborarunt. F. enim Ioannes Dominici, Cardinalis & Cyriacus, ſuaſit Gregorio X. abdicationem & conſenſum in legitimi Pontificis electionem; & B. Vin- *L. 1. fol. 122. & 132.* *Diſc. 311.*

centius item Dominicanus, ab obediendiâ Benedicti XII. Reges & Populos, publicè prædicans retraxit; miſſuſque eſt prædictus Ioannes Dominici Cardinalis, à Pontifice Martino V. & Concilio Legatus contra hæreticos Huſſitas.

Ab Eugenio IV. Conuocatum eſt ann. 1431. Concilium Baſileenſe, à quo, ex quatuor Electis à Synodo ad diſputandum coram ipsâ cum Huſſitis, duo fuere Cyriaci. Primus qui cum eis congreſſus eſt & confutauit; fuit F. Ioannes de Raguſio, Procurator Ordinis, per octo dies continuos viua voce & ſpiritu inuicto diſputans; Tertius F. Henricus Kalteiſen, Doctor & Inquiſitor Louanienſis, cognomento frigidum ferrum, per tres dies confutauit Hæreticos. Alii duo fuere ſeculares. Ibidem F. Ioannes de Turre-cremata Cyriacus & Cardinalis ſcripſit contra Toſtatum qui errores aliquos docuerat, quem & ad Palidoniam adegit. Viget ergo & floret Baſileæ, fides Dominicanorum. Quantò adhuc illuſtriùs in Florentino ſub eodem Eugenio an. 1439. vbi coram eodem Pontifice & Concilio, cui & aderant Imperator Conſtantinopolitanus & Patriarcha eiuſdem Vrbis, cum ſuis Græcis; ex quatuor Latinis qui coram tota Synodo diſputarunt cum Græcis, duo fuere Dominicani; F. ſcilicet Bartholomæus Lapatius, Epiſcopus Corenſis in Græciâ, & Frater Ioannes de Monte-Nigro Prouincialis Lombardiæ, qui pro Sociis ad diſputationem electis, ſolus fuit dux verbi & Græcos confutans traxit ad vnionem & obedientiam Ecclesiæ Romanæ, vt conſtat ax Actis Concilij & Spondano.

An. 1513. Secundum Lateranenſe indicitur à Iulio II. & proſequitur Leo X. In eo præcipuè emicuit doctrina & zelus Thomæ de Vio Caietani, Cardinalis & Cyriaci, pro reformatione Eccleſiæ. Supereſt Sancta Synodus Tridentina, in quâ præcipuus ſplendor Ordinis Prædicatorij, tum ex reuerentiâ quam Patres ſacri teſtati ſunt erga doctrinam D. Thomæ; tum quia plures ex hâc vnicâ familiâ, quàm ex aliis omnibus Ordinibus, adfuere Prælati & Doctores; ſex Archiepiſcopi; 17. Epiſcopi; innumeri & ſpectabiles Theologi: tum denique, quia vbi coram Synodo diſputandum fuit cum Brentio & aliis Hæreticis miſſis à Duce Vvittembergenſi, Petrus Soto, Cyriacus, ad

Fernands.

hoc ſelectus eſt & Brentium mutum effecit. Confectio Indicis librorum prohibitorum & officium ſecretarij collata ſunt. F. Franciſco Forerio, Cyriaco; cui & aliis duobus Sodalibus, data eſt à Concilio cura componendi Cathechiſmum Concicilij, & reformandi Breuiarium, ita vt ferè omnia viderentur peragi in eadem ſacra Synodo, manibus & induſtriâ Dominicanorum, quorum fides & zelus in Hereticos omneſque Fidei hoſtes illibatè emicuit. Tu tamen, Petre, hos vocas Hæreticos, qui à Conciliis Oecumenicis, & à Pontificibus, deſtinantur ad confutandas Scripto & Verbo, omnes hæreſes omneſque Hæreticos? Certè hæreſim ſapit qui Hæreticos vocat hæreſum ac hæreticorum inuictos præfocatores.

SECVNDA REFLEXIO.

An Cyriaci, ſeu Dominicani, ſint rebelles Sedi Apoſtolicæ.

MVTATVR hìc ſcena & ordo rerum. Ab hæreſi ad Rebellionem immeritis inurendam, infœlici pede demigrat hoſtis perſonatus; vt quorum non potuit temerare fidem quæ Deo litat, obſcuret & proterat obſequium quod exhibent Dei Vicario. Sileant itaque in poſterum, ventilatæ de Fide quæſtiones infauſto, vt par erat, conatu. Ad Theologica lemmata turpiùs adhuc deuolat, iterato certamine Pſeudo-Petrus. In hoc, tota 2. Diatribæ machinatio collimat, vt Cyriacorum à ſuprema Petri Sede, Pontificumque decretis ac Oraculis defectio multiplici ſpecimine emicet & pateſcat. Verùm, ſi ſpem non fallit euentus; in gloriam & decus æternum Ordinis Prædicatorii concedet noua criminandi petulcitas; ſummaque eiuſdem Inſtituti erga ſummum Pontificem deuotio, ac plena & indiuultha ſubmiſſio, ex irruente calumniâ euincetur. Adeò enim infœliciter ac ſiniſtrè ſugillandi & conuiciandi Ordinis Dominicanorum, anſas arripis, Petre vt id ei potiſſimum deeſſe arguas, quo

ille maximè antecellit, eique inde inuidiam conſles, vnde publicam hominum commendationem & quaſi venerationem commeruit, inſolubili nexu & flexu humillimo Pontificibus addicta Familia.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Cyriacos ſedi Apoſtolicæ rebelles, denunciat nec vel tantillum probat.

§. 15. *Qvacumque doctrina à ſenſu Summorum Pontificum abiungitur, aut hæretica eſt aut confinis hæreſi: Doctrina enim Sedis Apoſtolicæ, eſt lapis lydius Catholiciſmi puri, ac probati Terræ, purgati ſeptuplum. Diſquirendum ergò eſt, an Cyriaci nuſquam & nunquam à Sedis Apoſtolicæ ſenſis ac Doctrina deflexerint, vt proinde ex hoc capite, iure libri eorum immunes abeant à Cenſura. Et cum hac diſquiſitione nexum eſt, conſiderare, quàm reuerenter Cyriaci ſcripto & voce ſe gerant cum Domanis Pontificibus, eorum perſonas omni veneratione proſequendo. Et videntur ſanè Cyriaci ſupra omnes aſtringi ad eam in ſenſis & doctrina conſenſionem plenamque venerationem. Nam Cœtus eorum tametſi reſpectu cæterorum Iacobi filiorum, non fuerit principium paterni doloris, eſt tamen citra dubium* prior in Donis, maior in Imperio. *Sunt Cyriaci præcipui adminiſtri Pontificum in pleriſque Tribunalibus, non abſque pingui annuo cenſu, & ſpe Infularum aut Purpuræ. Iidem omninò inſignibus prærogatiuis, ab iiſdem exornati ſunt, ſupra omnes Religioſos, ac etiam ſupra Clericos. Annales Cyriacorum, (non enim Eccleſiaſtici, vt mentitur titulus,) conſarcinati ab Abrahamo Bzouio, ſcatent fauoribus Pontificum erga eum Ordinem. Beneficia autem adèo inſignia deuinciunt animos: quare videtur eſſe extra dubium, quod Cyriaci ſtare debuerint ſemper ſtrenuiſſimè pro Sede Apoſtolica; proindeque ex hoc capite non eſſe timendum à notà libris eorum iniurendà. Hunc tamen vmbonem malè prætendi Cyriacorum immunitati, monſtrabunt ſpecimina quæ ſubijcio.*

DIATRIBA 2.

RESPONSIO.

Leges & metas à Te poſitas, lubens amplector. Quæcumque doctrina à ſenſu ſummorum Pontificum abſungitur, aut hæretica eſt, aut confinis hæreſi: doctrina enim ſedis Pontificiæ, eſt Lapis Lydius Catholiciſmi puri, ac probati terræ, purgati ſeptuplum. Huic regulæ à Te conſtitutæ, ambo inſiſtamus; videbiſque Cyriacos, quos magnifica Pontificum æquitas, illuſtribus titulis, muneribuſque honorificis exornauit, gratitudinis eximiæ gloriam reportaſſe. Cuius ampliſſimum ſpecimen exhibuit Bzouius, & ipſe Cyriacus, vt communis omnium gratitudo erga Sedem Apoſtolicam, tot linguis aut potius tubis, quot conſtant Eccleſiaſtici Annales characteribus & apicibus, vnius ore per vniuerſum Orbem detonaret. Vt autem Lector agnoſcat, quàm ſtultâ garrulitate Dominicanos ad debitum Pontificibus famulatum pertrahi blateras, pinguedine cenſus & ſpe Inſularum ineſcatos; vtriquecalumniæ in ipſo Reflexionis aditu occurrendum eſt ex Spõdano & Leandro, qui impactum contumelioſo auſu, geminatum dedecus, duplici ſpongiâ geminatâque probatione eluent ac expungent. Auaritiæ ſordens probrum ſpondanus amolitur à ſpiritu & Ordine Prædicatorum, ipſius ſummi Pontificis iudicio, nempe Gregorij decimi, Viri ſanctiſſimi: qui pauperum egeſtati & miſerijs medullitùs compatiens, primus Romæ inſtituit ampliſſimam & generalem eleemoſinam, de reditibus Cameræ Apoſtolicæ erogandam. Sed quia ſæpiùs Diſpenſatorum fraudatrix manus in proprios vſus detorquet quæ ſunt eroganda pauperibus; Familiam Religioſam ad hoc munus elegit, & ex ea virum, qui non relinqueret euangelium vt miniſtraret menſis; quique Egenorum inopiam ex concreditâ pecuniâ, puris manibus propelleret. At quis ille, & è quo ordine? Dicat ipſe Apamienſis Præſul Spondanus. [Obſeruat idem Ptolomæus in ſuis Annalibus, primum eum (Gregorium X.) fuiſſe, qui ſolemnem eléemoſinam ordinauerit in curiâ Romanâ, præfeciſſeque ei quemdam Fratrem Conuerſum Ordinis Prædicatorum, quem ſecùm duxerat à partibus Vltramarinis.] Audin' Petre? Ille *maior in imperio* & *prior in Donis*, ex Iacobi filiis, qui nihil

Calumnia 1.

an. 1276. n. 1.

ſibi; alijs promptâ, & plenâ charitate, terrena diſpenſat. Euge, euge, ad id quod ſubijcio, vbi nec pinguedine cenſus nec ſpe Inſularum, ſed ſummâ reuerentiâ, zeloque Domus Dei, vindicanda & propugnanda aſſumit Pontificia Iura, Dominicana Religio.

Cum Bononia defeciſſet ab Eccleſiæ & Pontificis obedientiâ, Martinus V. rebellem ciuitatem vallat & obſidet. F. Dominicus Magacoſta, Prior Conuentus Bononienſis Fratrum Prædicatorum, ſuadet Ciuibus obtemperandum Pontifici; ſed exaſperatâ ſeditione, vrbe expellitur. Interim nihil proficit obſidio, præualente Obſeſſorum contumaciâ; cui infringendæ, cogitat Pontifex ſacris interdicere Rebellibus. Sed non reperitur qui audeat ſignificare interdictum. Tunc F. Conradinus Brixienſis & Dominicanus, in conuentu Banonienſi degens, ſuo ſanguine iura Eccleſiæ & Pontificis propugnaturus; intrepidè equum aſcendens, vrbe egreditur, aditque Legatum qui in exercitu præſens aderat; nec exeunti obſiſtunt Ciues, quaſi pacem tractaturo. Zelum Dominicani demirans Legatus, tradit ei minaces literas, diuinorumque inhibitorias publicandas. Acceptas ille haſtæ affigens, quò faciliùs manifeſtarenrur Ciuibus; precipiti equo vrbem ingrediens, populum ad maiorem plateam euocat, altâ voca hæc intonans. *Ecce, vobis Deo & Vicario eius rebellibus, vniuerſa diuinorum ſacra interdicuntur.* Vix hæc dixerat capitur, incarceratur, præſenſque mors intentatur ei: ſed prudentiorum Conſilio, ſeruatur illæſus, liberque ad Fratres remittitur. Clamat ille fortiùs per vicos, *Obedite rebelles Pontifici.* Ad hæc; Priuatur integer Conuentus omni ſubſidio, nec niſi clàm, aliquorum pietate ſubleuatur: Ipſe verò Conradinus in carcerem retruditur: cùmque per aliquot dies omni cibo deſtitutus, vegetiorque repertus, voce adhuc feruentiori inclamaret, *Obedite rebelles Pontifici*; Digitum Dei & protectionem eius in eo agnoſcens contumax Ciuitas, liberum dimittit *virum Dei*: rebuſque poſteà compoſitis, cùm Pontifez zelum & labores Fratris Conradini vellet Cardinalitiâ purpurâ decorare, renuit ipſe conſtantiſſimè, nec vnquam adduci potuit, vt inter Purpuratos Patres annumeraretur. Itaque *nec pinguedine Cenſus, nec ſpe inſularum aut purpuræ*, (Vt garris) ſed zelo Domûs Dei & ſummo erga Pontificem ma-

teſtatem affectu, Eccleſiæ Pontificiaque Iura propugnauit vir Dominicanus. Rem narrat Leander Albertus. *L.5.fol.249.*
Quis ex valle Tua ſimile præſtitit?

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Dominicum Soto carpit quoad Montem-Pietatis.

Montes Pietatis ex præſcripto Leonis X. & aliorum quorumdam Pontificum adminiſtratos labe vacare, certum eſt ac ratum apud omnes Theologos, quorum plerique adducuntur à Leſſio l. 2. de Virtut. cap. 20. num. 192. & in Appendice de eodem argumento. Videndi etiam Toletus lib. 5. Inſtruct. cap. 38. & Molinâ tract. 2. de Inſtit. diſp. 325. Sanè cum Leo X. approbante Lateranenſi Concilio, eos Montes licitos eſſe & vſura labe vacare pronunciauerit, idque pertineat ad vniuerſalem doctrinam morum, non poteſt mirum videri, quod nemo Theologorum refragetur, ponens in cælum os ſuum & linguâ tranſeunte in terrâ garriat; quod Pontifex in generali concilio, ſtatuit carere peccato, re-vera ſordere culpâ; & quod idem & alij varij Pontifices, docent honeſtè fieri, reuerâ tamen non poſſe niſi cum culpâ & inhoneſtè admitti. Nihilominùs Dominicus Soto lib. 6. de Iuſt. q. 1. art. 6. poſt Concilium Lateranenſe & Leonem X. Montes Pietatis à Leone & Concilio approbatos exploſit vt vſurarios; allegans pro excuſatione, quod ea Leonis & Concilij doctrina non ſit recepta. Hæc verò eſt manifeſta contemptio Pontificij illius Decreti. §. 16.

RESPONSIO.

Montem-Pietatis propugnaturus, qui omnia pietàtis iura exertè violat, debuerat omnes huiuſce-modi contractûs leges præmittere; ac digito demonſtrare tres præcipuos gradus, quibus ad huius Montis verticem aſcendimus. Primò itaque ex pecunijs à Viris pijs & diuitibus in vnum collatis, datur mutuò pauperibus; mutuum iſtud datur ad certam ſummam, & ad certum tempus ſat breue, exempli gratiâ, ad annum; quò aliis indigentibus, ſucceſſiuâ largitate, eadem ſumma poſſit commodari. 2. Mutuatarius tenetur dare pignus idoneum, quod vendetur, ſi

non ſoluerit præſtituto tempore, reſtitueturque illi, quod ex pretio ſuperfuerit. Tertia denique conditio eſt, vt ſingulis menſibus aliquid minutum ſoluat Mutuatarius pro ſumptibus ad Montis conſeruationem neceſſarijs : veluti pro conductione Domus ; pro libris rationum, pro ſtipendio Miniſtrorum, & ſimilibus. Duæ priores conditiones legitimæ ab omnibus reputantur : de tertiâ lis inſtituitur & controuerſia. Cyriaci vt potè à rerum temporalium cupiditate penitùs euocati, vbi vel minimum ſalutis diſcrimen intercedit, reprobauere hanc mutuandi viam velut illicitam, quaſi vel ipſam Vſuræ vmbram auerſati.

a Tom. 2. opuſc. 6.
b L. 6. de Iuſt. q. 1. a. 6.
V. vſura 5. q. 4.

Caietanus, *a* Sotus *b* (quem huius opinionis vnicum aſſertorem credidit Pſeudo-Petrus, Poëtas frequentiùs euoluens quàm Theologos) Syluester, vſurarium putant hunc contractum, ex tertiâ tantum conditione, dum aliquid vltra ſortem principalem à paupere Mutuatario ſoluitur ; iuxta enim ſacros Canones, in eo ſita eſt eſſentia Vſuræ, vbi ex vi Mutui aliquid vltra Summam commodatam accipitur. Eſt itaque conſulenda ſuper hoc doctrina Pontificum ; tanquam lapis lydius Catholiciſmi puri ac probati terræ. At quinam intrepellandi Pontifices ? qui præceſſerunt hoc Concilium Lateranenſe, omnes approbarunt Montem Pietatis, quatenùs eius capitula non erant contraria ſacris Canonibus, vt teſtatur ipſemet Leſſius oppoſitæ ſententiæ. Sed ſacri Canones poſt Scripturam prohibent aliquid accipi præter ſortem principalem, vi Mutui. *Mutuo dantes & nihil inde ſperantes.* Ergò ex hac parte Cyriaci Pontificum decretis inhærent. Supereſt tantùm Leo X. Concilij Lateranenſis Moderator ac Caput, qui vt inquit, Pſeudo-Petrus) approbauit vnâ cum Concilio, hos Montes, tanquam pios. Reſpondet Dominicus Soto, tanti vir nominis, vt teſte Poſſeuino Societatis Scriptore, Carolo V. à Confeſſionibus fuerit, Salmanticenſis Academiæ publicus Profeſſor, recuſato Epiſcopatu Segobienſi, Concilij Tridentini Theologus, quò miſſus fuerat ab eodem Cæſare. Reſpondet, inquam, Synodum Lateranenſem ſolùm approbaſſe hoſce Montes, quatenus non ſunt contrarii ſacris Canonibus, nec quoad alia receptos : & adducit pro ſe, Caietanum virum Doctiſſimum de Eccleſia benè meritum, & inter Purpuratos Patres, Leoni in eodem Concilio Lateranenſi aſſidentem ; qui integro Opuſculo ante il-

L. 2. de iuſt. c. 20. diſp. 23.

lam Synodum edito, hanc tertiam conditionem, vſuræ næuo notarat: nec poſt Concilium inuenitur retractaſſe aut mutaſſe ſententiam; quod procul dubio feciſſet, ſi in contrariam ſententiam iuiſſent Patres & Pontifex.

Vnde & Syluester, pariter Dominicanus, qui teſte Poſſeuino viuebat an. 1520. & conſequenter poſt Concilium Lateranenſe, ſic effatur in Summâ. *Quaris de Monte-Pietatis, & dico quòd res in ſe eſt dubia; quod probat varietas opinionum, & conſequenter Papa eſſet conſulendus.* Audin' Petre, quomodo Cyriaci accurrunt ad Lapidem Lydium? *& interim eſſet abſtinendum, ne quis exponat ſe diſcrimini: & ad hoc rogatus alias feci conſilium quod non liceat. Dico etiam quòd benè facerent Communitates, ſoluere Officialibus ex publico, & valdè malè faciunt qui Communitates volentes hoc facere, peruertunt, & multo nequiùs qui eas auertunt malo fine, putà propter ſuperbiam, vt videantur viciſſe pugnam; aut certè propter cupiditatem, vt de excreſcentiis participent.* Non igitur Leo X. nec Patres Concilii aliud decreuere, quàm quod ab aliis Pontificibus fuerat conſtitutum. Vna ergo mens Pontificum ac Concilii, approbantium Montem, in iis quæ Scripturæ, & ſacris Canonibus non ſunt oppoſita, ſecùs in aliis. Idem ſentit Sotus cum Caietano & Sylueſtro, pauperum agens cauſam. Cum ergò, etiam ſecundum te, infœlix Theologaſter; *doctrina Pontificum ſit Lapis Lydius Catholiciſmi puri ac probati terræ*: quid Cyriacos ſtolidè inſimulas defectionis à Pontificibus, quos vides Religioſo famulatu Pontificum decretis inhærere, quandiu Tu, vt diuitum fortunæ ſeruias, *ponis in cælum os tuum, & linguâ tranſeunte in terra, garris, honeſtè admitti quod reuerâ ſordet culpâ? Hac verò eſt manifeſta contemptio Pontificij decreti, toties renouati.* Conſule interim Suarem, qui refert & probat ex Caietano & Nauarro, cenſuras præfati Concilii, latas Seſſ. 10. vbi & Excommunicatio fertur in impugnantes Montem-Pietatis, non eſſe vſu receptas. Imò ipſe Bellarminus ait nonnullos dubitare de hoc vltimo Concilio Lateranenſi, an fuerit verè Generale.

V. vſura ſ. 4. 4.

Tom. 5. de Cenſ. diſp. 23. ſect. 7.

L. 2 de Conc. auctore c. 13.

Cæterùm diſce quæ fuerit erga Leonis Pontificis prædeceſſorem Iulium II. Reuerentia & Zelus Cyriacorum. An. 1512. Piſanus conuentus quorumdam Principum & Cardinalium contra Pontificem congregatur: Omnis Clerus Piſanus renuit illi Cœtui aſſentiri. Dumque adiguntur, reſ-

pondent vnanimiter ſe idem præſtituros, quod præſtarent eiuſdem vrbis FF. Prædicatores. Hi autem intrepidè & conſtanter in ſolâ Pontificis obedientiâ perſiſtentes, exemplo fuerunt aliis idem præſtandi; inuicto ſpiritu inculcantes eis, quiduis tolerandum pro vindicandis iuribus Sedis Apoſtolicæ ac Pontificiæ dignitatis. Quo viſo, coacti ſunt contrarium ſentientes vrbe illâ diſcedere, pergereque Mediolanum. Ita Fernandes. Ad hanc autem ineluctabilem conſtantiam, vt idem Auctor ſubdit, hortatus fuerat FF. Dominicanos per literas, præfectus eorum Generalis tunc Thomas de Vio Caietanus; qui aliis ſilentibus, Opuſculum validiſſimum ſcripſerat pro Pontifice contra prædictam Congregationem Piſanam, quique in Concilio Lateranenſi ſubſecuto, præcipuus erat Leonis X. Conſiliarius & fidus Adminiſter; qui propterea mentem Pontificis & Concilij non ignorauit. Hæc, Petre, non rebellionem, ſed reuerentiam, ſed obedientiam, ſed zelum ſpirant Cyriacorum erga ſanctam Sedem, ſummoſque Pontifices.

In conc. præd. an. præfato.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Inuehitur in Canum & Sotum circa Abſolutionem per literas.

§. 17. *Aliud Pontificium decretum fuit, abſoluendum eſſe à Sacerdote præſente ægrum, qui Confeſſarium abſentem expetierit, & ſuam confitendi de peccatis voluntatem, conceptumque de eis dolorem, per idoneos teſtes prodiderit; quamuis æger cum ad eum venit Confeſſarius, iam morbo oppreſſus, noua ſigna doloris de peccatis, & voluntatis recipiendi Abſolutionem edere nequeat. Exſtabat eâ de re antiquum decretum S. Leonis, & Concilii 4. Carthaginenſis. Sed Cyriaci Soto ac Cano inhærentes, nihil morabantur ea decreta. Cùm autem nouo Pauli V. Diplomate, vrgerentur ad abiiciendam eam reprobam doctrinam, multiplicibus viis effugere ſunt conati; & primum confug runt ad Diplomatis tanquam ſuppoſititij vel adulterati, exploſionem. Sed cum Scipio Cobellutius Card. S. Suzannæ, qui Diploma confecerat, magnos ob illud voluntarium & ipſi iniurioſum reſponſum, cieret rumores; eò deuentum eſt, vt Fratres Pontificem in eo Diplomate, humani quip-*

piam paſſum eſſe faterentur. At ille ex Cathedrâ loquebatur, & Epiſcopis ac Parochis, omnibuſque per orbem animarum Curatoribus, modum validè ac legitimè adminiſtrandi Sacramenta præſcribebat, obligatione omnibus iniectâ, ad credendum, Sacramenta ſic adminiſtrata, validè ac legitimè adminiſtrari. Itaque de ſententia Cyriacorum, Paulus Pontifex tradendo eam doctrinam, S. Leoni & Concilio Carthaginenſi conſentaneam; à Soto autem & Cano reprobatam; pauit oues paſcua Chriſti pabulo falſa doctrina in re grauiſſimâ. Hæc quanta ſit in Pontificem irreuerentia, nihil attinet dicere, vt haud inaccuratè monſtratum eſt à nupero Confeſſionis Epiſtolaris Examinatore, agente cum Dauila, Coquetto, Candido, Nugno, Aluare, Petro Fay, Cyriacis, quos Rituale Paulinum malè habuit.

RESPONSIO.

CONgerit laruatus Trico Pontifices, Concilia, Cardinales, vt probet Cyriacos deficere à Pontifice poſt Sotum & Canum; qui, vt fatetur Conninck Ieſuita, vno verbulo ab hac ingruente Auctorum mole ſe expediunt; reſpondentes cum Gloſſa in caput, *is qui*, 26. q. 6. Hæc capita quæ ex Conc. Arauzicano c. 11. Carthaginenſi 3. c. 34. & Carthaginenſi 4. c. 67. deſumpta, dicunt Abſolutionem dandam infirmis, qui dum ad eos Sacerdos inuitatus venit, oppreſſi infirmitate obmutuere, vel in Phræneſim verſi ſunt, dummodò dent teſtimonium eorum qui illos audiere petentes Sacerdotem. Hæc, inquam, capita loqui ſolùm de Abſolutione à Cenſuris; vnde prædicti Canus & Sotus non diſcedunt à Pontificibus & Conciliis, ſed explicant. Imò, quòd hi Auctores Cyriaci ſic ſingulariter ſentiant, prouenit ex ſingulari & religioſâ in primis adhæſione ad Sedem Apoſtolicam, à quâ videbant deſciſcere multos extraneos. Euſebius enim Papa apud Buchardum relatus à Conninck vbi ſupra, dicit in tali caſu Sacerdotem debere orare ſuper ægrum, & illum ſacro oleo vngere; (Sacramentum enim Extremæ Vnctionis per accidens præſtat idem quod Abſolutio:) nullam autem facit mentionem Abſolutionis, quam reuerà non tacuiſſet. Recenter etiam Clemens VIII. damnauit hanc propoſitionem, licere per literas aut internuncium, Confeſſario abſenti peccata Sacramentaliter confiteri; à quo tamen de-

Diſp 7. dub. x. n. 100.

Calumnia.

L. 18 c. 11.

creto reſiliit quidam docens contrariam opinionem. Canus autem & Sotus Cyriaci, Euſebii Pontificis adhærentes Decreto, contrarium ſenſere. Quæ autem ſubiiciuntur de nouo quodam Pauli V. diplomate & fictis Collebutii Card. querimoniis in prædictos, mera ſunt nugamenta & pueriles nænix Pſeudo-Petri, chartam inutili garritu extendentis, vbi res deſunt & rationes, quod illi frequenter euenit.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Combefiſium arguit de depreciato Martyrologio Romano.

§. 18. *Martyrologium Romanum comprobauit* Gregorius XIII. *præfixo Diplomate ad perpetuam rei memoriã, quo omnium aliorum Martyrologiorum vſum in ſacris interdicit: propertereaque eiuſmodi Eccleſiaſtica tabula, ſunt omnibus Catholicis in magna veneratione. At Frater Franciſcus Combefiſius, in Notis ad Acta Anonymi apud Nicaam, num. 6. occaſione S. Paphnucii de quo tabula* 11. *Sept. admodùm licenter exagitat prædictum Romanum Martyrologium, tanquam non Eccleſia, ſed Baronii Martyrologium; cuius noui Compactores, hinc inde corraſerunt qua ad aliquem Sanctum pertinent, & vtinam tantùm bona, vacillante ſatis fide; quid ſi enim decepti ſunt conflatis in vnum multis qua ſecernenda fuerant? & vt nutare fidem Martyrologii Romani oſtendat, producit exempla hallucinationum qua in illud obrepſerunt, vt noui Martyris S. Xynoridis & S. Fœlicis, qui parùm abſuit quin eiiceretur: Luciferi* Calaritani, *& Fauſti Rhegienſis, quos Sanctitatis titulos ægrè retinuiſſe, nec niſi dubiis ſatis fundamentis Sanctorum Calitum numero adſcriptos contendit, nulla (vt admonet) Eccleſia Romana vel Pontificum culpâ, ſed eorum tantùm qui ad huiuſmodi libros componendos ab Eccleſiâ adhibiti, vel præ ſcientia tenuitate, vel præ humana induſtriæ inefficacitate, caſpitarunt. Vnde noua ſubinde Correctiones affulgente pleniori luce, aut maiori examine adhibita. Contraxi diffuſiorem F. Combefiſii diſputationem; quam obſignat mordendo quoſdam imperitos (vt ait) argutatores, qui contrarium ſcripturierint, res geſtas ex ratiunculis aſtruendo.*

Idem in notis ad Orationem Aſteri de S. Phoca, prolatis verbis Martyrologii 5. Martii referentis miraculum iuge ſanationis collata demorſis à ſerpente, vbi primùm pede preſſerint limen edis huic Sancto dicata; addit, nihil eorum apud quemquam exſtare, niſi apud Baronium diuinantem, ac Surium ex illo deſcribentem.

Non potuit Cyriacus iſte, effundere licentiùs contemptionem ſuper principem Eccleſiam, approbantem quod ipſa ſuum appellat Martyrologium, quam illud Eccleſia ſubductum, ſupponendo Baronio; qui apud iſtum Fratrem, vix vllo loco habetur, vt infrà demonſtrabo. Bellè verò hic accidit, quod tantus Cenſor cæli ac terræ, ait Surium ex Baronio exſcripſiſſe, cùm tamen priùs obiiſſet Surius, quàm Baronius aliquid vulgaret. Vt quid verò ad depretiandas Romanas Tabulas, exempla congerit eorum (vt vult) dubiorum Cælitum quos memorat? Nolo quoad S. Xynoridem, vrgere auctoritatem S. Chryſoſtomi, qui initio Homiliæ 4. de Lazaro, memorat B. Babylam, & Xinoridem, Lazarum mendicum ſecutos; ita enim habet vnus Interpres; contra quàm Eraſmus qui vertit Bigam; *vt monſtraret,* Xinoridem, *non eſſe vnam aliquam Sanctam, ſed ſignificari ea voce, coniugatas perſonas duas, vt apud Hieronymum cùm Proba auia, & Iuliana Demetriadis Mater, dicuntur ſancta Xynoris, quæ nihil virginitatem profitenti Demetriadi detraxiſſet, eorum quæ nuptiis fuerant præparata. Et eodem ſenſu Nazianzenus oratione in S. Baſilium, ſe & Baſilium vocat* Synorida. *Potuit ergo ſimiliter apud Chryſoſtomum* Xynoris *vſurpari pro Binario Martyrum, qui cum S. Babyla paſſi, non duo, ſed tres fuiſſe referuntur, vt videre eſt in ſacris Tabulis 24. Ianuarii, & paſſim apud Græcos vox* συνωρὶς, *Atticè* ξυνωρὶς, *duorum equorum currum ſignificat. Igitur Xinoris in loco allegato ex Sancto Chryſoſtomo, non videtur ſignificare ſocios ſancti Babylæ; qui tres fuerant, non duo. Nihil ergò profertur quod vetet eam vocem ſignificare vnam aliquam Sanctam Cælitem.*

Sed conſultò nolo hoc vrgere & gratis do, Xinoridem *non eſſe Cælitis nomen. Quid hoc ad depreciationem Martyrologii Romani? Vbi enim in Romanis quas aduerſarius Baronio tribuit Tabulis, ſancta Xynoris? Item vbi in iiſdem Tabulis, S. Fauſtus Rhegienſis, aut S. Lucifer Calaritanus? Quod ſi in aliquibus aliis Martyrologiis, per indiligentiam Collectorum talia nomina non ſatis comperta ſanctitatis aliquando occurre-*

runt, quid hoc ad conſpurcandas Romanas Tabulas nihil tale proponentes? Alioqui etiam deberet opponere Romanis Tabulis, quod in Martyrologio Fratrum Prædicatorum, Euſebius Cæſarienſis, homo tametſi Doctiſſimus, tamen peſtilentiſſimus, & Arianiſmi ſignifer, ad noſtram vſque ætatem tanquam inſignis Sanctus ſedem inuenerit. Nolo hærere in excutiendis tricis, quas iſte Argutator mouit, circa SS. Paphnutium & Phocam, ad eleuandam fidem Romanarum Tabularum. Id enim eſſet præter inſtitutum præſens, quo duntaxat ſuſcipitur monſtrandum, quàm ingratè ac petulanter Cyriacus iſte, Pontificum Martyrologii approbatorum auctoritatem ſuffodere tentauerit; nihil certi aut ſolidi contra Tabulas proferendo; ſed tantum obtrudendo ſuſpiciones ſuas, & diuinationes, ac ratiunculas, tanta plerumque verborum & ſenſus implexitate, vt Oedipo interprete ſit opus; nec quid velit, aut quid loquatur, ſatis intelligi poſſit. De colapho iiſdem Romanis Tabulis impacto à Fratre Nicolao Richardio Monſtro, repudiante quod in Tabulis 28. Feburarij traditur de Martyrio SS. Alexandrinorum, immortuorum miniſterio lue contractorum, dicendum infrà.

RESPONSIO.

QVid quereris, miſerande Senex, nutantem induci à Combefiſio Romani Martyrologii fidem, qui fidem Tuam non nutantem modò, ſed euolutam & proſtratam; non hallucinationibus ſolùm, ſed & craſſioribus ac repetitis mendaciis oſtentas, etiam faciem auertentibus ne videant? Quadruplici ſiquidem fune Temetipſum hic induis, tuoque Te jaculo feris. Primò textum affers, jtalicis characteribus diſtinctum, quaſi ſint ipſiſſima Combe- *Falſatio.* fiſii verba, quæ tamen apud ipſum non reperiuntur loco à Te laudato. Sicciné Lectores deludis? Addis in Martyrologio FF. Prædicatorum ad noſtram vſque ætatem tanquam inſignem Sanctum, ſedem inueniſſe, *Euſebium Cæſarienſem, Virum doctiſſimum, ſed peſtilentiſſimum & Arianiſmi ſigniferum* Quibus oculis ibi inſcriptum vidiſti? tuis an alienis? Si alienis, deceperunt te, vt & alios deciperes; *Impoſtura.* Nec enim verbum de Euſebio illo in Prædicatorum Martyrologio 1616. impreſſo, & abhinc 48. annis Santorum Catalogum texente (ſicut nec in antecedentibus, ſaltem

quæ reperiantur:) & tamen excuſſo omni pudore, aſſeris *ad noſtram vſque ætatem ibi ſedem* & ſanctitatis titulum inueniſſe. Si Tuo vſus es obtutu, fatere quod vnà cum mente caligant oculi tui; & quod puerili nominis æquiuoco, pro Euſebio Cæſarienſi & Ariano, Euſebium Samoſetanum, eumque Catholiciſſimum & Sanctum vacillante acie acceperis. Non ergo Cyriacos vellicandi, ratio vlla, ſed Ribadeneyram, qui in vita S. Fabiani Papæ & Martyris, Sãctum vocat præfatum Euſebium, in editione Lugdunenſi an. 1639. apud Simonem Rigaut. Creſcunt & pullulant ſub manu tua mendacia. Oportebat autem mendacem eſſe memorem: Scribis enim hoc reperiri apud Martyrologium, quo vtuntur Fratres Prædicatores, & tamen initio huius paragraphi dixeras Gregorium XIII. omnium aliorum Martyrologiorum vſu in ſacris interdixiſſe. Vbinam illa falſa & ſubditia interdictio? *Contradictio.*

Verùm ex triplici illa fœdâ ac mendoſâ cæſpitatione, quid infers? Turpiori adhuc prolapſione fœdaris. *Quam ingratè*, inquis, *ac petulanter Cyriacus iſte Pontificum Martyrologij approbatorum authoritatem ſuffodere tentauit.* Quid inde? Iniurius ergò in Pontificem, qui præfixo Diplomate comprobauit Martyrologium Romanum, quod iſte vellicat & rodit? Bone ſenex, quid feſtucam vides in alterius oculo, qui trabem non vides in Tuo? Dum Martyrologium Prædicatorum adducis, procul dubio vidiſti & legiſti ſaltem Titulum operis. Occurrit ergò tibi frons Libri hâc inſcriptione obſignati: *Martyrologium iuxta vſum ſacri Ordinis Prædicatorum, auctoritate Apoſtolicâ reformatum & approbatum.* Hic enim titulus præfixus inuenietur omnibus Ordinis Martyrologiis; & tamen ſedem Apoſtolicam hæreſeos fautricem inducis, imò facis, dando locum Euſebio Cæſarienſi hæretico & Arianiſmi ſignifero, inter Sanctos in Tabulis, quarum recognitores & approbatores vides Summos Pontifices. Fingis ergò & malignè affingis Cyriacis infandum ſcelus, vt hâc arte Sedem Apoſtolicam traducas & conſpurces. Reuerentiùs ſe habuit Combefiſius, dum nutantem Martyrologii fidem, tranſtulit, non in culpam Eccleſiæ Romanæ, aut Pontificum, ſed in eorum tantum inſcitiam aut incuriam, quibus demandata fuerat cura tales Lucubrationes edendi. Diſce itaque, Petre, in inſtrumentis Hiſtoricis peregrine, ad quæ à Theologi pro- *Irreligio.*

feſſione, quaſi Citharœdus ad tibias declinaſti; Diſce inquam Martyrologium ab Hieronymo conſcriptum, fuiſſe dictum Romanum; quia eo vtebatur Eccleſia Romana; ſed ſub Gregorio XIII. reuiſum, purgatum, auctum & doctiſſimis Baronij notis illuſtratum; ideoque ab hac notarum adiectione dictum Baronianum. Nec ſi rediuiuus adeſſet ipſe Baronius, quereretur in ſuis Annotationibus poſſe repereri menda, cum ipſemet, ſimulque Bellarminus pariter Purpuratus, docuerint in rebus de facto, poſſe faciliter à quouis errari.

Tom. 6. an. 490. Correxit ſeipſum Baronius, circa Fauſtum Rhegienſem, quem Semipelagianis implicuerat, ob doctrinæ omnimodam conformitatem. Tamen in Appendice quæ habetur in calce tom. 10. reſciens quod Martyrologium Gallicanum eum ſemper pro ſancto habuerat (a quo tamen expunxit eum Molanus, vt nutans oſtendatur concepta de eius ſanctitate fama) ſicut & acta Eccleſiæ ſuæ Rhegienſis, dubius in vtramque partem ventilatur, nec audet fidem figere, ſubiungens ſcripta eius merum ſpirare pelagianiſmum, & tamen ipſum fortè ſcripſiſſe antequam Eccleſia damnaſſet tales errores, vel poſt damnationem eos reuocauit, cuius tamen reuocatio perierit. Idem ſentit de Lucifero Calaritano ac de Fœlice ſecundo, quem ab albo pontificum expungendum credidit ipſemet Baronius, niſi ſub Gregorio XIII. Inſcriptio tumuli corporis eius nuper reperti, ſanctum & papam declaraſſet. Potuerunt ſimiliter & aliæ relationes eum fallere, ſicut illud quod referebatur de S. phoca. Error autem fuit Typographi, tranſpoſitio illa notata à pſeudo-petro *apud Baronium diuinantem & Surium ex illo deſcribentem*; loco cuius ille poſuerat; apud Baronium diuinantem & ex Surio illa deſcribentem. Vel, apud Baronium diuinantem & Surii Scholiaſtem ex illo deſcribentem, vt ipſemet Surii Scholiaſtes fatetur ad 5. Martij.

Lapſus huiuſmodi ſatis frequenes apud Scriptores aut Cōpilatores qui dubios aut falſos Cælites, falſis decepti relationibus intrudunt in EccleſiaſticasTabulas, comprobat exemplum Xynoiidis nouæ Mar tyris, ſeu ex Chryſoſtomo malè intellecto & malè interpretato. Xynoris, vt Tumet, petre, coactus es fateri, non nomen eſt cuiuſdam Cælitis, ſed *Mendacium.* currus iugalis, aut duorum fœderis ac copulæ. Nec huius erroris arguit Baronium Combefiſius, vt falsò illi expro-

bas; ſed Chryſoſtomi Interpretem parùm accuratum. Diſce ergò, qui cæli & terræ vis haberi Cenſor; qui Oedipo eges duce & interprete, cum inter tot pueriles verboſi Pædotribis ratiunculas, inter tot turbidæ mentis implexos ſenſus & in tam effronti mendaciorum congerie; nec quid velis, nec quid loquaris poſſit quis intelligere, nec Tumet ipſe qui loqueris, Pontificum palpo nequam: Iudæorum more genua inflectis, dum percutis manu, dicens, *Aue Rabbi.*

Approbarunt Pontifices tabulas Romanas; verùm. Ergo, inquis, iniurius ipſis qui earum nutantem fidem conatur oſtendere Combefiſius. Reſponde, vt ex verbo tuo illaqueeris; iidem Pontifices approbarunt Tabulas Prædicatorum; Ergò qui eas non nutantes, ſed hæreticas ex hæretici famoſi conſecratione vt probet Pſeudo-Petrus, enorme mendacium effudit; non iniurioſus tantùm, ſed Sacrilegus, ſed proteruiens in Pontifices. Pontifices approbarunt Indicem librorum prohibitorum, inter quos *proſtant in columnâ infami cum flagrionibus ac furciferis & patibulariis* Scriptiones multæ Pſeudo-Petri, qui ore mordaci latrat in Indicem, in Indicis Secretarium & ictu reflexo in Pontificem, cuius decreto & authoritate editus & vulgatus eſt Indiculus. Non potuit ergo perſonatus Nebulo effundere licentius contemptionem ſuper Principem Eccleſiæ, approbantem quod iſte dente canino lacerat. Imò qui in ſecunda Editione primæ tantum pagellæ Tenebrionis quem vexamus, & iam pridem Romæ damnati, ſicut & bis combuſti in Gallia, Alexandro VII. nunc Sedem Pontificiam glorioſè occupanti dicauit infandum Opus iam ab ipſo Alexandro confixum, quaſi velit habere infandæ Lucubrationis approbatorem & protectorem, quem nuper expertus eſt iudicem & vindicem: nunquid voluit ponere in cœlum os ſuum? Lege *Capitulum*, digeſtis de pœnis, l. 48. Titulo 19. §. *Ad Statuas confugere vel imagines Principum in iniuriam alterius, prohibitum eſt; cùm enim leges omnibus hominibus aequaliter ſecuritatem tribuant, meritò viſum eſt in iniuriam potius alterius, quam ſui, defenſionis gratiâ, ad ſtatuas vel imagines Principum confugere* (vt Tu confugis ad Imaginem & protectionem Alexandri VII. cui dicas libellum ſummè iniurioſum vniuerſo Ordini prædicatorio, ſub his verbis, *Ad SS. D. N. Alexandrum PP. VII.*) *Ne autem ad ſtatuas vel imagines quis confugiat, Senatus cenſuit,*

Irreligio.

Impudentia.

Cùmque qui imaginem Caſaris in inuidiam alterius, prætuliſſet in vincula coerceri D. Pius reſcripſit: Tu Petre; imaginem Pontificis & nomen, in inuidiam alterius & dehoneſtamentum Religioſæ familiæ præfers; Ergo es in vincula publica coniiciendus, qui iam multoties priuata & domeſtica expertus es. De Te autem dictum puta à Cornelio Tacito. *Inſedebat deterrimo cuique licentia impunè probra & inuidiam in bonos excitandi, acceptâ imagine caleſti: Libertique etiam ac ſerui patrono vel Domino cum voces, cum manus intentarent, vltrò metuebantur. Igitur C. Sextius Senator diſſeruit;, Principes quidem inſtar deorum eſſe; ſed neque à Diis niſi iuſtas ſupplicum preces audiri, neque quemquam in Capitolium aliaue vrbis templa perfugere, vt eo ſubſidio ad flagitia vtatur. Abolitas leges & funditus verſas, vbi in foro, in limine Curia, ab Annia Ruffilla, quam fraudis ſub Iudice damnauiſſet, probra ſibi & mina intendantur: Neque ipſe audeat ius experiri, ob effigiem Imperatoris oppoſitum.* Crimen eſt vti nomine & ſubſidio Cæſaris ad patranda aut tegenda flagitia: vti autem nomine, ſubſidio, & perfugio ad Summum orbis Pontificem, ad tegenda protegenda & firmanda probra; & ſic effundere calumnias, & contumelias in Ordinem Religioſum, impietates in Sanctos, in Deiparam, in Christum Dominum; impietas publica, horrenda, & igne cæleſti vindicanda, quæ ipſum Pontificem ad quem confugit, ſummè offendit ac dehoneſtat.

L. 3. Ann. pag. 53.

Impietas.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Cyriacos inſimulat violatæ Pontificiæ infallibilitatis.

§. 19. *NON debet leuis videri ea authoritatis Pontificia violatio per Cyriacos, qui arctant illam ſapenumero plus iuſto. V. G. Cùm dicunt Pontificem non poſſe definire contra qua Sanctus Thomas tradidit; & cum contendunt, Pontificem non poſſe definire veritatem Conceptionis B. Maria. Item cùm aſſerunt Pontificem ſe ſolo nihil poſſe definire de Fide. Nihil horum dici poteſt, ſine iniuriâ Pontificia auctoritatis; nam praxis & priſca & recens, docet quòd Pontifex, ſe ſolo, id eſt, abſque Oecumenico Concilio poſſit aliquid de Fide ſtatuere, quicquid obganniant Ianſenij reliquia, captantes hoc miſe-*

rorum perſugium, contra fulmen aduerſus quinque cardinales Ianſenij hæreſes, ab Innocentio X. vibratum. Quod item Pontifex abſque Concilio Prouinciali poſſit de Fide ſtatuere, omninò liquere debet, cùm Concilii Prouincialis exigua ſit auctoritas præ Concilio Generali; à quo tamen Pontifex nullo modo pendet, vt aliquid de Fide definiat: & contrarius ſenſus non niſi poſt turbas Schiſmatis per tempus Concilii Conſtantienſis inualuit, vt benè notauit grauis Theologus Ruardus Tapperus, Orat. 3. Theologica num. 3. Sanè Pontifex ſub quo celebratum eſt 2. Concilium Prouinciale Arauſicanum, præſide S. Cæſario, non permiſit illi Concilio diſcuſſionem Capitulorum de gratia quæ tranſmittebat; ſed mandauit Concilio promulgationem eorum Capitulorum. Iam Pontifex neque ab Oecumenicâ, neque Prouinciali, (& idem eſt de Diæceſanâ,) Synodo pendet in formanda definitione de Fide, multò magis independens eſt à quocumque alio, etiam à Cardinalibus aut Prælatis Curiæ Romanæ. Poteſtas enim docendi aliquid eſſe de Fide, nititur eo Chriſti promiſſo, Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, *& illo mandato,* Paſce oues meas, *vtique pabulo ſanæ doctrinæ; & illâ rurſus ſponſione,* Rogaui pro te Petre, vt non deficiat Fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma Fratres tuos. *At Chriſtus non fundauit Eccleſiam ſuper petram Cardinalium, aut Prælatorum; nec illis mandauit paſcere plebem Chriſtianam; nec pro eorum perpetuâ Fide rogauit. Itaque tametſi Papa poſſet peccare, ſi abſque collatione cum ſuis Conſiliariis, aliquid de Fide ſtatueret ſe ſolo; tamen, definitio eſſet valida, ſi fieret ex Cathedrâ; hoc eſt ſi Papa veritatem à ſe ſolo diſcuſſam proponeret fidelibus cum obligatione ſic credendi. Id enim eſt loqui ex Cathedrâ; non autem quod fingit Combefiſius Tract. pro actis ſextæ Synodi c. 2. §. 3. dicens, Loqui ex Cathedrâ, eſſe loqui cum Fratrum Conſilio, & ex communi Eccleſiæ ſenſu. Tandem dicere quod Pontifex non poſſit decidere controuerſiam de Conceptione paſſiuâ Dei-paræ, eſt eorum qui timent cauſæ ſuæ, & volunt abſterrere Pontificem, ne ad eam definitionem accingatur; cùm tamen plus ſatis fundamentorum ſuppetat, & in verbo ſcripto, & in verbo tradito per Patrum vnanimem conſenſum expreſſo, ad eam quæſtionem decidendam, & quidem in fauorem Virginis. Nam quod obtenditur, Sanctum Thomam ſenſiſſe contrarium, & Eccleſiam nihil poſſe decidere contra id quod S. Thomas docuit,*

ridiculè & abſurdè obtenditur. Non ſane ſenſit contrarium S. Thomas; conſtat enim S. Thomam variis locis tradidiſſe Conceptionem B. Virginis fuiſſe immaculatam: & nominatim ita docuit in 1. d. 44. q. vnicâ. art. 3. ad. 3. vt legitur in omnibus S. Thomæ Editionibus, etiam Romanâ, iuſſu Pii V. adornatâ; nec vnquam aliud ibi dixit S. Doctor, niſi an. 1613. quo F. Coſmas Morellus Ordinis Prædicatorum, in Editione Antuerpienſi, textum falſauit.

RESPONSIO.

NÆ tu magnus Nugator es, & nugas tuas malè venditas quas eruditis omnibus, publicæ credulitati, toti denique Orbi Catholico pro veris mercibus conaris obtrudere. Verùm rudis es & vecors Nugiuendus, fatigas *Mendacium.* enim Lectores, neſciens ineſcare. Quàm enim miſera nugatio, inſimulare Cyriacos imminutæ, aut deſpectæ authoritatis Pontificiæ, cujus illibati ac intrepidi propugnatores, huc vſque exſtitere! Circa materiam Conceptionis quam temerario auſu ſuffodis, religioſo ſilentii vinculo obligantur, nec poſſunt à te notari niſi Pontificio quatiaris fulmine aut fidem abieceris. Quæ autem contra doctrinam S. Thomæ confinxiſti, ſequens Paragraphus ventilabit: præſenſque remittit Te ad Suarem *a* & Bellarm. *b* qui in hac parte conuincunt Te Mendacii; quæ autem Morello affingis, infra excutientur.

a Tom. de Fide diſp. 5.
b *L. 2. de Conc. c. 13.*

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Ridiculè aſtruit, ſæpiùs Eccleſiam definiiſſe contraria doctrinæ S. Thomæ.

§. 20.

ÆQuè falsò obtenditur Eccleſiam nihil poſſe decidere contrarium placitis S. Thomæ: quis enim ſic arctauit Eccleſiam, aut vbi reuelatum eſt, S. Thomæ Sententias eſſe amuſſim, ad quam ſint exigendæ definitiones ab Eccleſia latæ? Imò verò Eccleſia non ſemel, definiuit contrarium Sententiis D. Thomæ Nam Bonifacius VIII. C. 1. de Voto & Voti redemp. definiuit ſolemnitatem Voti Religioſorum non eſſe iuris Diuini, ſed Eccleſiaſtici, quod ipſum definiuit Gregorius XIII. in Bulla, Aſcendente Domino. *Et tamen S. Thomas*

contrarium tradiderat. Similiter quod S. Thomas dixerat Religioſum conſtitui per ſola vota ſolemnia; ab eodem Gregorio & aliis Pontificibus contrariâ definitione reſciſſum. Aſſeruerat item S. Thomas, eum qui ad vitæ ſuæ defenſionem homicidium patraſſet, eſſe Irregularem; quod tamen contrariâ definitione reiicitur in Clementina, Si furioſus *de homicid. Igitur Pontificem non poſſe definire ex Fide, quod Conceptio B. Virginis fuerit immaculata, etiam ſi S. Thomas contrarium dixiſſe ſupponeretur; figmentum eſt iniurioſum Pontificibus; haud alio fine excogitatum, quàm vt Pontifices euocentur à ſuſcipiendâ cogitatione de ea definitione. Tam multi magnorum qui ſunt in terrâ, in opere quòd inſcribitur* Legatio, *à Lucâ Vvadingho allegati, perſuaſiſſimum habuerunt veritatem immaculatæ Conceptionis paſſiuæ, eſſe à Pontifice definibilem; cùm enixè expetierint, rogarintque Pontificem, vt eam definire denique vellet; & varij Theologi qui in eam rem Tractationes ediderunt, iure id facturos Pontifices cùm libuerit, demonſtrarunt. Sed Cyriacorum interfuit, cum Pontificum iniuriâ, ad eum modum, honori Ordinis velificari.*

RESPONSIO.

NEcdum ſatis Pſeudo-Petre, in ſanctum Thomam præcedenti diatribâ debacchatum? Recrudeſcit adhuc auitus & anilis Furor, tantâ cæcitate mentis & hebetudine, vt dùm Pontificum acturus cauſam, effuſâ bile Tuo indulges liuori, Pontificibus inuras crimen nullâ ſorte condonandum; eòquòd veritatis amuſſim ac regulam, vocarint Tantum Cælitem, quem Tu velut multiplici Pontificum anathemate protritum denigras. Euome ergo & vno ſemel flatu expectora recoctum toties virus in Præceptorem Angelicum; vt reſciſſi ab Eccleſiâ Doctoris Eccleſiæ ſenſus, Te ventilante prodantur. Garris periucundè & pleno ore detonas, Decretorio Bonifacij VIII. ac Gregorij XIII. calculo reprobatum D. Aquinatis dogma, quo determinauit ſolemnitatem Voti Religionis, eſſe juris Diuini non Eccleſiaſtici. Eia bone ſenex, quo lubricantis greſſus fato, in foueam es deuolutus? Mendacem te probat Vaſquez, liberatque Doctorem Angelicum ab impactâ calumniâ: ait enim D. Thomam docuiſſe ſolemnitatem Voti eſſe de iure poſitiuo & Eccleſiaſtico, non autem naturali aut Diuino. Conuictus es

Calumnia.

1.2. diſp. 165. c. 2. n. 10.

itaque mendacij & impoſturæ, ſolemni Vaſqueſi, quem non recuſas, ſuffragio; ſique illum agnoſti Iudicem, cecidiſti causâ, miſerande ſenex. Verùm hallucinatus eſt Vaſquez, nec mentem S. Doctoris attigit, neſciens hæc duo, licet ſummè diſcrepantia, prudenti falce ſecernere; 1. ſolemnitatem Voti attendendam ſecundùm Oblationem aut Conſecrationem: aliud eſt, ſolemnitatem eiuſmodi in Conſecratione aut Oblatione poſitam. Inter ſignum, inquam, ſolemnitatis, & illius ſubſtantiam nullum ſtatuit diſcrimen. Peccauit etiam laruatus Senex, ex debili ſenſu diſtinguere non valens, inter ſolemnitatem accidentalem ſeu modum ſolemnitatis, quem Pontifices declarant eſſe iuris poſitiui ac Pontificij; & inter ſolemnitatem ſubſtantialem ſeu eſſentialem, vt loquuntur, quam iuris naturalis & diuini eſſe, conſtanter docuit S. Thomas, vniuerſaque eius ſchola. Hæc in Traditione conſiſtit; illa in ceremoniis annexis ab Eccleſia, Traditioni, vt infra §. 55. fuſiùs declarabitur.

Ignorantia. 2

Hoc ignorabat, in rebus Theologicis nouitiolus Pſeudo-Petrus; ſicut & aliud ex eâdem ſtirpe enatum virgultum, nempe Religioſum conſtitui per ſola Vota ſolemnia, ſi vox hæc (*Religioſus*) completiuè ſumatur & in ſenſu omnibus numeris abſoluto. Gregorius autem XIII. in Bullâ, *Aſcendente Domino*, hoc nomen & ſtatum extendit; declaratque Religioſos, quoſcumque Societatis Ieſu alumnos, etiam Scholares & Coadiutores tàm ſpirituales quàm temporales, hoc titulo (vt ipſe innuit) quod per vota ſimplicia quæ emiſere, ardenti niſu anhelant ad Vota ſolemnia. Dum autem Theologi dicunt, Religioſum per Vota ſolemnia conſtitui, intelligunt de Religione pleno ſui Iure gaudente, Votiſque ſolemnibus non emittendis, ſed iam emiſſis cancellatâ. Quid ergo ejulas, doctrinam S. Thomæ ab Eccleſiâ damnatam, vbi de Voto ſolemni? Quid aerem turbas & imples indoctis querelis, & importunis quæſtubus? Diſce à Vaſqueſio S. Bonauenturam & Richardum idem cum D. Aquinate ſentire; nec poſſe Pontifices diſpenſare in Voto ſolemni Religionis, eòquòd naturalis ac Diuini iuris eſt ſolemnitas; non vero poſitiui aut Eccleſiaſtici, ſi de ſolemnitate ſubſtantiali ſermo excurrat.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Fingit Canum iniurium Pontificibus & Societati.

PONTIFICES ſummos in approbando Religioſo inſtituto errare non poſſe, indubitata eſt ſententia Doctorum: qui contrarium eſſe valde iniurioſum Eccleſiæ pro comperto habent contra Viclefum & Huſſum, gemina diabolicæ informationis oſtenta, (vt hùc tranſferam verba antiqui Patris de alia Biga iniquitatis.) Videndus Valdenſis tom. 3. à c. 83. Azor tom. 2. l. 5. c. 7. q. 2. Suares tract. de Fide diſp. 5. ſect. 8. num. 9. & tom. 3. de Religione l. 2. cap. 17. à num. 18. Valentia 2. 2. diſp. 5. q. 1. p. 7. §. 41. Ipſe S. Thomas Opuſc. 19. c. 4. ſic habet in calce corporis; Cum aliqua Religio per Sedem Apoſtolicam inſtituta eſt, manifeſtè ſe damnabilem oſtendit, qui talem Religionem damnare conatur. *Audiat Canus, qui l. 5. de Locis c. 5. non modo aſſeruit, Pontificem errare poſſe approbando aliquod religioſum Inſtitutum; ſed etiam aſſeruit erraſſe de facto; & qui id negare voluerit, imprudentiæ, vel etiam ſtultitiæ nomine, Iure optimo ſummis rationibus arguendum eſſe. Ità Canus Cyriacus, œſtro percitus in Pontifices, eòquòd approbaſſent Inſtitutum Societatis Ieſu; quod & Varij ad eam diem Pontifices magnificè approbarant, ac collaudarant; & Synodus Oecumenica magnificè probarat, ſeſſ. 25. de Regula. c. 16. vocans eius Inſtitutum* pium & laudabile, ac à ſede Apoſtolicâ approbatum. *At Canus Inſtitutum Societatis Ieſu, ad mortem vſque habuit pro exitiali; eiuſque Profeſſores Anti-Chriſti antecurſoribus accenſuit. Verum eſt; Cani ſodales de tanta Cani audaciâ erubeſcentes, expunxiſſe clàm ex Cani codice recuſo, mentionem particularem Societatis Ieſu: Tamen adhuc reperiuntur primarum Editionum codices, in quibus legitur ea verborum illuuies, cum ſpeciali Inſtituti Societatis Ieſu mentione, & nominatim Romæ in quadam inſigni Bibliothecâ, exſtabat Cani codex abſque caſtratione, poſteà clanculum adhibitâ: ſed bona anima Terentij Alciati, voluntate pacis ſtudioſâ, fecit vt volumen illud periret, nullis que deinceps poſſet eſſe offendiculo; & qui viderunt, teſtimonium hodieque perhibent, & verum eſt teſtimonium eorum. Scriptio item Azorij, qui* §. 21.

integro illo Cani exemplari ad eius confutationem vſus fuerat, eodem non ſatis conſulto pacis ſtudio, vel vt intercideret vomitus illius Canini memoria, hiat, per immiſſam, nec cum Iudicio expletam lacunam. Quamquam autem ea truncatio cancromatis, Pontificibus ac Concilio Oecumenico & Religioſo Inſtituto iniurioſi optimè habuit; tamen exectio facta eſt Clanculum, nec ob adeò fœtens ſpurciloquium, Cani liber in Indicem librorum vetita lectionis eſt relatus; Cyriacis, quorum ea eſt pars ſtudij maxima, pro Fratre annitentibus. Qua etiam ex causâ Caietanus è cuius ſcriptis multa cancroſa ſapienter reciſa ſunt, præteritus tamen eſt in Indice, ne Cyriaci fama inureretur macula.

RESPONSIO.

CErtaminis mutatur ſcena, non certantis animus: ſingulari duello committitur cauſa communis, & qui vniuerſo C riacorum agmini bellum denunciarat Pſeudo-Petrus, hîc in vnum collimat Canum, tanquam in publicum & ſingularem Pontificiæ dignitatis hoſtem; hoc præcipuè Titulo, quod Societatem Ieſu à Pontificibus approbatam, & approbantes Pontifices, Canino dente corroſerit. Verùm cecidit obliquo ictu in fundibularij turbidum caput emiſſus lapis; dum qui in ſupremo audaciæ impetu, ſuum omne præſidium collocauit; in approbatum à tot Pontificibus, & à Conciliis laudatum Ordinem Prædicatorium, cancroſæ mentis ſpurcitias Canino vomitu eructans, conſpurcat cum præfato Ordine, tot laudabilis ac Religioſi Inſtituti ſummos comprobatores. Vna eademque vox Scholæ Thomiſticæ ac Moliniſticæ. *Eccleſiam non poſſe errare in approbatione Religionis, quantùm ad ſubſtantiam votorum, & moralitatem ipſius Regula & Statutorum; quidquid ſit de circunſtantiis Religionum aut earum multitudine, qua per ſe non ſunt connexa cum ſuſtantiâ & bonitate*
a 11. *diſp.* 29. *a.* 3. *Religionis approbata*, inquit Ioannes à S. Thoma Cyriacus *a* poſt Banneſium: concinuntque Suares *b* & Bellarm. de
b *de fidei diſp.* 5. *ſect.* 8. *n.* 7. Rom. Pontif. *c* Quid autem in contrarium Canus edixit, ob quod acriter adeò, & vt puto, minùs conſideratè, à Scriproribus vellicetur? Conueniunt Authores poſſe errari
c *l.* 4. *c.* 5. in Religionum approbatione, non quoad ſubſtantiam & moralitatem, ſed quoad circunſtantias extrinſecas & multi-

multitudinem. Quid ille? Audiatur.

Propoſita Obiectione quòd ex approbatione Ordinum, falſum aliquando videatur iudicium Eccleſiæ circa mores; non quidem quantum ad ea, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria; ſed in iis quorum ignoratio, ſine ſalutis pietatiſque iacturâ eſſe poteſt: aliquibus interiectis, concludit tandem objectioni ſatisfaciens; in iis quæ ſunt ſecundi generis; ſeu in circumſtantiis & multitudine, potuiſſe errari & fuiſſe erratum, quod omnes admittunt. Vnde inſurgit tandem in eos qui etiam in circunſtantiis, infallibiles dixere Pontifices, cum toties vnus euoluerit, quod alter conſtituerat Sic autem effatur; *Qui ſummi Pontificis omne de quaque re iudicium, temere ac ſine delectu defendunt; hos Sedis Apoſtolicæ authoritatem labefactare* (de Te loquitur, Petre) *non fouere; euertere, non firmare. Nam quid tandem aduerſum Hæreticos diſputando ille proficiet, quem viderint, non iudicio, ſed affectu, patrocinium authoritatis Pontificiæ ſuſcipere; nec id agere vt diſputationis ſuæ vi, lucem ac veritatem eliciat, ſed vt ſe ad alterius ſenſum voluntatemque conuertat? Non eget Petrus mendacio noſtro, adulatione noſtrâ non eget. Ordines igitur vel probare vel refellere, quoniam non è ſcientiâ*, (eſſentiam Religionum inſpiciente) *ſolùm; ſed etiam è prudentia* (reſpiciente circumſtantias & multitudinem) *pendet, non ad ea in quibus ſummus Pontifex errare nequit. Atque iam vel in Concilio Lateranenſi aduertebatur, Religionum nimiam multitudinem, quam nunc eſſe videmus, valde Chriſti Eccleſiæ incommodare. Concilium quoque Lugdunenſe fatetur, quòd importuna petentium inhiatio, contra Synodi decretum, aliquarum Religionum confirmationem extorſit. Vnde quoſdam etiam Ordines per Sedem Apoſtolicam, approbatos, tanquam Eccleſiæ vel noxios vel inutiles, abolendos eſſe decreuit, vt nullum deinceps ad eorum petitionem admitterent.* Affertque exempla de Fraticellorum Ordine, à Cæleſtino V. confirmato, quem Ioannes XXII. extinxit; ſicut & Ordinem Baptiſtæ Cremenſis in Italiâ, à Paulo III probatum, poſtea Romana ſedes deleuit.

Poſt quæ, ſubdit; *& quidem ante D. Thomæ tempora adeò reſtrictè & grauiter noui Ordines admittebantur, vt ex tam graui auguſtoque judicio, probabile argumentum prudentis Conſilij ſumeretur. Noſtro verò hoc ſeculo, tam multæ ſunt*

L. 5. de locis c. 5.

Pag. 349.

Religiones à Pontificibus confirmatæ (Quid ergo garris, Petre; ob vnius Societatis confirmationem, in Pontifices inſurrexiſſe Canum, qui tot queritur exortas; Conciliorum in hoc ſequens veſtigia?) *vt qui eas omnes tueri voluerit, tanquam Eccleſiæ vel vtiles vel neceſſarias, hic imprudentiæ, ne dicam ſtultitiæ, iure optimo, ſummiſque rationibus arguatur.* Ex quibus luce clarius euincitur, Canum Eccleſiam in approbatione Religionum, quoad ſubſtantiam & moralitatem; ſeu vt ipſe loquitur, in iis quæ ad ſalutem ſpectant, infallibilem agnouit, & conſtanter docuit, erratum tantum dixiſſe in circumſtantiis extrinſecis & multitudine numeroſâ, quod Suares, Bellarminus, & alij eiuſdem Inſtituti communiter recipiunt & ſcribunt.

Pulſa ergo illos ejulatibus Tuis, & caue, ne vt priorem errorem eluas, prolabaris in ſecundum. Vnde enim habes, *accenſum in Pontifices Canum, quòd approbarint Inſtitutum Societatis, quam inquis, ſemper pro exitiali habuit, ejuſque profeſſores Anti-Chriſti antecurſoribus accenſuit.* Scimus quidem multos, nec inferioris notæ, quos refert Orlandinus, cuius & ipſe alumnus, in Societatem adhuc naſcentem exarſiſſe: at de Melchiore Cano, viro Religioſo, profeſſore Salmantico, Concilij Tridentini Theologo, Epiſcopo Canarienſi, cur ſic proteruè quereris & oggannis, cuius elogium permagnificum texuit Poſſeuinus, nec de vellicatâ matre queritur? Bone Deus! quot mendaciis hanc calumniam niteris ſuffulcire! *Cani*, inquis, *ſodales de tantâ Cani audaciâ erubeſcentes, expunxere clàm ex Cani codice recuſo, mentionem particularem Societatis Ieſu.* Si clàm, quomodo Tibi compertum? ſuperſtrue mendacium mendaciô, & dic, *Romæ in quadam inſigni Bibliothecâ.* Quæ illa? Caret nomine & ſubſiſtentiâ. Pergis; *Exſtabat Cani codex abſque caſtratione; poſteà clanculùm adhibitâ.* Te ſine dubio caſtrationis teſte & authore, Authorum qui es caſtrator emeritus. Nec dum mentiendi finis. *Sed bona,* inquis, *anima Alciati:* ex hoc tibi diſplicet (cui nihil placet bonum aut ſanum) *fecit vt volumen illud periret, nullique deinceps poſſet eſſe offendiculo.* Petre, mendacem eſſe memorem oportet. Quid opus erat Alciato, è Bibliothecâ ſubtrahere volumen illud, ne eſſet offendiculo, cum iam, vt dicebas ſi meminiſti, clancularià caſtratione ablatum & expunctum fuerat, quod poterat eſſe offendiculo? Noli

Calumnia.

C 8. hiſt. ſociet.

Mendacium. 3.

Contradictio

Itaque licentiâ irreligioſâ, Euangelica Ioannis verba in mendaciorum tuorum velamen detorquere, *qui viderunt, teſtimonium perhibent & verum eſt teſtimonium eorum*, ne tibi alio ſcripturæ teſtimonio, æquiùs os petulans obſtruatur, quia *mendax es ab initio.*

Verùm affer in veritatis conuictionem, integrum illud Cani exemplar, quo vt ais, Azorius ad eius confutationem vſus fuerat; proculdubio in aliquâ Bibliothecâ ſuæ Societatis, in cuius ſinu non potuit caſtrari à Cyriacis. *Hiat*, inquis, *nec dum Iudicio expleta lacuna.* Bellè Te explicas Fratercule. Quis enim non rideat dicentem, in ipſa Societatis Bibliothecâ, Azorij eiuſdem Societatis alumni caſtratum & mutilatum librum, nec impletam lacunam aut reſtauratas ruinas. Proh Deus! qualis æſtuantis oceani exundatio, quâ memoriâ Societatis, & è libro Cani expunctæ caſtrationis notæ ac teſtes, communi naufragio periere; nec dum tamen expleta lacuna? Diſce à Poſſeuino, religioſiùs de viro Religioſo; ſapientiùs, de eruditiſſimo Profeſſore; ſobriùs, de venerabili Eccleſiæ Prælato loqui, Pſeudo-Petre. Nec dicas, Cancroſe Senex, *Cancroſa* Cardinalis Caietani verba, ideoque reciſa. Nec Cani viri Religioſiſſimi ac Doctiſſimi Epiſcopi, *exectum clam fœtens ſpurciloquium, ne libri eius in indicem librorum vetitæ lectionis referrentur*, pro vtroque Fratre, *annitentibus Cyriacis.* Sed fatere cum Poſſeuino, de libris & Auctoribus iudicium rigidè ferente ac cenſuram; *quoad libros locorum communium* (quos duplicis reatus inſimulaſti hoc vno paragrapho) *negandum non eſſe, quin e fœcundo, erudito ac facundo ingenio prodierint*; *eo commendandi magis* (ergo ne dicendi Canini vomitus, fœtens ſpurciloquium?) *quod ipſe noſtra ætate, primus eâ breuitate, copia, diſpoſitione ac perſpicuitate de iis perutiliter egerit.* Vbi ergo voces illæ Cani, velut latrantis in Pontifices & Societatem canis?

Stoliditas.

Contumelia.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Imponit Cano ſugillaſſe ipſum nomen Societatis Ieſu.

§. 22. *AD conuicia eiuſdem Cani & ſpumas Rabientis, veriùs quàm voces, in Profeſſores eiuſdem Inſtituti, reponant quorum intereſt. Obiter tantùm dico, hunc adeò efferatum Moloſſum, non modò in perſonas ac Inſtitutum, ſed etiam in ipſum nomen à Pontificibus delatum, & à Synodo Oecumenicâ confirmatum, ac tanto antè Ioachimo Abbati precognitum, infixiſſe genuinum, vt etiamnum legitur l. 4. de Locis c. 2. inter tractandum eum Apoſtoli locum 1. Cor. 1.* Fidelis Deus per quem vocati eſtis in ſocietatem Filij eius Ieſu Chriſti. *Gloſſa Canina in hunc locum, eſt iſta. Quæ ſine dubio Societas, cum Chriſti Eccleſia ſit, qui titulum illum ſibi arrogant, hi videant, an Hæreticorum more penès ſe Eccleſiam exiſtere mentiantur. O Bone, imò verò, O Maligne, qui ſibi titulum illum arrogauerit, damnas eſto. Qui à Pontificibus delatum, & à Synodo Oecumenicâ comprobatum cum demiſſione prætulerit, ſatagens ne nomen vacuum portet, ſit ille Benedictus, ne quicquam contrà latrante Cano; & de orbis cardinibus adeò indignè, vel etiam furiosè, ſtatuente in eâ cauſâ. Hic eſt ille ſapientiſſimus magiſter Canus, pro cuius canitudine, & pilis ſapientibus, F. Franciſcus Combefis, adeò in Baronium concitatus eſt, eoquod Baronius, Cano in S. Gregorium magnum infigenti Genuinum, & Honorium Primum fœdè deformanti, vnâ aut alterâ periodo pilum vulſiſſet, qua de re poſteà.*

RESPONSIO.

D*Eceperunt Te perſpicilia tua, inueterate dierum*; Verùm quâ religionis lege, quoue rationis temperamento, auſus es de ore, Chriſti Sanguine quotidie rubricante, educere Caninos latratus, frigidâ ac profanâ

Contumelia. canis ad nomen Cani alluſione; & venerando Eccleſiæ Præſuli, belluinam efferati Moloſſi ſuperinducere formam? Quo, inquam, prouocata aſſultu, quoue mucrone temerata, in tot mendaces & portentoſos Boatus prorupit

aculeata dicacitas ? Canino, inquis, conuiciantis Cani gloſſemate, quo, non modò in perſonas ſæuit & in Inſtitutum; *ſed etiam in ipſum Nomen* Societati inſcriptum; *à Pontificibus ei delatum; à Synodo Oecumenicâ confirmatum; ac tanto antè Ioachimo Abbati præcognitum*; quaſi qui titulum ſibi illum arrogant, vel potiùs delato glorientur, Hæreticorum more, penès ſe Eccleſiam exiſtere mentiantur. Benè præmonueram, Petre; fallacibus vſus es perſpiciliis: illuſio eſt faſcinati animi, quæ Te dementat, caligatque oculorum acies, putrido infecta liuore. Nec enim Societatem Ieſu, præfata Cani gloſſa vel tantillum perſtrinxit, quod multiplici ratione euincam, delibato priùs Scriptionis eius breui contextu. *Calumnia.*

Quærit ille quid ſit Eccleſia; & reſpondet. *Eccleſia græcum nomen eſt, & ſi verbum verbo reddas, latinè conuocatio dicitur: ſiue quod omnes ad ſe vocet, vt Iulio & Rabano viſum eſt; ſiue quod quicumque in eam conueniunt, hi non meritis & iuſtitiâ ſuâ, ſed Dei gratiâ & vocatione conueniant. Nam & hanc nominis Ethymologiam ſpero Lectoribus placituram. Eccleſiæ quippe Romanæ ſcribens Paulus, Omnibus, ait, qui ſunt Romæ, vocatis Sanctis &c. Atque in priore ad Corinthios epiſtolâ, Eccleſia Dei, inquit, quæ eſt Corinthi, vocatis Sanctis &c. Et paulo poſt, Fidelis Deus per quem vocati eſtis in Societatem Filij eius Ieſu Chriſti: quæ ſine dubio ſocietas, cum* Eccleſia *Chriſti ſit, qui titulum illum ſibi arrogant, hi videant an Hæreticorum more, penès ſe Eccleſiam exiſtere mentiantur.* Tota ergo rei ſumma in hoc reuoluitur, quid appellet & innuat dictio hæc, *Titulus, ille*, ait enim, *qui ſibi arrogant, Titulum illum*; Societatem an Eccleſiam, & quam Societatem? Dico itaque Eccleſiam ibi denotari, non autem Societatem licet in re, vnum plane ſint, ſocietas & Eccleſia, nominis tamen ſpecimen longè diuerſum. Vnde ipſamet D. Ignatii familia, quæ gloriatur vocari Societas Ieſu, Ieſu Eccleſia dici nunquam petiit, nec paſſa eſt; tanquam ex præcognito vtriuſque diſcrimine. Siquidem id quod deſignatur ibi, ſiue ſocietas ſit, ſiue Eccleſia; hæreticis affines indicat eos quibus arrogatur; ait enim auctor; *Qui Titulum illum ſibi arrogant, hi videant an Hæreticorum more, penes ſe Eccleſiam exiſtere mentiantur.* At nulli vnquam extitere hæretici, qui ſe Societatem Ieſu nominauerint: multi, qui Eccleſiam; vt Ca-

L. 4. de Locis c. 2.

thari, Donatiſtæ, & nuper Caluiniſtæ ac Lutherani, qui penes ſe ſolos, Eccleſiam Chriſti exiſtere mentiuntur. Non ergò ſocietatem; ſed Eccleſiam, deflectens ad hæreticos, *Titulus ille* ſubindicat. Minùs autem innuit Societatem Patrum Ieſuitarum, quæ ſub generalis Societatis iam excluſæ, latitudine & nomenclatione clauditur, & amouetur cum ipsâ: Veluti cum à Toto, pars quælibet remouetur. Tùm etiam quia ſi dictio, *Titulus ille*, Societatem innuit; demonſtrat illam de qua Apoſtolus, loco immediatè ante laudato intelligendus venit; dum ait, *vocati eſtis in ſocietatem filij eius Ieſu Chriſti*. At illa complectitur omnes in vniuerſum fideles, qui in ſocietatem Chriſti vocati ſunt. Vt enim ait ibidem Cornelius à Lapide, ex Anſelmo, Ambroſio, Theophilacto, *Societatem Filij*, hic vocat Paulus, ipſum Chriſtianiſmum, & Canus clarè explicat; *quæ ſine dubio ſocietas cum Eccleſia Chriſti ſit, qui titulum illum ſibi arrogant &c.* Vel ergo Societas Patrum Ieſuitarum complectitur omnes in vniuerſum Fideles, integrumque Chriſtianiſmum; quæ eſt hæreſis iam ſæpe præfocata in Catharis, Donatiſtis & aliis à fide transfugis; vel ipſa non attingitur à Cano, ſicut nec ab Apoſtolo, quem Canus citat

Prætereà, Societas illa quæ Eccleſia Chriſti hìc dicitur, ſeu Societas, reſpicit tantum eos qui hunc titulum Societatis Ieſu, ſibi arrogant; ais enim, *qui ſibi titulum illum arrogauerit damnas, eſto. Qui à Pontificibus delatum, & à Synodo Oecumenicâ comprobatum cum demiſſione pratulerit, ſatagens ne nomen vacuum portet, ſit ille benedictus; nec quicquam contrà latrante Cano.* Hæc tua ſunt verba: At familia S. Ignatij, non ſibi arrogauit hoc nomen Societatis Ieſu, vt tu ipſe profiteris; ſed illi delatum eſt à Pontificibus & à Synodo Oecumenicâ comprobatum: Ergo Societas, de qua hìc Apoſtolus; non reſpicit ſacram D. Ignatij familiam, nec, vt tuo, licet iniurioſo, verbo vtar, quicquam contra eam allatrauit Canus. *Ex ore Tuo Te judicio nequam.*

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Bzouium inſimulat traductæ Paupertatis Ordinis Seraphici.

INſtitutum Franciſcanorum, & eorum arctiſſimam Paupertatem, varij Pontifices comprobarunt verbis ampliſſimis (ita Innoc. III. Honorius III. Gregorius IX. Innocentius IV. Alexander IV. Nicolaus III. Martinus IV. & V. Nicolaus IV. Bonifacius VIII. & cum Concilio Viennenſi Clemens V. nec non poſteà Eugenius IV. & alij abſque numero; Soli Cyriaci reclamarunt; & nominatim Abrahamus Bzouius ad annum 1371. *à num.* 8. *multus eſt in notando erroris grauiſſimi, inſtituto ſic approbato. Nec exhorruit ſcribere, artificem Omnis doli Satanam, perſuaſiſſe Minoritis ſpectare ad perfectionem, nihil habere, & omni dominio carere, etiam in communi. Hanc Bzouij Cacochymiam, eſſe ipſammet Vviclefi delirationem, damnatam ſeſſ. 8. Concilij Conſtantienſis, latè confirmat Dermitius Thadæus in Bzouio expoſtulato, in ſpongiâ ad annum prænotatum. Mihi ſat eſt aduertere, quam atroci in Pontifices iniuriâ dixerit iſte Cyriacus, Inſtitutum ab eis totiès comprobatum, ad Sathanæ inuenta pertinere. Hoc dixit Bzouius & dixit impunè. Non enim idcircò Liber eius in Indicem librorum proſcriptorum relatus eſt, aut corrigi iuſſus. Quomodo autem Bzouius non incurrerit excommunicationem in eos latam, qui, non dico perſonas, ſed Inſtituta Minorum & Prædicatorum, impugnant, conſiderent quorum intereſt.* §. 23.

RESPONSIO.

QVid ſibi vult celeberrimus iſte tot Procerum apparatus? Ad vnius ſummi Pontificis pedes, venerabundi procumbunt Reges, ſuprema populorum Capita. Hoc vno ore, mixta tonitruis cœli fulmina conuibrantur. Quid ergo portentoſi & inauditi innuit numeroſa hæc & *abſque numero* Pontificum cohors, tot ſupremorum Antiſtitum conglobatus ſplendor, congeminata maieſtas? In primo ſubſellio, vndecim locat Petri ſucceſſores Pſeudo-Petrus,

qui communi calculo, *Patrum Franciſcanorum Inſtitutum & eorum arctiſſimam Paupertatem comprobantes*; corâm ſe dicturum prouocant Abrahamum Bzouium Cyriacum & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ poſt Baronium continuatorem; vt ſé dé infando crimine purget, ſi innocens: aut lethali fulmine, ſi reus occumbat. Quale igitur crimen illud, cui vindicando tot è cælis ad terras euocauit Dynaſtas Petrus ſub larua latens? Triplex vt puto, reatus; tricepſque Cerberus latrans in Ordinem Seraphicum, in heroicam paupertatem & obliquo ictu in Pontifices, vtriuſque approbatores. Certè actum eſt, aut de Bzouio, tot facinorum inſimulato: aut de Pſeudo-Petro, inſimulante. Qui ex illis conuictus fuerit; ille, ſi reus: iſte, ſi impoſtor, causâ cadet, & exitiali tot fulminum grandine conteretur.

Expanduntur interim in venerando hoc Pontificum conſeſſu & conſpectu, Annales Eccleſiaſtici Bzouiani, quæriturque, euoluente pagellas ipſo accuſatore Petro ad
Calumnia. annum 1371. num. 8. & ſequentibus; vtrum grauiſſimo errore notarit Iuſtitutum Franciſcanorum à Pontificibus approbatum. Percurritur attentâ acie integer annus, à primâ ad vltimam, eius notæ expenduntur; ſingula ventilantur verba, puncta librantur & apices, nihilque prorſus de D. Franciſci perſonâ aut Ordine: nihil de paupertate eius, vel tantiſper inſinuatum à Bzouio ibi legitur. Vbi ergò frons tua Petre? vbi pudor? quomodo, doloſe & impudorate ſenex, non exhorruit calamus deludendo orbi intentus, ſcripto propalare, Bzouium non exhorruiſſe ſcribere artificem omnis doli Sathanam, perſuaſiſſe minoritis ſpectare ad perfectionem nihil habere & omni dominio carere etiam in communi: cum toto illo anno à Te ſignato, nec verbum de D. Franciſco aut eius Inſtituto; de Sathana, doli artifice: de Paupertate, aut de omni dominij abdicatione habeatur; neque etiam alibi paupertas Euangelica eius aut alterius, vel tantillum vellicetur? Imò
an. 1217. recitat Bzouius tripudiante Calamo confirmationem Or-
Ibid. n. 9. dinis Seraphici: arctiſſimam eius paupertatem mitis extollit encomiis, refertque ex D. Bonauentura in vita S. Franciſci, Chriſtum ei apparentem obſidem ſe dediſſe paupertati omnia propter ipſum abdicanti, ſe nunquam
an 220. n. 11. in neceſſariis ei defuturum. Et infra vocat paupertatem virtutum Reginam, fœdere junctam D. Franciſco, qui &

eam in ſummo apice eſt amplexatus.

Hanc ergo, non Bzouij cum Vvicleſo (vt garris) damnatam à Concilio Conſtantienſi; ſed ipſammet Cacochymiam Pſeudo-Petri poſt Dermitium Thadæum in Bzouio expoſtulato euagantis; & à Ioanne XXII. & aliis Pontificibus præfocatam in Begardis & Fratricellis, qui nec Chriſtum, nec Apoſtolos aliquid proprium, etiam in communi habuiſſe, nec Religioſos poſſe habere blaterabant, notauit Annaliſta Cyriacus Bzouius & cum illo Spondanus, errore grauiſſimo, velut *à Sathanâ omnis doli artifice*, præfatis Hæreticis inſufflatam. Mihi itaque ſat eſt aduertere, *quam atroci in Pontifices iniuriâ*, falſo dixerit Nebulo iſte perſonatus ad doloſam Cyriacorum depreſſionem, Bzouium ſcripſiſſe *Inſtitutum Franciſcanorum toties comprobatum, ad Sathanæ inuenta pertinere*. Hoc dixit Pſeudo-Petrus, *nec dixit impunè*, idcircò enim Libellus eius in Indicem librorum proſcriptorum relatus eſt; & duplici, in Galliâ, igne putidus ille tenebrio conflagrauit. Quomodo autem Aduerſarius *non incurrerit Excommunicationem in eos latam, qui inſtituta Minorum & Prædicatorum impugnant, conſiderent quorum intereſt*. Recto enim ictu impetiit Prædicatores; obliquo autem Minoritas, dum notam Erroris grauiſſimi à Bzouio poſt Pontifices impactam Fratricellis & Begardis Hæreticis (qui ſe Franciſci alumnos falsò iactitabant) fraudulenlentâ, crudeli & impiâ ſolertiâ ad Minoritas tranſtulit & detorſit; vt in Dominicanos incenderet Franciſcanos, quos antiqua Fraternitas ligat & conſtringit. *Excommunicatio.*

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Ridiculam componit Stropham de ablegatâ à Cyriacis Mendicitate.

Euſdem furfuris eſt, & huic negotio affine, quod ante paucos annos hauſi ipſe meis auribus apud Cauares. Exulabat ibi magnus Antiſtes, apud quem Controuerſia inferbuit de Inſtitutis Mendicantium, quorum ille petacitatem pertaſus, in ipſam quoque Mendicitatem concitabatur. Aderat Doctor §. 24.

Cyriacus, cui cognomen erat Ioannis, *qui vt Antiſtitem palparet, & ad lautum conuiuium frequens adhiberetur, in Mendicitatem quoque Religioſam ſtrinxit lingua macharam. Vrgebantur ab aduersâ parte, pro Mendicitatis ſanctitate Oracula Pontificum à Bellarmino addenſata, l. de Monach. c. 45. At Cyriacus nihil de ſua in Mendicitatem concitatione remiſit; nec Romanis Pontificibus pro ſtatu Mendicantium allegatis aſſurrexit. Fuit qui reponeret; Eia: Magiſter bone:* Memini legere auctorem Inſtituti Prædicatorum S. Dominicum, in Teſtamento quod ſub mortem condidit, intorſiſſe maledictionem ſuam, in eum qui annuos prouentus in Ordinem à ſe conſtitutum induceret. Quis veſtrum primus eam in ſe maledictionem deuocauerit, mitto quærere. Tantùm peto; quo tempore timebatur in Ordine ea maledictio, aberatque cenſus annuus qui nunc ſuppetit, vnde petebatur ſuſtentatio à Fratribus? *Hæſit miſellus ſupra piſcem mutus; & cum ſuo rubore didicit, non eſſe Pontificibus aliquid ſtatuentibus, obſtrependum.*

RESPONSIO.

AVres tuas miſelle Senex, oppletas deportando ad loca vicina furfure, qui è molendino Vallis-Clauſæ cum farinâ colligitur; præcedenti *negotio aliud valde affine & eiuſdem furfuris; ante paucos annos inuaſit apud Cauares;* qui locus (in ditione Auenionenſi; ſed apud Te fingentem) eſt in ſyſtemate lunari ſatis notus, ſimiliſque incantatis illis domibus ac caſtellis, in quibus præter horrorem & ſolitudinem, vmbratilia & ficta omnia; fictæ turres, perſonati hoſpites, ſpectra circùm volitantia, fabuloſæ dapes, mendax conuiuium, vmbræ conuiuantes, ficta certamina, imaginaria proloquia, longus denique illuſionum ac fabellarum contextus, vacuam laruati Petri occupat animam, quæ Caua res eſt, ſeu *Res caua* & inane cerebellum, vbi hæc omnia cuſa & conficta ſunt. Hoc tamen defuit ſomniantis animulæ laſciuientibus deliriis, quòd inter magnum vt ait, ſed exulantem & Anonymum Antiſtitem, aduerſus Mendicitatem & mendicantium *petacitatem* feruentiùs concitatum: inter perſonatum *Doctorem Cyriacum cui cognomen erat Ioannis* à cælo aperto; ſicut tibi cognomen eſt Petri à Valle-clauſâ; inter diſtrictas *lin-*

Impoſtura.

gua Macharas, quâ ille *Antiſtitem palpans, vt ad lautum conuiuium frequentiùs adhiberetur, nihil de ſua in Mendicitatem concitatione* remittebat; dum Petrus non Epiſcopi, ſed Purpurati Patris palpo aſſiduus frequens paraſitus, teſtamentum reponeret D. Dominici, maledictionem intorquentis *in eum qui annuos prouentus in Ordinem à ſe cõſtitutum induceret*. Inter hæc inquam, tam bellè conficta, debuerat quoque fabuloſos fabuloſæ concertationis teſtes adhibere & comminiſci; ne toties mendaciorum conuictus, ridiculæ huius illuſionis contextor, vnicam hanc proderet veritatem, in *Caua re*, ſeu in cauatâ & excauatâ mente, in vacuo Petri cerebello, velut inani émotæ mentis tuguriolo, hanc puerilium nugarum ſegetem ſuccreuiſſe.

Verùm vt ſapientibus & vigilantibus tot ſomniorum futilitatem pertæſis ſatisfiat; *Eia Magiſter bone*, effrons Ludi-Magiſter, quid tot nugamentis & deluſionibus venaris? Video; velles probare ſuppoſitos maledictioni Paternæ Cyriacos, ob ſuſceptos annuos reditus in communi, quos ille amouerat, nec obtemperatum Pontificibus pro ſtatu Mendicantium allegatis. At ediſſere nobis, quâ poteſtate Mendicantes omnes, qui ex primæuâ Ordinum ſuorum conſtitutione, omni temporalium dominio abrenunciarant, tempore Concilij Tridentini ad habendas in communi poſſeſſiones ſunt admiſſi; licet eorum Inſtituta refragentur? proprionè ambitu, an publicâ authoritate? auſunè temerario, an Concilij & Pontificum nutu ac juſſu? Retexenda eſt breui hiſtoria. Refrigeſcente in dies, Chriſtianorum charitate ac liberalitate iuxta Pauli Oraculum; Euangelici pauperes, vt ſimplex daretur victitandi facultas, paucis ad ipſos Eleemoſinas deferentibus, cogebantur relicto Monaſterio, interpolatâ aut neglectâ regulari Obſeruantiâ, longiùs excurrere, victûs emendicandi causâ inflectebatque ſæpius ad indebita & indecora, vrgens fames, premens neceſſitas. Quapropter huic prouidens malo Summus Pontifex, cum Sacro-Sanctâ & Oecumenicâ Synodo Tridentinâ, ſeſſ. 25. conceſſit omnibus omninò Mendicantibus proprietatem & poſſeſſionem temporalium in communi habendam. Ab hâc tamen communi Regulâ & Indulgentiâ, excipi poſtularunt pro ſe & ſuis, R. P. Franciſcus Zamorra Generalis Minorum de Obſeruantiâ; & Capucinorum, R. P. Thomas Caſellus Trifernas, indul-

tumque eſt eis excludi ab hâc gratiâ. Ab eodem quoque excludi fauore, vt inquit Spondanus, petiit & obtinuit Generalis Præpoſitus Societatis, R. P. Iacobus Lainius pro domibus duntaxat profeſſis; ſed poſtridiè impetrauit à Concilio, communi cæteris Mendicantium Generalibus fauore & indulgentiâ gaudere. Hoc ſtatuit Concilium Oecumenicum; hoc conſtituere Pontifices. *Hic hæret miſellus, ſupra piſcem mutus*; erumpens è fonte Vallis-Clauſæ velut piſcis Petrus, & vt verbis eius vtar, *cum ſuo rubore diſcit non eſſe Pontificibus & Conciliis aliquid ſtatuentibus, obſtrependum.* Dixerat Tertullianus, neminem in ſuum caput mentiri; ſed mentitus eſt, & fabellam compoſuit Pſeudo-Petrus, in ſuum caput & dedecus; ſi tamen ruboris aliquid ſuperſit Impoſtori publico & ad mendacia compingenda nato.

An. 1563. n. 60.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Affingit Euechardo, prædicaſſe commentitia eſſe Stigmata D. Franciſci.

§. 25. *Nolo præterire quæ in S. Franciſci decora iactauit liuor aliquorum Cyriacorum, præter ea quæ aduerſus eius Inſtitutum, & Mendicitatem ab eo inuectam, retuli vibrata. S. Franciſcum Stigmata Domini Ieſu in corpore ſuo portaſſe, ſoli Heretici diffitentur, vt Beza in cap. 6. ad Galat. Mornaus in Myſterio Iniquitatis pag. 345. Balæus in Appendice Catalogi Scriptorum Angelic. ad num. 37. At multi Pontifices, vt Gregorius IX. Et Alexander IV. & qui vno aut altero poſt S. Franciſci obitum anno ſcribebat Lucas Tudenſis. l. 2. contra Albig. c. 11. proponunt illud S. Franciſci decus, vt rem certiſſimam & innumeris oculatis teſtibus firmatam. Solus inter Catholicos F. Euechardus Cyriacus, Opaniæ in Morauia, pro concione, hoc decus S. Franciſci eſſe commentitium effutiuit, & inter Quæſtuariorum artificia recenſuit. Fuerunt qui in ſenſu accommodatitio aptarent S. Franciſco, illud ex Apocalypſi,* Vidi Angelum aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei viui. *Ita S. Bonauentura in Prologo Legendæ maioris, & alij longo agmine adducti à F. Saluatore Vitali, in Floreto Aluernino, Hyacintho 4. & diſert· Leo X. in Bullâ, quæ dicitur* Vnionis. *Solus F. Nicolaus Eymericus, Ordinis*

Prædicatorum 2. p. Directorij Inquiſit. q. 11. in hanc accommodationem zelo amaro efferbuit, viſus eam hæreſeos damnare. Quod non damnaſſet contra Alphonſum Venetum, & alios apud Hyacinthum Coquetium l. de maternis Mariæ viſceribus in Ordinem Prædicat. C. 18. qui S. Dominici Stigmata commenti ſunt, ſi ad eum accommodaſſent prædictum locum Apocalypſis.

RESPONSIO.

INuidia feracior eſt calumniarum, quàm hydra capitum: vno decuſſo calumniæ capite, fœcundo partu ſtatim noua ſuccreſcunt, Herculeuſque mihi labor incumbit. Non curris, Petre, ſed non potes figere pedem, aut greſſum temperare in aſſueto mentiendi Lyceo. S. Franciſcum ſtigmata Domini Ieſu in corpore ſuo portaſſe, certiſſimum eſt, oculatis teſtibus & miraculis firmatum, ipſiuſque Alexandri IV. poſt viſa & contrectata vulnera, calculo obſignatum; teſte Ribadeneira in vitâ eiuſdem ſancti. Verùm ſolos hâc de re diffitentes & dubitantes (quæ dubitatio eſt quædam ſpecies diffitentiæ) Hæreticos quid inducis, niſi velis cuiuſque Ordinis viros Catholicos, Clericos, Religioſos, ipſoſque denique Summos Pontifices, ſacrilego ore inſimulare hæreſeos, quos de Stigmatibus D. Franciſci dubitabundos adducit in Legenda maiori D. Bonauentura? Clericus, inquit, nomine Rogerius, vir honorabilis & Eccleſiæ maioris Canonicus, apud Potentiam Apuliæ ciuitatem, videns in Eccleſiâ imaginem D. Franciſci depictam, glorioſa Stigmata repræſentantem, cœpit de illius ſublimitate miraculi, tanquam de re omninò inſolitâ & impoſſibili, dubitare. Hæc dubitatio ſtatim caſtigata plagatione manus ſuæ velut ſpiculo confoſſæ; ſed *incredulitate protectâ, ſanationem mentis, ſanatio ſequitur corporalis.* Subditque idem Seraphicus Doctor, de quodam Minoritâ, celebri Concionatore, virtutis ac famæ prærogatiuâ præcellente, qui dum humano ſenſu huiuſmodi miraculi de Stigmatibus, apud ſe rationem perquireret, dubitationis cœpit cuiuſdam ſcrupulo titillari, quâ in dies excreſcente, nocte dormienti S. Franciſcus pedibus lutulentus apparuit, obiurganſque eum, ait; Remoue lutum à pedibus meis & cognoſce loca clauorum: Remouit ille, cognouit, *Procacitas.*

& viſus eſt ſibi, manibus loca clauorum contrectare. Ille-ne Minorita Hæreticus, quia dubius & hæſitans?

Imò ipſe Gregorius IX. quem Tu aſſertorem profers, dubitauit priùs. Vnde, inquit idem Bonauentura, nocte quadam B. ei Franciſcus, prætensâ aliquâ faciei duritie in ſomnis apparuit, & hæſitationem cordis eius redarguens, eleuauit brachium dextrum, detexit vulnus, obtulitque, vt ſibi videbatur, Pontifex phialam poſtulatam, quæ vſque ad ſummum ſanguine profluente de latere videbatur impleri. Et ex tunc ad illud ſacrum miraculum tantâ cœpit deuotione affici & æmulatione feruere, vt nullo modo pati poſſet, quod aliquis præfulgentia illa ſigna, ſuperbâ præſumeret impugnatione fuſcare, quin eum ſeuerâ increpatione feriret. Quibus clarè innuit poſt hanc Gregorij viſionem, Stigmatum comprobatricem, exſtitiſſe qui ea non ſolâ dubitatione, non ſolâ diffitentiâ, ſed etiam audaci aſſultu impugnarent, eoſque viros aliunde Catholicos, vt potè quibuſcum ageret Pontifex, ſeuerâ increpatione feriendos. Cæſpitas itaque turpiter ipſo primo greſſu, Pſeudo-Petre, dum hæreſeos fuliginem reſpergens in omnes de Stigmatibus D. Franciſci dubios, diffitentes, & impugnantes; viros Orthodoxos, Canonicos, Minoritas, ipſoſque Supremos Pontifices, hæreticos pronuntias. Siccinè palpas eos, vt poſteà tam contumelioſè dehoneſtes? *Calumnia.*

Cæterùm ſi ipſos non audes hæreſi ſupponere, iterato mendacio ac fœcundo lapſu cæſpitas, ruis, volutaris in cœno. Falſum enim erit quod ſcribis, ſolum inter Catholicos F. Euechardum Cyriacum, Opaniæ in Morauia, pro Concione, hoc decus S. Franciſci tanquam commentitium & inter Quæſtuariorum artificia recenſuiſſe; & conſequenter ſolum in hoc offendiculum impegiſſe, cum tot Catholicos præduces dubitabundos habuerit? Auenione commorans, audiſti virum in Morauiâ concionantem, vltra trecentas leucas? Rectè præmonueram, oblongas tibi ineſſe aures, molendini Vallis-Clauſæ vſibus ſeruienti, cum ab oris Poloniæ ad Rhodani ripam, vox Concionatoris peruenerit. Fratelle, non diſpliceat Tibi, puerilibus Deſpauterii regulis innutrito, ſi depræhenſam in Te toties fingendi effrænem licentiam caſtigandamque pruriginem; hac eiuſdem Deſpauterii lege mendacem compeſcamus, dum chimericas obtrudis Offucias; *Sine teſte*, inquit, *Impoſtura.*

nihil volo tale; firmetque grauis Scriptorum authoritas, quod Authoris mendoſa loquacitas infirmat & euertit. Quid opus erat compingendo mendacio, totam Galliam & Germaniam ficto volatu pertranſire, cum poſſes pari facilitate mentiri Te ſimile quid audiuiſſe à Cyriaco concionante Cabillione, Valli-Clauſæ contermina, aut parùm diſtante. Hoc licèt falſum, attamen veriſimilius; quàm Te Opaniam tranſuolaſſe, vt inde fabellam illam deferres in Galliam. Niſi fortè, ſicut è puteo abyſſi erumpentes locuſtæ, Apoc. 9. vaſtos aëris tramites pernici tranſiliere volatu, ſic Tu per rimulàs Vallis-Clauſæ è fonte eius exiliens, velut locuſta feralis, interiecta ſpatia breui citatoque conamine peruaſeris: neque enim parum Te ad hoc iuuit, Tui vacuitas cerebelli, ventoſum caput, & innata mentis leuitas. Hic deſideratur Petri Prudentia, non minùs quàm Conſcientia ac Religio.

Sed licèt daremus tibi gratuitâ indulgentiâ, vnum vel alterum Cyriacum de Stigmatibus D. Franciſci dubitaſſe, quid tum; cùm innumeri Minoritæ poſt toſt Pontificum oracula comprobantium Stigmata S. Catharinæ Senenſis, Virginis Cyriacæ, ea verbo & ſcripto impugnarint? Nec Stigmatum veritati aut Sanctorum gloriæ officit hæc diffitentium aut dubitantium hæſitatio; cùm nec ipſi Chriſto poſt patrata diuina & miraculoſa opera, ſe aliqui ex ſuis crederent: ait enim Euangeliſta, *nec adhuc credebant ſe ei*: dubitauitque ante Tactum Thomas de Domini Reſurrectione, relinquens varios ſui ſequaces circa impreſſionem ſacrorum Vulnerum factam aliis, quam velut rem piam, non autem tanquam de fide credendam Eccleſiæ propoſuerunt Pontifices. Vt autem agnoſcat Lector, quis fuerit Eüchardi, qualiſque ſit vniuerſi Ordinis Prædicatorij ſenſus, erga D. Franciſcum & eius Stigmata, placet exſcribere quæ in Capitulo generali Romæ celebrato ſub Reuerendiſſimo P. Ioanne Baptiſta de Matinis, Generali Ordinis Magiſtro conſtituta fuere, an. 1650. 5. Iunii. [Primò, ad fouendam augendamque auitam, quæ ſanctiſſimis Patriarchis noſtris, Franciſco & Dominico, inter ipſa Ordinum cunabula filiis vtrimque inuiſcerata, atque hactenus culta fuit, mutuæ charitatis, & obſeruantiæ, neceſſitudinem; Ordinamus quod feſtum Seraphici Patris noſtri Franciſci cum Octauâ de Memoriâ, quæ in duplicibus &

ſuprâ, nec in Octauis ſolemnibus poſſit intermitti. Item Feſtum impreſſionis ſacrorum Stigmatum eiuſdem. 17. Septembris.] Dubitant de Stigmatibus S. Franciſci, Cyriaci?

Impoſtua. Quod autem ſubdis de Eymerico Fidei Quæſitore improbante ſenſum accommodatitium illius loci Apocalypſis, *Vidi Angelum aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei viui*, factum D. Franciſco, falleris & fallis: non accommodatitium vt garris, improbauit ille ſenſum ſed literalem, & in homine damnato à ſede Pontificia, vt teſtatur Spondanus his verbis

An. 1325. n. 6 [Hoc item anno, Ioannes XXII. Pontifex *poſtillas* quaſdam *Petri Ioannis de Serignano* Ordinis .... (reuerentiæ cauſa taceo) Profeſſoris, de quo ſuperius, in Euangelium Matthei, Epiſtolas Canonicas & Apocalypſim, ex quibus fomentum non modicum ſumebant Sectarii, qui ſe *pauperes de tertio Ordine S. Franciſci* appellabant; damnauit & igni adiudicauit, quod refertæ eſſent hæreſibus & blaſphemiis; quarum viginti duo capita Eymericus in ſuo Directorio collegit, quæ ad hæc in Summâ referuntur; vt voluerit impius Fraterculus Babylonicam Meretricem intelligi Eccleſiam Romanam: Myſticum Anti-Chriſtum eſſe Romanum Pontificem: Beatum Franciſcum eſſe Angelum illum qui dicitur in Apocalypſi habuiſſe ſignum Dei viui, eiuſque Regulam eſſe verè & propriè illam Euangelicam, quam Chriſtus in ſemetipſo ſeruauit, & Apoſtolis impoſuit: perfectum ſtatum Eccleſiæ cœpiſſe à tempore eiuſdem Beati Franciſci. Vides Petre, quam facilè Impoſturæ Tuæ in caput Authoris retundantur.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Duplici Calumniâ probat Combefiſium iniuriam inuſiſſe Pontificibus.

§. 26. *INter inhonorationes Pontificum Romanorum, ea debet cenſeri palmaris, quâ hæreſis labes illis affricatur; à quâ extra dubium eſſe debet, illos prout Pontifices, ſemper abſuiſſe quam longiſſimè. Imò aliqui Doctores Catholici, ex ſpeciali Dei prouidentiâ factum eſſe aſſeruerunt, vt nullus vnquam Romanus*

manus Pontifex, etiam vt priuata perſona, in Fidem Catholicam peccaret. Ita Albertus Pighius l. 4. Eccleſ. Hierarch. c. 8. Bellarminus l. 4. de Pontifice c. 6. Suares tract. de Fide diſp. 10. ſect. 6. num. 11. Et eſt pia ſententia, ac propter ſtudium honoris Pontificum Chriſti vicariorum collaudanda. At F. Franciſcus Combefis in Commentario pro actis 6. Synodi c. 2. §. 3. in hanc pietatem, ab Agathone Papa non obſcurè inſinuatam, late concitatur, certus haud erraſſe cenſuram, quæ id inſimulauit erroris. Nititur verò præcipuè, exemplis Liberij quem ait à Fide defeciſſe, & fractum Conſtantis (imò Conſtantij) tyrannide, euaſiſſe Arianum: nec non Marcellini, qui abiectâ Chriſtianitate, in Idolomaniam impiiſſimè eſt prolapſus. Pro Honorij autem primi damnatione ob hæreſim, ſudat & alget hic Frater tractatu intregro, vlturus Manes Caninos, à Baronio occaſione Honorij malè (vt vult) violatos.

Hæc tamen crambe recocta, toties iàm à Doctiſſimis Catholicis reiecta eſt vt mirum ſit eam iteratò reponi. Quamuis enim non ſit certum, Pontificem non modo vt publicam perſonam, (de quo nemo Catholicus ambigit) ſed etiam vt priuatam perſonam, eſſe indefectibilem, vt Hieronymus à Rua Controu. 3. Schol. Et Duuallius tract. de Pontifice p. 2. q. 1. aliique tradiderunt; tamen nihil eſt quod validè impugnet eam piam aſſertionem: eique inurere notam erroris, proiecta eſt audaciæ; & exempla quæ proferuntur, non probant intentum. Nam Liberium à Fide defeciſſe, & factum eſſe Arianum, pinguis calumnia eſt, quam benè depellunt Baron. anno 367. & recurſus anno 367. Ac ex variis Coccius tom. 1. l. 7. art. 11. Marcellinum verò à Donatiſtis fuiſſe per calumniam, accuſatum lapſus in Idololatriam, rectè coniecere Baron. anno 302. & Bellarm. in recognitione l. 4. de Pontif. c. 8. Honorium quem Combefiſius contendit pro Hæretico damnatum, purgarunt iam olim, Ioannes IV. qui ei, altero ad paucos duntaxat menſes interpoſito, ſucceſſit; itemque S. Maximus Monachus & Martyr. Ex recentioribus autem Hoſius l. 2. contra Brent. Bellarm. l. 4. de Pontif. c. 11. Duuallius tract. de Pontif. p. 2. q. 4. Andr. Schotus ad Cod. 19. Photii 1. Baron. anno 633 & 681. Et ex Variis Coccius tom. 1. l. 7. art. 13. quibus (præſertim Ioanni Pontifici) plus credendum eſt, quàm Cano 6. de Locis cap. vltimo implacabiliter infenſo Pontifici Honorio, ob contractam labem Monotheliſmi; & Combefiſio Cani accenſo. Excuſationes verò Ioannis IV. & S. Maximi pro Honorio, tan-

quam leues, & ad depellendam ab Honorio *labem inſufficientes, depellit Combefiſius in Tractatione pro Actis 6. Synodi cap. 2 §. 3. & rurſus c. 3. §. 3. ad finem. Contendit enim duos illos Honorii excuſatores, locutos tantum eſſe ex fide hominis ſcribæ, qui Epiſtolam* Honorii *exarauerat; & verbis Epiſtolæ ſenſum Catholicum ex mente* Honorii *ſubiiciebat. Hoc pro leuiculo habet Cyriacus Honorii criminator, malens Cani ſui imaginationibus inhærere, & Græcorum Sedis Apoſtolicæ hoſtium impoſturis, quàm honori vnius Romani Pontificis perfidè ac calumniosègrauati, conſulere, prout retectis dolis & malis artibus Græcorum, validè fecerunt Bell.rminus, atque Baronius, de cuius laceratione per hanc Cani optionem, poſteà.*

RESPONSIO.

ITanè Te innoxium fore putas, ſi querimonias reflexo ictu in caput tuum meritò refundendas, prior occupes, & iniuriam Pontificibus fieri à Cyriacis, vniuerſum orbem attritâ fronte conteſteris, quæ à Te nocentiſſimo & contumaciſſimo, fidenter incutitur? Neſcis iſtum profligatiſſimorum quorumque mortalium eſſe morem, vt criminibus quibus deiectiores & humiliores debuerant euadere, multò procaciùs ſuperbiant: nihil enim adeò frontem durat, quàm inultum crimen, dum à reo in inſontem fraudulentâ, ſed fælici ſolertiâ, retunditur. Conuenio nunc tecùm, Petre, vt aſperiùs à Te diſſideam, tuoque Te telo configam. *Inter inhonorationes Pontificum Romanorum, ea, inquis, debet cenſeri palmaris: (ſic ſe ruſtica progenies explicat) quâ hæreſis labes illis affricatur.* Atqui Pſeudo-Petrus, vt in præcedenti Paragrapho euictum eſt, Gregorium IX. Hæreſis labe Aſperſit, vt pote dubitantem de Stigmati-
Irreligio. bus D. Franciſci; cùm iuxta eum, ſoli Hæretici dubitent ac diffiteantur. Nemo ergo inhonoratiùs Petro, Romanos Pontifices excepit. Ambæ argumenti præmiſſæ tuæ ſunt, conſecutio neceſſaria. Ad hoc ergò querimonias læſæ, ac *palmariter* inhonoratæ Pontificiæ dignitatis prior occuparas, vt crimen Cyriacis impingeres, cuius iam reus tenebaris?

Nec fœlicior Te manet euentus, dum Combefiſium inducis concitatum in pietatem Agathonis Papæ, qui in Epiſtolâ ſuâ confirmat quod aliqui Doctores Catholici ex

ſpeciali Dei gratia factum aſſeruere, vt nullus vnquam Romanus Pontifex, etiam vt priuata perſona, in fidem Catholicam peccaret. Vt autem hanc à Combeſio impactam Pontificibus iniuriam probes, mirè Te torques;& vt Lectores obtundas importunâ citationum & rerum planè inutilium, aut idem recantantium mole; integras adiaphoris & futilibus pagellas opples, quaſi ſub offuſis tenebris latitaturus. O perditam innocentiam, tot ineptiarum ac captionum indigam! Fugis, miſerrime, nec aliud agis tot compaginando inutilia & implexa, niſi vt Te ex laqueo manifeſtæ calumniæ quoquo modo extricare videaris. Videant ergo omnes, an Combefiſius in Agathonem ſuperciliosâ fronte concitetur; an verò, ſupremo Pontifici venerabundus ſubſcribat. Refert ille Agathonem in Epiſtolâ ſuâ ſic effatum: *væ enim mihi erit, ſi veritatem Domini mei, quam illi* (Pontifices eius deceſſores) *ſynceriter prædicauerunt, prædicare neglexero* Dixerat autem paulò ante, *Eccleſia Chriſti à tramite Apoſtolicæ Traditionis nunquam erraſſe probabitur, nec hæreticis nouitatibus deprauata ſuccubuit.* Ex quibus Baronius infert: *Vides, Lector, quam libere aſſerat, ac fortiter inculcet, firmiterque aſſeueret Sanctiſſimus Agatho Papa, nullâ hæreticæ ſuſpicionis labe, hactenùs aſperſam fuiſſe Apoſtolicam Sedem.* Quid ad hæc Combefiſius? Agathonis ſententiam amplectitur, improbat autem tantùm conſecutionem Baronii inde deductam: ſtatim enim Pontificis mentem ſecutus, ſubdit; [Id ipſe libens dederim, abſitque vt aliter ſentiam vnquam; nullâ nempe hæreticæ ſuſpicionis labe aſperſam fuiſſe Apoſtolicam Sedem.] Ergonè concitatur in Agathonem, in cuius ſententiam libens deuolat, nec ſe vnquam ab hac mente & ſenſu fore diuellendum proteſtatur? *Calumnia.*

Subiungit autem, non iam de fide interiori Pontificum, ſed de externâ Fidei confeſſione acturus; nullum prædeceſſorem Agathonis defeciſſe à Catholicæ pietatis aſſertione ac defenſione [*Nego*, inquit, *litteris Agathonis expreſſum, aut vllo modo in eis à Baronio oſtenſum. Aſſerit Albertus Pighius, ſed negant Docti quique vt & aliqui erroris inſimulent, nec certè errante cenſurâ.*] Hoc eſt, non errant à vero, qui dicunt Pighium erraſſe contra hiſtoriam Pontificum, quorum nullum quidem conſtat à Fide interiori defeciſſe, licèt ſecundùm aliquos, à profeſſione & defenſio-

ne exteriori fidei quidam defecerint: quod iuxta illos, probat exemplis Marcellini & Liberii. Non autem ait Combefiſius, vt malicioſè illi imponis, *Liberium à fide defeciſſe & fractum Conſtantii tyrannide euaſiſſe Arianum*; ſed peccaſſe contra profeſſionem exteriorem fidei, ſubſcribendo depoſitioni Athanaſii inuicti Fidei defenſoris. Vnde ſubdit Bellarminus. *Athanaſius & Hieronymus apertè dicunt, cum tædio Exilii inflexum tandem fuiſſe ad ſubſcriptionem hæreſeos. Quibus addi poteſt Hilarius. Hac ſententia mihi verior videtur. Non fuit hæreticus, ſed ſolùm peccauit actu externo, vt Sanctus Marcellinus.* De quo nec etiam dicit Combefiſius, *abiecta Chriſtianitate in idolomaniam turpiſſimè eſſe prolapſum*, vt tu calumniaris; ſed retenta interiori Fide, Thus Idolis adoleuiſſe. Vnde in margine hæc habet notanda. *Defecit Marcellinus ab aſſertione & defenſione Catholicæ pietatis, item Liberius, quicquid ſit de ipſa Fide.* Et in contextu litteræ ſic reſumit, quæ ante dixerat, & quæ ſciolus noſter ſub larua ineptiens, nequiuit diſtinguere. Ergò non defecit etiam Marcellinus, adoleſque Idolis tandem, pietatem Catholicam aſſeruit atque deffendit? Idem dicit de Liberio: Conteſtatus ſemper, Pontifices non defeciſſe à Fide interiori, ſed ab exteriori aſſertione aliquos. Quod & Bellarminus iam laudatus ſentit de Liberio & Marcellino. Vnde, inquit, *Marcellinus ſacrificauit? At Marcellinus nec fuit hæreticus nec docuit contra fidem, nec infidelis niſi actu externo ob metum mortis.* Quo eodem ſenſu venit intelligendus Combefiſius, dum vnum ex his duobus dixit fuiſſe deuium à fide; intelligitur, actu externo, non interiori aſſenſu. Quantum ad Honorium, res problematica inter Authores, vtrum integra an vitiata ſint Acta ſextæ Synodi; quibus cauſa deciditur. Doctores, Concilia, Pontifices pro vtraque parte afferuntur, quos videre eſt apud Bellarminum de Rom. Pontifice. Tot vtrinque antiquitùs ac nuperrimè ventilata ſcripta, vt nec habeat Combefiſius recinendi cauſam, nec Pſeudo-Petrus eiulandi; licèt ex hoc vnico Paragrapho nullius planè iudicij, infimæ literaturæ, dupliciſque calumniæ conuictus teneatur. Deſideratur in eo prudentia, dum velut alter araneus propriis ſe telis intricat & inuoluit: Inſcitia proditur, qui neſciat interiorem fidei aſſenſum ab externa aſſertione ſeponere; & vbique mendax & contumelioſus deprehẽdatur.

Impoſtura. — *L. 4. de pont. c. 9.* — *Calumnia.* — *C. 8.* — *Inſcitia.*

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Perperam arguit Ptolomeum Lucenſem de læſo Bonifacio VIII.

§. 27.

Bonifacium VIII. multipliciter inhonoratum conſtat: ſed à nullo atrociùs dehoneſtatus eſt, quam a Ptolomeo Lucenſi Ordinis Prædicatorũ eidem affingente hæreſim. Ait enim Bonifacium ſcripſiſſe litteras ad Regem Franciæ, quibus eſſe ſe Dominum omnium & temporalium & ſpiritualium affirmabat, & contrarium tenere, iudicabat hæreticum. At aſſerere, negantes dominium vniuerſale Pontificis in temporalia, eſſe hæreticos, ſordet errore manifeſto: cui nec ipſi Pontifices adſcribuntur. Debuit ergò Cyriacus iſte, non adeò bibulas aures præbere vulgi rumoribus, apud quos is ſenſus, de verè tranſmiſſis à Bonifacio literis illis, quas tanquam Bonifacii retulit Ptolomeus, inualuit malignitate Petri de Flotte, ſatoris Zizaniorum inter Pontificem ac Regem; & fabri Epiſtolæ illius, quæ Regem ad extrema quaque adduxiſſe dicitur. Videndus Spondanus anno Christi 1301. num. 11.

RESPONSIO.

Qvereris & doles ſub laruâ latens, quod Te præcedens articulus reum comprobauerit infuſcatæ hæreſi Sedis Apoſtolicæ; & puerorum more, qui flagro excepti, pœnam extendere ſatagunt, vt molliat, leniatque dolorem, numeroſa vapulantium cohors: credis dilutam reatûs Tui labem, alteri ſi impingas; hâc arte, vt ſi nequeas probare innocentiam, ſaltem ex ſocietate complicis, dedecus minuas quod non potes purgare. Verùm in quo peccauit Ptolomeus Lucenſis (cuius locum tacuiſti ne exploretur) ſi hiſtoriam texens; attulit teſtimonia, non patulo vulgi ore circumlata, ſed apud celebriores Bibliothecas, & Scriptorum fide digniorum, authoritate conſignata? Teſtatur ipſe Spondanus ad quem remittis Lectorem, exſtare adhuc in Bibliothecâ Victorinâ percelebri, ſimul cum prolixa Bonifacii VIII. Epiſtolâ ad Philippum IV. Galliæ Regem; aliam breuiorem eodem die datam Laterani 9. De- An. 1301. n. 11.

cembris 1301. eademmet quæ à Te ex Ptolomeo recitantur, continentem. Ioannes etiam Villanius Florentinus nobilis, eiuſdem æui Scriptor, qui, vt ait Duplexæus in Philippo, refert quæ vidit, tradit miſſam ad prædictum Regem, non ſimplicem Epiſtolam, ſed Diploma ſeu Bullam, quâ ſibi regnum Galliæ in temporalibus & ſpiritualibus ſuppoſitum declarabat, pronunciato hæretico qui contrarium ſentiret, cuius Diplomatis ſeruatur exemplar in Theſauro Galliæ, ſeu in Archiuis, vbi originalia Regni inſtrumenta aſſeruantur, teſte eodem Duplexæo. Hæc tot monumentis publicis, tam manuſcriptis, quàm prælo exaratis conſignata, Ptolomeus ſi exſcripſit & hiſtorico candore retulit, quid peccauit? Hæreſim, inquis, affinxit Pontifici. Vnde? Ex nuda relatione eorum quæ manuſcriptâ Epiſtolâ, publicâque Hiſtoriographi mentione vulgata, vera apud omnes habebantur, nec dum quis Scriptor reclamarat? Ridicula conſecutio! Nondum conſtabat venenoſa Epiſtolæ adulteratio, ingeſta à Petro Flotta, qui vt putat nec probat Spondanus, longiorem Pontificis Epiſtolam decurtarat, immiſſis de ſuo, quæ amariorem Regis animum efficerent in Bonifacium, quæue cenſuræ poſſunt ſupponi. Nondum ſcripſerat Spondanus, qui primus hanc deprauationem aduertit: nondum decurtatio aut corruptio innotuerant. Nec ſe obſidem dat Ptolomeus rerum quas ſcribit, nititur enim fide alienâ, vt ſolent Hiſtoriographi; exhibet autem ſe aſſertorem relationum quas adducit, quæ licet in ſe vitiatæ forent, vitii tamen latentis nullum adhuc iniecerant ſcrupulum aut ſpecimen.

Ad Te redeo Petre, purga Te ſi potes. Dum Diatriba prima §.7. intonuiſti Cyriacos omnes Smolenchinos cùm Moſchus eam ciuitatem victor occupauit, abiiſſe in Anabaptiſmum, eiuratâ priùs Fide Catholicâ & Romanâ. Dum hæc ſcriberes affinxiſtinè hæreſim Cyriacis Smolenchinis quos conſtat nuſquam vel tantillum à Fide Romanâ diuulſos? Neutiquam, inquies, quia ego tantùm retuli contextum Epiſtolæ Varſauiâ ad me miſſæ, hæc exponentis. At falſis & contumelioſis conferta erat illa Epiſtola. Quid tum? de falſitate non conſtabat mihi: Obſes ſum tranſmiſſionis Epiſtolæ, non rerum quas intimat Epiſtola. Hiſtoriographi fides Hypothetica eſt, nullum decipit ſi non decipitur: ſi fallit, priùs fallitur ipſe, fide nixus,

imò ſubuerſus fraude alienà. Res deſcribit non quales ſunt, ſed quales ipſi referuntur vel ſcripto, à prudentibus & fidedignis; & cum teſtes exhibet quos citat, ſuas abundè impleuit partes. Bellè expiatum crimen ſi ſic purgares: ſed teneris adhuc reus, quia Epiſtolam citas fictitiam, nulli notam niſi Tibi At Ptolomeus Cyriacus Epiſtolium refert, cuius ſe teſtem exhibet Spondanus; oſtenditurque adhuc in Victorinâ Bibliothecâ, & habet ſcriptionis ſuæ aſſertorem Villanium. Hâc lege, intemerata manet Bellarmineæ citationis religio, dum vt demonſtrabitur ſequenti paragrapho, purgatis ab eâdem calumniâ Mariana Scoro, ac Sigeberto, primum ſtatuit exſolui de Ioanna Papiſſa commenti artificem Martinum Polonum, apud quem nec verbulum nec apex de putidâ hâc fabulâ; quia ſcripſit Bellarminus iuxta exemplar eiuſdem Martini impreſſum, quod genuinum credidit, nec adulteratum, non agnitâ nec olfactâ deprauatione impactâ à Typographo Hæretico, quam ipsâ luce euidentiorem exhibent, præter alios, Binnius & Spondanus & ego ſtatim ſubiiciam.

Non ergò culpandus venis, Pſeudo-Petre, bibulas aures præbuiſſe vulgi rumoribus, dum emiſiſti in publicam lucem, fabellam Anabaptiſmi Smolenchinorum Cyriacorum; neque, iuxta Epiſtolam ad Te vt dicis, Varſauiâ miſſam, hæc propalaſſe; quia ſi vera, publica erant, nec niſi ex charitate tacenda. Sed meritò caſtigandus, quod inualeſcente vltrà malignitatem Petri de Flotte, rabie tua; ſatorque Zizaniorum inter Pontifices & Cyriacos, bibulas populi aures falſis oppleueris hâc de re rumoribus, commentus Epiſtolam ſpurciſſimæ huius fabulæ ac atrocis calumniæ opificem; vt de virulento pectore, recocta in Prædicatorium Ordinem venena vno flatu poſſes explodere. Diſce itaque, non Ptolomeum Lucenſem iniurium eſſe Pontificibus, ſed blateronem laruatum, dum contra præſcriptum Clementis V. qui querelas inter Bonifacium & Philippum motas, ſilentio tumularat, teſte Spondano, puniendâ temeritate ventilare ac refricare auſus es; Nec erubuiſti, quâ manu aſſerebas Pontificum innocentiam, veteratorio & adulanti ſtratagemate; eadem Pontificum temerare maieſtatem, profano ac effronti aſſultu inſiliens.

Impoſtur. *Ibidem 8.* *Contumacia.*

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Calumnioſè inducit Martinum Polonum auctorem fabulæ Ioannis Papiſſæ.

§. 25. *Hæretici ad Pontificum ſubſannationem vix aliquid crebriùs ructant, quàm narrationem de Ioanna Papiſſa; qua cùm eſſet ſexu fœmina, virum tamen ementiens, in Pontificem electa eſt, quaſi Eunuchus eſſet, vt glabra facies præſeferebat; ſed ex turpi commercio vterum gerens, cum è Vaticano Palatio procederet ſolemniter ad Eccleſiam Lateranenſem, in via quadam per quam nullus deinceps Pontificum tranſiit, omnibus horrore infauſti euentûs perculſis, vterum exonerauit, magno cum dedecore Pontificatûs; cui in poſterum præcauendo conſtitutum eſt, vt nemo eligeretur Pontifex, quin priùs inſidentis ſellæ ſtercorariæ, ſexus exploraretur. Primus orbi has merces intulit Martinus Polonus Ord. Prædicatorum, vt benè ſtatuit Trithemius l. de Scriptor. Sed eſt propudium fabula adeò malè materiatum, vt vix poſſit aliquid fingi abſurdius: quod valide euincunt Onuphrius in Additionibus ad Platinam cùm de Ioanne 8. Florimundus Remondus iuſto Opuſc. Turrianus l. 3. de Dogmat. Charact. Et l. 2. de Eccleſ. Et ordinat. Miniſtror. Bellarminus l. 3. de Pontif. c. vltimo, & ex multis Coccius Tomo 1. Theſauri l. 7. art. 14. Et quamquam hoc commentum ſit Pontificibus probroſum; proptereaque ante paucos annos, vix alia fabula crebriùs ab Hæreticis inſonaret; tamen nuperrimè vnus inter Sectarios diuini verbi minimè diluti, ſed puri, propola, euulgato de hac re commentario, dedocuit ſuos errorem; vt deinceps, Romanos Pontifices aliis telis impeterent, & hoc vaniloquio abſtinerent, omni ope contendit: nauus extirpator Aconiti, quod in horto Cyriacorum aduerſus honorem Pontificum ſuccreuit.*

RESPONSIO.

Hæretici ad Pontificum ſubſannationem vix aliquid crebriùs ructant, quàm narrationem de Ioanna Papiſſa, nec aptiorem inuenere calamum quam Petri à Valle-Clauſâ, ad recantandum *propudium fabulæ adeò malè materiatum*

(vt Tecùm materiatè & groſsè loquar) & ſputcâ impudicarum notionum illuuie compactum ac fœtens. Laruatę ſenex, vbi pudor? vbi rubor? vbi religio? Numquid non ſatiſnotum, infame illud figmentum, niſi à Te ventiletur, recantetur, ac retracto velo, omnium oculis obtrudatur? Numquid non ad Martini Poloni vltimum & inexpiabile dedecus, ſat erat ipſum infandi huius Commenti fabrum, ſi poſſes, euincere, non deſcriptâ tamen facie fabuloſæ meretricis: non euentilato iterùm turpi commercio: non exhibito Lectorum oculis, intumeſcentis vteri fœdo apparatu: non expoſita pellice, Pontificali Thiarâ redimitâ, vterum publicè exonerante: non oblatâ ſellâ ſtercorariâ & perfotatâ, per quam deinceps præcauendo pari errori, cernente populo & circumſtante Clero Romano, vt ais, Pontificis electi ſexus exploratur? Quis horrendæ huius fabuloſæ narrationis primus author extiterit, ſtatim excutietur; Interim conſtat teſte Bellarmino, Centuriatores Magdeburgenſes, viros hæreticos, totius huius figmenti ſcenam inſtruxiſſe, fabricatoſque apparatum in vltimam Romanæ Eccleſiæ dehoneſtationem. Confinxere, inquam, Pſeudo-Pontificem grauidam, ſolemniter procedentem ad Eccleſiam Lateranenſem, enixam in viâ coram omnibus, ipſiſque cernentibus partum effuſum; hocque errore ac propudio in poſterum vitando, explorandum per ſellam perforatam Electi ſexum; vt ex tot rerum ac euentuum ſolerti contextu, publicoque conſenſu, faciliorem fabula viam inueniret. Harum omnium circumſtātiarum doloſus fœtenſque apparatus Magdeburgenſibus meritò adſcriptus, non alium euentilatorem ac propolam obtinuit quam Pſeudo-Petrum, virum vt dicunt Chriſtianum, Catholicum; altaribus mancipatum. Hic hæreo pendulus, hic ſiſto, ne grauiori titulo, extra ipſos Religionis limites, tam fœda propalantis crimen exundet. Saltem verba eius hæreticum redolent aut hæreticis contubernalem, cùm irreligioſâ manu *hoc commentum Pontificibus probroſum*, reſpergat: *proptereaque ante paucos annos vix alia fabula crebriùs ab hæreticis inſonaret*, ſicut à Te nunc inſonat: imò Te ipſo atteſtante: *dum nuperrimè vnus inter Sectarios, Diuini verbi minimè diluti, ſed puri, propola* (timet dicere Caluiniſtam ne amicum vellicet) *euulgato hâc de re Commentario* (cui religioſiùs quam

Procacitas.

Obſcænitas.

L. 3. de Rom. Pont. c. 24.

Euangelio attendis),*dedocuit ſuos hunc errorem, aliiſque Te lis Pontifices impetendos*. Dum inquam eradicat ille Sectarius, & Iuxta Te, *nauus extirpator Aconiti, quod in horto Cyriacorum* (vt mentiris) *aduerſus honorem Pontificum ſuccreuit*; Tu Aconitum replantare ſatagis: Dumque ille ſpongiâ delet omne fabellæ Pontificibus iniurioſæ ſpecimen, quò memoria euaneſcat: Tu exaras iterùm, refricas, inculcas & nouis coloribus effulgens, oculis omnium obtrudis, ne lateat; hoc tantùm animo, vt Ordinem Prædicatorium, quem veri reatus inſimulare non vales,confiĉto hoc ſpurciſſimo omnium commento, adieĉtoque infando omnis ſpurcitiei apparatu, conſpurces.

Irreligio.

Nunc ad rem veniamus. Quis primus huius fabulæ architectus? Tres obtenduntur ridiculi Commenti artifices: Marianus Scotus, Sigebertus Germanus, & Martinus Polonus, rei hiſtoricæ ſcriptores, ſibique longis ſat interuallis inuicem ſuccedentes. Marianus ducentis & plus annis ſcripſit poſt Leonem IV. cuius Pſeudo-Pontifex Ioanna, dicitur occupaſſe Thronum nullo interiecto, putà an. 853. Baronius Author celeberrimus, cui nec parem dabis in hiſtoriâ Eccleſiaſticâ, primum ſtatuit huius Fabulæ artificem Marianum Scotum, qui ducentis annis ſuperior fuit Martino Polono. Celeberrimum hunc Cardinalem de Eccleſiâ & Pontificibus adeò benemeritum, Petre, non recuſabis, vt puto, ipſoque iudice protritæ calumniæ conuinceris; dum Te non puduit ſcribere, quòd primus orbi has merces (fabulam Ioannæ Papiſſæ) intulit Martinus, qui duobus poſt Marianum ſæculis ſuum conſcripſit Chronicon. Quam ergò deluſo orbi dabis pœnam tam perditæ mendacitatis? Qui ridiculâ contentione libros omnes euoluit; quem onerat turba Authorum, non inſtruit: vagus tabellarum exſcriptor, de Hiſtoricis acturus Baronium non legerat, celeberrimum Hiſtoriæ ſacræ conſcriptorem? pro Pontificibus depugnans, illuſtrem Pontificiæ dignitatis aſſertorem non conſuluit, imò nec vidit? Intelligo. Ad tantum Authorem non valuit aſſurgere, minutulis Mythologiſque Scriptoribus attentus & intentus.

Calumnia.

Secundus a Mariano Scoto, inſimulatur infandi huius Figmenti, Sigebertus Chronologus, vir Germanus & Schiſmaticus author, vt videre eſt apud Bellarminum loco iam adducto; qui & hanc ab eo infamiam amolitur, re-

fertque Binnius in Leone IV. exſtare adhuc in Monaſterio Gemblacenſi, in quo meruit Sigebertus profeſſione Monachus, antiquiſſimum exemplar manuſcriptum quod creditur ipſius Authographum; teſtaturque à ſe viſum Molanus Louanienſis Doctor, vbi nulla prorſus Ioannis, ſeu Ioannæ Pontificis mentio. Pari fœlicitate in antiquiſſimis Mariani Scoti exemplaribus non haberi fabuloſam illam Pſeudo-Papiſſam, aſſerit ille qui Metropolim Alberti Krantii edidit Coloniæ an. 1574.

Tertius denique huic calumniæ ſuppoſitus, eſt Martinus Polonus. Illum fœdo lapſu Poſſeuinus Ciſtercienſem putat, quem vt ſimiles, inquit Trithemius, aut ignorantia rerum offuſcauit, aut liuor: alii Benedictinum dicunt apud eumdem Trithemium; veritas autem Dominicanum exhibet ſub an. 1086. Hunc illi Næuum inuſſit bonâ quidem fide, ſed inaccurata diſquiſitione Bellarminus; cum enim antiqua Mariani & Sigeberti manuſcripta, huius modi figmenti pura probaſſet, rumori tamen vulgi ceſſit, illud in Martinum detorquentis, aut veriùs, ſcriptis eius impreſſis, ſed corruptis. *Martinum* enim, ait Binnius iam laudatus, *hac fabulâ adauxit Berauldus Baſilienſis Typographus* (audi Petre.) *Ex cuius Prælo an.* 1550. *in lucem prodiit: Exſtant enim, Suffrido Petri & Ioſia Sunlero atteſtantibus, plurima manuſcripta Exemplaria à quibus hanc, infinitaſque fabulas abeſſe animaduerterunt, quæ in impreſſo Codice reperiuntur.* Ex quibus vnum ſibi conſignatum à R. F. Ioanne Cæſar, cum Editio Conciliorum pene abſolueretur, ad futuræ Editionis fidem, teſtatur idem Binnius. Cui ſuffragatur Ciacconius, in Leone IV. Romæ ante Pontificum oculos ſcribens; nuperrimuſque Spondanus, nota ad Baronium appoſita an. 853, Probat inquit, Chronica ex autographis edita, maximè ex illo Ioannis Cæſar an. 1616. in lucem emiſſo, Martinum Polonum nullam prorſus huius fabulæ mentionem feciſſe, licet ſtolido vulgi rumore, eius aſſertor prædicetur. Te indicat Petre. *Impoſtura.*

Quem ergò in ſuæ ſententiæ, aut potiùs nugacitatis, patrocinium aduocat plectendus ſcurra? Trithemium: Hoc vnico ſe vallo tuetur, vt Dominicanos cruento Marte impetat. Hunc opponit vmbonem depugnantibus pro Martino. Bene eſt: voto eius cedamus. Supremum intentatæ litis Arbitrum ſtatuamus Trithemium, quo è ſupremo ſug- *L. de Scriptor.*

geſtu decernente,aut Martinus aſſertæ fabulæ artifex comprobetur;aut Pſeudo-Petrus deſperatæ calumniæ reus,pœnæ Tallionis ſupponatur, edicto publico, velut Impoſtor profanus & inſanabilis proſcribendus. Attende Lector: Trithemium exſcribo de Martino Polono ſemel tantum verba facientem in l. citato de Scriptor. ſicque effatum, vbi nec apex de Ioanna Papiſſa. *Martinus Ord. Fratrum Prædicatorum, Domini Papæ vrbis Romæ Pœnitentiarius, & poſteà, vt ferunt, cuiuſdam vrbis Epiſcopus; vir in Scripturis ſanctis ſtudioſus & eruditus, & ſecularium literarum non ignarus: in declamandis ad populum ſermonibus, excellentis ingenii fuit. Scripſit quadam præclara Opuſcula, quibus nominis ſui memoriam ad poſteros tranſmiſit. Tabulam decreti, Chronicon ſuccinctum.* Petre, vbi ſermo de Ioanna Pſeudo-Pontifice? vbi ludicræ fabulationis aſſertor Martinus? Siccinè virum Religioſum, Scriptorem ſtrenuum, Romanæ vrbis Pontificum Pœnitentiarium, illuſtrem Epiſcopum, imò Archiepiſcopum Coſentinum, Poloniæ Primatem, Concionatorem eximium, excellentis ingenii virum, poſteritati venerabilem, ipſo quem vnicum adducis, Trithemio teſte, canino dente laceras; contumelioſo rictu impetis, impudoratâ calumniâ conſpurcas? Diſce venerari quem pudenda temeritate *bonum Simplicianum* indigitas ſequenti paragrapho, ſecutus veſtigia eorum, qui trito apud vulgus rumore abrepti, ac deprauatis deluſi exemplaribus, ridendæ ſimplicitatis arguerunt Præſulem inclitæ doctrinæ, & inflexi zeli, ac chriſtiana pietate venerandum. Vnicum tamen Tibi ſupereſt reparandæ iniuriæ ſubſidium: age reatus tui pœnitentiam, qui in Pœnitentiarium peccaſti; aſſuetuſque condonandis delictis Cozentinus Pontifex, eluet multiplex peccatum tuum, æternâ ſilendi, nec vnquam ſcribendi lege, Nebuloni ignaro & effronti impoſitâ.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Imponit Cano arguiſſe Pontifices incuriæ circa impreſſionem Librorum.

Apud ſolidè doctos, & pietatis infermentata ſtudioſos, pro comperto habetur fabulas omnino multas pro Actis Sanctorum obtruſas eſſe: non modo ab hoc Martino Polono, quem Bonum Simplicianum indigitare liceat, ſed etiam à Iacobo de Voragine, & Claudio à Rota Cyriacis, ſimilibuſque concinnatoribus Legendarum aurearum, reuera plumbearum, vt Ludouicus Viues l. 5. de Tradend. Diſcipl. non ſine ſtomacho pronunciauit, & annuit Melchior Canus Ord. Prædicat. non vno loco, ſed nominatim l. 11. de Locis cap. 6. Verùm hic ipſe ſuperciliosus Cenſor, nomine tenùs Canus, *(vt Baronius ad annum 681. num. 31. de eo dixit,) omnem culpam huius dehoneſtationis Sacrorum, in Pontifices refert, dicens,* eorum hâc in parte prudentiam & diligentiam deſiderari. I*taque dormitant, vel etiam altè ſtertunt Pontifices, dum Canus ſolus vigilat; & inimico homine ſuperſeminante Zizania fabularum, pro ſacris hiſtoriis, Sacerdotes, (Iudice quidem Cano) Pontifices, viam muniunt ad abrogationem fidei omnibus ſacris hiſtoriis per cordatos faciendam. Hic ſanè, modeſtia Cani in Pontifices, ac prudentia deſideratur.* §. 29.

RESPONSIO.

Ela Barde: Excute aures, qui vlciſcente depaſtus incendio, crepitantes flammarum globos ore profundis in Ordinem immeritum; Sic dormitas & altè ſtertis, vt non videas præcipiti caſu in Caput Tuum relapſuros? *Apud ſolide Doctos & pietatis infermentata ſtudioſos*, quorum numero nunquam adſcriberis, pro comperto habetur, hoc inceſſanter euinco; & ſupremo duplicis Senatus decreto comprobatum manet, fœdiſſimas & impias fabulas pro Sanctis, nempe Deipara, Thoma Aquinate & Catharina Senenſi dehoneſtandis obtruſas à Te & ingeſtas. Iuſtorum rides ſimplicitatem Politico ac Thraſonico afflatus ſpiritu, carpiſque Ioannem à Voragine Archiepiſcopum Genuen-

ſem, *ſuperciliosè Cenſor*, quia Cyriacum, eo quod inflexâ ad plebeios Chriſto lucrandos charitate, *non ambulans in magnis, neque in mirabilibus ſuper ſe*, vt aſſolent vallis tuæ coloni; non inquam, *in ſublimibus humanæ ſapientiæ verbis*, nec ſubtilioribus Theologiæ conatibus ſeſe librans; ſed popularia populis præſtruens; ſimplicia, faciliora, ſimilitudines, parabolas, & quandoque hiſtorias communi vulgi aſſenſu receptas, licèt non omni ſemper ex parte certa, ſed ad morum ſanctitatem innocuo pondere ſemper inclinantes propinarit, ſicut & Claudius à Rota Lugdunenſis, pariter Cyriacus; & ambo, pari zelo conciones ſic ad animarum ſalutem temperatas, in lucem emittentes, *legendas* inſcripſere, vt potè adeò perſpicuas vt ſolâ lectione primoque oculi intuitu à quouis licèt rudi & illiterato capiantur; eaſque ex fine *aureas* dixere, eo quod ſoli Deo intendant; nuſquam *plumbeas*, vt cum Ludouico Viues, infœlici Ariſtarcho, toties ab Eccleſia plexo, inſolenter garris. Nec Canus ſimplicitatem hanc Chriſtianam deriſit; licèt ſeueriorem ac exactiorem in delibandis hiſtoriis diligentiam deſideret. Teſte Senecâ; *antiquitùs meliores erant viri, poſtquam Docti*, (intelligit ſolùm Criticos & Cenſores) *prodiere; boni deſinunt, docemur enim diſputare, non viuere.*

Verùm qui feſtucam vides in alieno oculo, trabem non ſentis nec vides in tuo? quo titulo inſcribemus famoſum tuum, quam exagitamus, Libellum; putidum tenebrionem, quem Roma nuper infami columnæ affixit, cum flagrionibus, furciferis, & patibulariis; duplicique buſto, vltricibus tradidit flammis in Gallia manus Carnificum? Legendam procul dubio dicemus, quia præter corticem litteræ quæ oculis ſubiicitur, nihil veri, nihil ſolidi, nihil Chriſtiani ſpirat. *Auream* autem ne dixeris, ſed pacis ac charitatis Chriſtianæ profanam mactatricem: Seu dicito *plumbeam* vt potè ſupinâ ſtolidate compactam; *ferream*, mordaci & ferino dente armatam; *beſtialem*, bruteſcentibus omnium paſſionum æſtibus exundantem; *diabolicam*, quæ in Chriſtum Dominum eſt blaſphema, impia in Beatam Virginem, varioſque Cælites; omni denique ſpurcitiâ ac rabioſa maledicendi dicacitace ſcatens toti orbi eſt ſcandalo. Quid vltra eam indigites? Omni mendaciorum, calumniarum, conuiciorum, contumeliarum

propudioſam ſcrobem; cui irreligioſâ & infami impoſtura coronidem imponeret præſens articulus, ſi infiniti daretur finis.

Dicis Canum, cui vellicando Baronium accerſis; omnem culpam huiuſce dehoneſtationis Sacrorum per fabularum intruſionem referre in Pontifices, dicentem *eorum in hâc parte prudentiam & diligentiam deſiderari*, quippe qui (*Iudice Cano*) *viam muniunt ad abrogationem fidei omnibus ſacris hiſtoriis pro cordatos faciendam.* At vbi hæc apud Canum legis, impudoratiſſime hominum? Citaſti l. 11. de Locis cap. 6. vbi Canus, cuius verba referam, ex profeſſo huius incuriæ ac oſcitantiæ inſimulat ſolùm Miniſtros & Cenſores, quibus examinandorum Librorum cura incumbit; Pontificibus nec vel tantillum ſuper hoc incuſatis. Quapropter ſuppoſititia, & à te malignè conficta ſunt verba quæ loco iam adducto tribuis Cano, diſtinctis characteribus obſignata. Attendat ergò Lector, quid ille dicat ibi. *Vulgus eos libellos* (quibus fabulæ aut parum ſeria ſacris intexuntur) *ſecuriùs legit, quia probatos videt, non modo à ciuili Magiſtratu; verùm etiam à piis, qui doctrinæ Cenſores ſunt in Chriſti republicâ definiti.* Vbi in hâc parte & his verbis Pontificum prudentiam & diligentiam deſiderat, non ſuperciliosus Cenſor, ſed grauis Doctor, ſed vigilans Præſul; non nomine tantum, vt ex Baronio decerpſiſti, ſed prudentiâ & maturitate iudicii Canus? Sed hic tua deſideratur fides, hic Chriſtiana grauitas & Religioſa integritas deſideratur. Cæterùm poterat abſtinere ab hoc ſcommate non ita maturo Baronius, conſultiúſque illi, preſſo pede infirmare Cani rationes, quam leuicula commotione exagitare nomen; experturus ſubinde ineluctabilibus argumentis venerandam; nec, non tam Canis & Infulis, quam Doctrina albeſcentem Cani ſenectam. Hæc attendat non minus debilis quam ſuperciliosus Cenſor ſummorum Pontificum, Pſeudo-Petrus, quos hâc Satyrâ pluries arguit conſignatæ diutiùs, quàm par erat, Cyriacis Magiſterii ſacri Palatii, primæuæ Inquiſitionis; ac ſacri Indicis curæ.

Falſatio.

Calumnia.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Cano affingit Colliſionem Pontificum circa ſtigmata S. Catharinæ.

§. 30. *NEc ſapientior fuit idem Canus in negotio Stigmatum S. Catharinæ Senenſis, quæ à Sixto IV. Ordinis Minorum abrogata, & ſoli S. Franciſco adſcripta; affirmat admiſſa à Pio II. Senenſi, quippe B. Catharinæ ciue. Videndus l. 5. de Locis cap. 5. pag. mihi 320. quaſi Pontifices collidere, & ex ſeculi ac carnis legibus moueri ad decernenda plane contraria, res ſit flocci facienda.*

RESPONSIO.

HOc diuinæ prouidentiæ illuſtre præiudicium, vt cæco & furenti impetu in Canum irruens perſonatus Impoſtor, ſolem habeat inauditæ Calumniæ teſtem & arbitrum; tot linguis, quot ſunt in Cani Textu apices, æterno relaxandus opprobrio. Tenemus Te verbo tuo illaqueatum, nec potes fugere. Citaſti imprudentiſſimè, qui Impoſturam adornabas, Librum Authoris, caput Libri, ipſamque pagellam; quæ tibi & mihi 320. Verba exſcribo.
Impoſtura. *Sixtus 4. docuit D. Catharinam Senenſem Stigmata non habuiſſe. Non defuit qui contra iudicarit. Neutrius Pontificis iudicium ad Chriſti Eccleſiam ſpectat* (quia de re extra fidei & ſalutis ſphæram poſita.) *Vtrumque probare aut improbare ſine fidei diſcrimine poſſumus. Sed valeant ſtulti,* (Te alloquitur) *qui de rebus nihili digladiantur.* Hæc ille,nihil vltra de hoc. Vbi mentio ibi *de Pio ſecundo, quippe B. Catharinæ ciue?* Sapientiùs dixiſſes *conciue.* Vbi Conatus Cani Pontifices collidentis, probantiſque, vt perperam ais, ex ſeculi ac carnis legibus moueri ad decernenda planè contraria? Dicerem in cerebello tuo hæc fuiſſe cuſa & recocta, vt in inuidiam Catholicæ gentis & in odium Sedis Pontificiæ vocares Cyriacos, niſi ſcirem Te ea exſpicatum ab Eraſmo in Dialogis, ab Eccleſia ſummo iure damnatis. Sed quem reum non potuiſti efficere Canum, iudicem ſuſtinebis,ſtultitiæ & infrunitæ maledicentiæ; de futilibus & confictis digla-

digladiantis, notas & ſtigmata tibi præſago ore inurentem. *Valeant*, inquit *ſtulti*, tui ſimiles eiuſdemque furſuris viri *de rebus nihili digladiantes*. Adiicere debuerat æquus Cenſor; Exulent, plectantur, pereant publici Impoſtores, qui vt Pontifices fraudulenter palpent, horrendas in Dei ſeruos ſtruunt Calumnias, ipſos etiam Pontifices collidentes; velut ſæculi ac carnis legibus inflexos, & ad decernenda planè contraria, non ſpiritu Dei, ſed naturæ cæco impetu & priuato Patriæ amore abreptos. *Irreligio.*

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Cyriacis vertit Crimini defenſionem Iurium Pontificiorum.

QVod ſubiicio Cyriacæ in Pontifices petulantiæ ſpecimen, etiamnum calet. Homo Germanus, ſimpliciter (vt mos gentis fert,) vulgarat Concluſiones de virtute Fidei & Iudice Controuerſiarum. Inter eas Concluſiones, vna fuit, non eſſe de Fide, hunc ſingularem Pontificem nunc ſedentem, eſſe Chriſti Vicarium, quamuis de Fide eſſe eum qui verè ſit Romanus Pontifex, gerere vicariam Chriſti in terris præfecturam, ſit extra dubium Conclamarunt illicò Fratres Cyriaci, contra eam, (vt vocabant) inhonoram Pontifici, imo iniurioſam aſſertionem; quá ſtante, periclitetur Fides; & ruat Conciliorum authoritas (quibus accedat neceſſe eſt veri Pontificis confirmatio,) & omnium Fidei definitionum quæ poſſunt Româ tranſmitti, vt latè confirmant Salmeron l.1. in Paul. part. 2. diſp. de Eccleſ. ante medium, Albertinus 3. princ. Compl. coroll. 3. à numero decimo. Azor tom. 2. l. 5. cap. 5. quæſtiuncula 4. Comitolus 1. reſponſ. mor. q. 99. & latè Iacobus de Brouuer, toto Opuſculo cui titulus eſt, Clauis Apoſtolica. Vrgebant argumenta ab iſtis prolata vehementer Cyriaci, & Innocentium X. meritò retinentem Pontificiorum iurium, ac pacis Eccleſiæ, ablegatis doctrinis periculoſis ſtudioſum, in miſelli Teuthonis caput inflammarunt: Tranſmiſſis è Germaniâ Concluſionibus quas per procatia Purpuratorum opportunè, importunè ſpargebant; vt cœtui, cui Germanus ille conſerebatur, inuidiam crearent. Sed diſſimulabant eam ipſam doctrinam, tam acerbè in Teuthone notatam, tantaque in Pontificem iniuria ac §. 31.

periculi in Fidei definitiones conuellendas, inſimulatam; fuiſſe explicatiſſime traditam è multis ſuorum, quos inter Turrecremata l. 4. Summa de Eccleſ. p 2. c. 9. ad finem. Caietanus 2. 2. q. 1. art. 3. ad 4 Canus 6. de locis c. 8. ad 10. & Bannes 2. 2. q. 1. art. 10. in prioribus commentariis, dub. 2. ad 2. quorum ſententia in libris ipſorum nitet, nec aliquid contra eam muſſitant Cyriaci: at in volaticâ chartâ Teuthonici non Cyriaci, iuxta Fratrem Baptiſtam de Marinis, & emiſſarios eius, Pontifici inhonora, & iniurioſa eſt, Fideique euerſiua.

RESPONSIO.

E Tuſciâ in Germaniam trahit nos mens volatica, nec certè fœliciori euentu. Dolet Petrus cōgenitâ Valliclauſæ vafricie, aſtuque politico duplex, nactum ſe hominem nobili ſimplicitatis natiuæ ac Germanicæ candore ſpectandum, qui propoſitis Concluſionibus de Iudice Controuerſiarum, negarat eſſe de Fide, hunc ſingularem Pontificem tunc ſedentem, eſſe Chriſti Vicarium. Aſſertio hæc inhonora Pontifici, imò iniurioſa; qua vacillet Fides, ruatque Conciliorum authoritas, impugnatores, inquit, habebat Salmeronem, Albertinum, Aſorium, Comitolum & Brouuerium, ſed mortuos & elingues. At vocales & armati in defenſionem Fidei & Pontificum inſtitere Cyriaci, reque ad Innocentium X delatâ, ipſis agentibus in caput Miſelli Theutonis (cuius nomen taces, ne ſciamus,) ex eadem tecum Valle-clauſâ oriundi & ſub eodem Toparcha merentis, accenſus eſt zelus Pontificis. Fateris itaque, volens nolens; non quod te ſubiecturum initiò promiſeras, calens adhuc Cyriacæ in Pontifices petulantiæ ſpecimen; ſed nobilem pro Pontificiæ Maieſtatis defenſione, Cyriacorum ardorem; quo accenſi, tranſmiſſis è Germaniâ Concluſionibus, quas per procætia Purpuratorum opportunè importunè ſpargentes, non quidem ſicut Tu garris, vt cœtui, cui Germanus ille inſerebatur, crearent inuidiam; ſed vt illibata apicis Pontificij, cui innititur Catholica Fides, Iura clam palamque ineluctabili zelo tuerentur.

Imò inquis, euanido, nec æquali zelo. Diſſimularunt enim eamdem Doctrinam adeò acerbè in Theutone no-

tatam, & à multis ſuorum explicatiſſimè traditam : videlicet à Turre-cremata, Caietano, Cano, Banneſio. Quidni ergo pari ardore exarſere in eos? Eia homule, tempera bilem! Caue ne excandeſcas. Hæc quæſtio quæ Theologica eſt, & intemeratâ Fide, in vtramque partem vertibilis; negantes habuit olim quoſdam Cyriacos: habuit & alios quos ex Suare exſcripſiſti, nullatenùs Cyriacos, ſed variorum Ordinum; Albertinum, Vegam, Cordubam, Alphonſum à Caſtro, quos tamen fraudulenter taces, eiuſdem quod noſtris improperas, criminis & diſſimulationis Tuipſe reus. Cur non enim pari æſtu in ipſos, ac in Cyriacos, bilis Tua exarſit? Diſſimulas ipſammet Doctrinam, tam acerbè in Noſtris notatam, tantæque in Pontificem vt dicis, iniuriæ ac periculi in Fidei definitiones conuellendas, fuiſſe explicatiſſimè traditam, à multis, quorum ſententia in libris eorum nitet, nec aliquid contra eam muſſitas. Quid ergò in Cyriacis criminaris, quod ipſe præſtas; eiuſdem ſimul labis reus & vindex? Damus itaque aliquos ex antiquis Cyriacis communem ſatis temporis illius ſententiam in re probabili ſecutos; cæteri autem, maxime Recentiores, creſcentibus in dies, in orbe literatio, rei Theologicæ ſplendoribus, pari cum illis qui in Theutonem tuum inuicto animo aſſurrexerunt, ſilentibus aliis in Germaniâ Theologis, pro afirmatiua parte ſtrenuè militant, dignitatis Pôtificiæ apprimè ſtudioſi & aſſertores intrepidi. Teſtes illi erunt, qui referente Spondano [ab Innocentio IV. miſſi in Perſidem, ad Baiothnoi peruenere, vnum ex præcipuis Ducibus Tartatorum: à quo arrogantiſſimè excepti, quod dixiſſent ſe miſſos eſſe à Papa, qui apud Chriſtianos dignitate maior quouis alio exiſtimaretur; ac renuerent ipſum Baiothnoi adorare in ſignum ſubiectionis Papæ & Romanæ Eccleſiæ, ipſiuſque Dominum Chaam, filium Dei agnoſcere, vix necem ſæpius in eos à Barbaro decretam effugerunt... Variis modis deluſi & ignominioſè habiti, in ſumma victûs egeſtate diutiùs detenti fuere.] Hoc fecere Cyriaci. Vide Ioannem à S. Thoma nuperrimum Scholæ Thomiſticæ Scriptorem, eiuſdemque partis affirmatiuæ propugnatorem inclytum. Diſce ergò nugax Sciole, Palpo nequam, nuſquam acclines, nuſquam incuruatos, ſed erectos ſemper, ſemper æquales ſibi, ac intrepidos Cyriacos, vbi de Fide aut Pontificiâ

An. 1245. n. 6.

dignitate quæſtio reuoluitur, aut periculum inſtat. Vbi verò extra hos cancellos excurritur, quoquò ratio deflectit, miro ſe libramine vertunt; nec veritatem fauore aulico aut vtilitate rei domeſticæ, ſed vtrumque veritate metiuntur & ratione.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Deplorando argumento impetit Prædeterminationem Phyſicam.

§. 32. *Recidit gladio Apoſtolico Innocentius X. Hydram Ianſenianam è Batauicis paludibus in Fidei Orthodoxæ cladem infæliciter enatam. Malè habuit Cyriacos ea Pontificis aduerſus Caluinum illum perſonatum ſollicitudo; præſertim quia Prædeterminatio vel concuti vel quaſſari viſa eſt, ea Decreti parte quâ Gratia ſufficiens tanquam ad Fidem pertinens admittitur. Qui enim Gratiam ſufficientem accipit, etiamſi re ipſa non agit, tamen poteſt agere ſi lubeat, & tamen accipit Prædeterminationem, cum quâ liquet exercitium actionis eſſe coniungendum. Inde ergò habetur, falsò iactari à Banneſianis, æquè ac à Ianſenianis prædeterminationem eſſe neceſſariam, vi ſubordinationis eſſentialis ad cauſam Primam. Nam abſque iis quæ requiruntur vi ſubordinationis eſſentialis ad cauſam Primam, nemo poteſt agere. Vt ſi quis non haberet paratum concurſum generalem, qui vi ſubordinationis eſſentialis requiritur, non diceretur potens ad agendum; quia deeſt illi apparatus ex ratione creaturæ operantis neceſſarius. Idem ergò eſſet de Prædeterminatione; ſi ſimiliter ex vi ſubordinationis eſſentialis exigeretur, vt fert Prædeterminatorum ſententia: quæ proinde apertè colliditur cum aſſertione Gratiæ ſufficientis, definita tanquam ad Fidem pertinente. Inde tanta Cyriacorum, pro Ianſenio æquè Prædeterminatore, & vt conſequenter loqueretur, Gratiæ ſufficientis inficiatore, Cacozelia.*

RESPONSIO.

Qui huc vſque perſonatus inceſſeras, laruam hîc ex parte deponis, & licèt latentem ſub velo horridam faciem, rugiſque diſſectam inſpicere curet nemo; con-

tuentur tamen omnes animum certa ſui indicia velut per rimulas exhibentem, dum duæ ſimul hydræ theatrum cõſcendunt, colore diſpares, ſed in Fidem & Gratiam Chriſti, innato & conſimili acore furentes. Altera, vt dicis, è Batauicis paludibus in cladem Fidei Orthodoxæ enata, occubuit Apoſtolico Innocentii X. reciſa gladio: aliam nuper confodit Apoſtolicus Alexandri VII. mucro; in Dei & Sanctorum propudium; in euerſionem Fidei Catholicæ, Pontificiæque dignitatis occaſum, è fœculentioribus Clauſæ-Vallis paludibus audaciùs erumpentem: hæcque ex vtriuſque probroſo interitu, Cyriacis gloria conſtat, quod ab vtraque, æquali interuallo diſſiti, ambarum obtruncatione, palàm ouant. Vnde ergò habes corruptæ fidei poſſeſſor Pſeudo-Petre, malè habitos Cyriacos eâ Pontificis aduerſus Caluinum perſonatum, vt loqueris, ſollicitudine? Dicis, *quia prædeterminatio concuti vel quaſſari viſa eſt, eâ Decreti parte, qua Gratia ſufficiens tanquam ad Fidem pertinens admittitur.* Miſerande ſenex, quo Te abduxere ridicula emotæ mentis deliramenta? Audiamus Te, ſolito more nugantem. *Prædeterminatio*, inquis, *ſeu Gratia efficax impetitur, quia ſtabilitur Gratia ſufficiens.* Quæ conſecutio, cum primam ſequens adiuuet, ſitque efficax, ſufficientis nobile complementum? & quæ vtramque fido nexu infibulat Schola Thomiſtica, Prædeterminationum inuicta aſſertrix, vtriuſque vel alterius deſertrix aut inimica cur habeatur, ex compacto ambarum glutino? *Stoliditas.*

E Batauicis exortæ paludibus Hydræ flatus peſtilens: At peſtilentior, ſaltem tibi Petre, illa quam Vallis-Clauſæ effudere paludes. Hollandica ſi quidem, Te hæreſis oppugnatorem, licet debiliſſimum, tamen qualemcumque experitur; hæc, ipſummet Te hæreſi pollutum demonſtrat: Nec potes effugere vim Argumenti, cuius Te fabrum, ipſe Secundæ Diatribæ apex euincit. Præmiſſo tantùm Alexandri VII. ad Profeſſores Louanienſes Diplomate, poſt damnatas 5. Propoſitiones; vbi Pontifex ſic intonat die 7. Auguſti an. 1660. *De reliquo non dubitamus quin vos pro ſingulari ſcientia pietatiſque ſtudio, ſanam & incorruptam, qualem tot Apoſtolicæ Sedis & Sanctorum Patrum Traditiones requirunt, Doctrinam ſemper amplexuri, & aduerſus Orthodoxæ Religionis hoſtes defenſuri ſitis: nec non præclariſſimorum Eccleſiæ Catholicæ Doctorum Auguſtini & Thomæ A-*

quinatis INCONCVSSA TVTISSIMAQVE *Dogmata ſequi ſemper, vt aſſeritis, ac impenſe venerari velitis. Quorum profectò Sanctiſſimorum Virorum penes Catholicos ingentia & omnem laudem ſupergreſſa nomina, noui præconii commendatione planè non egent.* His ita prælibatis, ſic arguo. Attende, Sciole, aptior Poëticis euagationibus, quam Theologicis Sacramentis. *Quæcumque Doctrina à ſenſu Summorum Pontificum abiungitur; aut hæretica eſt, aut confinis hæreſi; Doctrina enim Sedis Pontificiæ, eſt lapis lydius Catholiciſmi puri ac probati terræ, purgati ſeptuplum:* At Pontifex Alexander VII. Diplomate ſuo iam laudato, inconcuſſa, tutiſſima ac ſequenda declarauit D. Thomæ Dogmata, etiam poſt damnatas 5. Propoſitiones: Ergo Tu, qui tali condemnatione concuſſam & quaſſatam, dictitas Prædeterminationem, quæ eſt baſis & præcipuum Doctrinæ D. Thomæ dogma, hæreticum te probas vel hæreſi affinem & vicinum. Hydram itaque è putridis Vallis-Clauſæ paludibus enatam, in Te reperimus, peſtifero ac ſectario halitu execrandam. Hydram tamen ne dicamus, obſtat condonandus grauiſque ſcrupulus: illa enim variis fœcunda & tumens capitibus effingitur; Tibi autem nec vel vnum caput, nec vel minimum capitelli ſpecimen ineſſe, probat miſeranda diſcurrentis euagatio, probationiſque ſuſceptæ inanitas, quâ non aſſerti Tui rationem, ſed rationis deſertionem & interitum in Te de Teipſo comprobas.

Sic enim incedit tua argutatio ad Syllogiſmi leges exacta, vt vis eius clarius emicet. Collato pede premo veſtigia Tua, nec vel tantillum à verbis tuis deflecto; licèt vitandæ loquacitatis importunæ & implexæ ergo, preſſiùs agam. Cum Gratia ſufficiente poteſt quis agere ſi velit, licet non agat. Fatemur: At talis non accipit Prædeterminationem cum quâ ageret: illud quoque verum, dum non prorumpit in actum: Ergo, inquis, falsò iactatur à Banneſianis (ſeu Thomiſtis) æquè ac à Ianſenianis Prædeterminationem eſſe neceſſariam ex vi ſubordinationis eſſentialis ad cauſam Primam. Bella certè conſecutio! mirabilis Syllogiſmi apparatus, cuius nec velit haberi faber, Triobolaris Theologus. Miſerabilior adhuc, plenioreque ſibilo exſufflanda, quam ſubiungit probatio, non diſcernens ea quæ vi ſubordinationis eſſentialis ad cauſam Primam, exiguntur; tùm ex parte potentiæ, vt loquuntur: tùm ex

Ignorantia.

parte actûs, quorum complexus & infibulatio, ipſum creaturæ operantis abſoluat & compleat apparatum. Hæc prima Alphabeti Theologici, imò Philoſophici rudimenta, quæ necdum calles, octoginta annorum puer. Agnoſcit ratio, & Fides in Deo veneratur infinitam potentiam; & quod mirabile eſt, exclusâ omni potentialitate, vt loquuntur, infinitam actualitatem. Totus ille potentia; totus ille ſine potentialitate actus: vtrinque dependet, & vtroque hoc Maieſtatis pondere libratur creatura rationalis & libera, quæ poteſt agere ſi velit, & dum vult, agit. In lineâ potentiæ, complet illam Gratia ſufficiens; in actûs linea, Gratia efficax, quæ & Prædeterminatio. Sicut ergò vltimæ eſſet dementiæ, aſſerere actionem quæ exercet & perficit potentiam, potentiæ aduerſari: ita Tu infrà vltimam amentiam deuolueris, ridicule Theologaſter, qui aſſertionem Prædeterminationis, ſeu Gratiæ efficacis collidere cum aſſertione Gratiæ ſufficientis, diſcurſu verè deplorando, dementatoque garritu profiteris. Verùm quid per Ianſenianos intelligas non video: Aut enim ſignas defenſores quinque Propoſitionum damnatarum, quarum iam nullus aſſertor exiſtit, exploduntur que ab omnibus tanquam hæreticæ. Vel illo vocabulo deſignantur Propugnatores Gratiæ per ſe efficacis, quam Tutam & Intactam voluere Innocentius X. & Alexander VII. vt ex Diplomate ad Belgas directo iam euicimus: hoſque Thomiſticè ſapientes, Orthodoxos & Catholiciſſimos agnoſcimus. Si alios intelligas, fingis. *Amentiâ.*

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Multiplici Impoſturâ quinque Cyriacos impetit.

ITaque non modò F. Ioannes Baptiſta Marinus, omni conatu egit vt damnationem tam pinguium errorum impediret, exquiſitum Capitulauium à Pontifice, eam ob cauſam lucratus. Sed etiam poſt latum Decretum, inuentus eſt inter Cyriacos, qui ad quinque puncta damnata tegenda accurreret. Nihil affingo: Frater Cyriacus adſtipulatus eſt Ianſenio poſt latum Decretum, quo quinque cardinalia puncta, in quibus tota Ianſenij cauſa vertebatur, pro hæreſibus ſunt damnata, poſt matu- §. 33.

rum & longum examen, dictaque cauſa, & auditis qui prò Ianſenio è Belgio & Galliâ Romam conuenerant; cùm omnia viderentur fore pacata, præſertim in terris Pontificiis; quis enim auderet mutire in linguâ ſuâ, poſt tam grauem Pontificis definitionem? Diceret S. Auguſtinus quod in ſimili dixit poſt acceptum ab Afris Romæ reſponſum, A SEDE APOSTOLICA RESCRIPTA VENERVNT: CAVSA FINITA EST. *Adderet illud quoque ſuum;* Cælum tonat, Ranæ taceant. *Attamen poſt tam ſolemnem à Sede Apoſtolica Definitionem, vbiuis & omnibus Catholicis acceptiſſimam, Romæ F. Nolanus, quod ei conſtitutioni illuderet, à Sanctâ Mariâ ſupra Mineruam, vbi Theologiam profitebatur, ad Turrim primùm Nonnanam, tùm ad Tullianum traducendus fuit. Quam ſortem nactus eſſet Auenione F. Antoninus Reginaldus, ſimili ludibrio Bullam contra Ianſeniſtas latam detorquens ad Ianſenii indemnitatem, niſi F. à Furno, ibidem de Fide Quæſitor, Ianſenii & ipſe partiarius; (quippe qui Ianſeniſticam Harſani concionem præfixo Ianſenii cumulato elogio, Romæ approbarat) tutum fecìſſet ſodalem; eadem erga Pontificem fide, quæ Bullam contra Ianſenii errores, vbiuis in Gallia vulgatam, ne Auenione & in tribus Comitatus Venayſſini Epiſcopatibus Pontificiæ ditionis euulgaretur, effecit. Hoc ipſo menſe Iulio anni huius* 1655. *Lutetiæ in* Cœnobio Cyriacorum, *quod eſt in regione S. Honorati, Theſes ad diſputandum ſunt propoſitæ, quas Ianſenianâ leprâ contaminatas, Illuſtriſſimus à Balneis Nuncius Apoſtolicus, vbi reſciuit, ſupprimi mandauit. Sed cum Fratres proteruirent, & ſe de ſententia deduci non paterentur, idem Nuntius querelam depoſuit apud Regni Cancellarium, cuius foribus juſſis Ianſenius inter* Cyriacos *obmutuit. E Theſibus ad defendendum propoſitis, hæc vna erat;* [Ad merendum & demerendum, non requiritur libertas à neceſſitate, ſed tantùm ab omni çoactione. Neque contrarium definiuit Innocentius X.] *Atqui Innocentii X. in Conſtitutione ad vniuerſos Chriſti Fideles, hæc ſunt verba;* Tertiam *Ianſenii propoſitionem;* Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ Lapſæ, non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione, hæreticam declaramus & vti talem damnamus. *Manda excogitari gloſſas Frater de Marinis; verba ſunt ſole ipſo clariora; & quod tui aſſerunt, damnatur vt hæreticum; & quod negant, id eſſe damnatum, reuincitur manifeſta mali-*

gnitatis & proteruia ad hæreſim ſufficientis, cum Pontifex conceptis verbis damnarit propoſitionem à Tuis Fratribus (Bonæ Marine,) aſſertam.

RESPONSIO.

QVem deſeruete Ratio ac Religio, neceſſe eſt, vt ad exempla demigret, populari experientiâ comperta, infœlix conatu, infœlicior euentu, & ex vtroque miſerandus. Numeroſis huc vſque experimentis comprobata perſonati Blateronis infidelitas, ac in mentiendo peruicacia, tuncque magis cum dicit, *nihil affingo*; retundendum probat, & pleniori ſibilo exſufflandum, niſi teſtes adducat probatæ fidei, qui omnem eiurauit fidem & pudorem. Quinque tamen viros primarios Religioſi ac Cyriaci habitus, ſpectatæ virtutis, celeberrimæ eruditionis, ac fidei vndequaque illibatæ, vno impetu tentat horrendâ hæreſeos fuligine aſpergere & infuſcare, partim ex Italiâ, partim ex Comitatu Venayſſino, & ex variis ac diſſitis Galliæ Prouinciis aſcitos; vt clareat ipſum non ſolum agere, ſed multos alios eiuſdem farinæ viros, tranſmiſſis hinc indè ſchedulis, in Ordinem Prædicatorium, vnius calamo ſimul deſæuire; more Phariſæorum, qui, vt ait Chryſoſtomus, vt Ieſum caperent in ſermone & eum perderent, interrogauit eum vnus ex eis legis Doctor, tentans eum. *Dicebant enim apud ſe; Vnus loquatur pro omnibus; & omnes loquamur per vnum, vt ſi quidem vicerit, omnes videamur victores; ſi autem victus fuerit, vel ſolus videatur confuſus.* Patrem itaque cum quatuor Filiis vno ictu confodit inſufflatus legis Doctor, emiſſus Laniſta; nec Modeſtiæ aut Religionis fines vllos patitur, abreptitiæ mentis, emotique animi furor immenſus. Cuius futilibus tamen conuiciis confictiſque nugationibus, ſtrictim & ludente quaſi per contemptum calamo, occurrendum.

Hom. 16. in diuerſos Math. locos.

Fabuloſæ dirarum ac mendaciorum catenæ prima fibula, exquiſitum fingit Generali Ordinis Prædicatorii Magiſtro R. P. Ioanni Baptiſtæ de Marinis, impertitum à Pontifice *Capitiluuium*, (ſic Admonitionem paternam, ſi quæ foret, ſtillanti barbariem calamo, vicanus Pædagogiſta indigitat) quòd damnationem quinque Propoſitionum ten-

Impoſturæ.

taſſet impedire. Verùm quem huius *Capitilauij* teſtem adducis? Aderas procul dubio Tu ipſe? Certè non Capitilauio, (ſi cum ineptiente ineptire concedatur) excepiſſet Te Pontifex: vt quid enim, (patere vt tuum in Te retorturus fœtidum ſcomma, præoccupem Titulum, quo vltimo huius Reflexionis Paragrapho, Præpoſitum Ordinis mei Generalem effrons inhonorare tentabis.) Vt quid, inquam, *Arcadico*, non *Opilioni*, ſed Animali; parare *capitilauium*, depilatumque lauare caput, quod natura vt probroſum oſtenderet, nudauit? Dicit enim vetus Adagium, denotando caſſo labori; temporique inutiliter conſumpto aptiſſimum, pingendam in tabella (qualis conſpicitur Luteriæ in ſuburbio ſancti Germani) mulierem, Aſini caput lauantem. Non ergò *Capitilauium* Tibi, quia inutile: ſed incendium paraſſet Pontifex, expiaſſetque non aquâ, ſed igne, execrandam tot errorum, calumniarum, hæreſum, impietatumque illuuiem. Venerabilis P. Generalis Marinus, Doctrinam D. Thomæ, quæ nullam prorſus cum damnatis Propoſitionibus affinitatem patitur, vindicaturus à clanculariâ hoſtium Ordinis inſimulatione; vt in Comitiis Generalibus Romæ celebratis an. 1654. doctrinam Propoſitionum cauendam decreuerat; ſic poſt damnatas Propoſitiones, Capitulo Prouinciæ meæ Toloſanæ Caſtris in Occitaniâ celebrato (ſimiliter & in aliis Prouinciis) infanda, quæ Eccleſia nuper damnauerat Dogmata, tanquam execranda propoſuit, communique Patrum calculo, Pontificio Anathemati ſubſcriptum eſt. Para Te interim, Petre, vltimo enim huius Reflexionis articulo, ſparſa vndique à Te in R. P. Marinum conuicia collecturus vt retundam, perutile tibi ſeruo *Capitilauium*.

Nolanum autem dum exhibes ad Turrim Nonnanam, poſt ad Tullianum iuſſu Pontificis traductum; ad quid collimas? Incarceratum vis oſtendere virum Cyriacum? non negamus, ſed cauſam incluſionis inquirimus. Hanc Tu aſſignas; quòd nempe Conſtitutioni Pontificis quinque Propoſitiones damnantis illuſiſſet. Verum eſt: fuit hic rumor per almam Vrbem ſparſus ab æmulis Doctrinæ Angelicæ; eorumque arte ad Pontificis aures fraudulento aſtu delatus. At vbi comperta eſt rumoris falſitas, aperitur illi carcer, nec curat egredi niſi comprobatâ publico lumine innocentiâ; imitatus & ſuperans Chriſtianâ fiduciâ

Calumnia.

Philoſophicam Socratis conſtantiam : qui , vt ait & miratur Seneca, *in carcere diſputauit, & exire* (cum eſſent qui promitterent fugam) *noluit , remanſitque ut duarum rerum grauiſſimarum hominibus metum demeret, Mortis & Carceris.* Sic noſter Socrates Chriſtianus ; liber in vinculis Nolanus , donec diſſipatâ calumniâ , comprobatâ detenti integritate , ac veritate effugante tenebras , quibus aliquandiu obſeſſa latuerat; juſſu Alexandri VII. vix ad Pontificatum ſublimati , redditur captiuo libertas ; infamato antiquus ſplendor , adeptaque eſt hoc improperio nouum probata innocentia fulgorem. Si quidem remittitur ad Fratres & euocatur à Pontifice, qui paterno affectu ſolatur innocentem ; iubetque in Comitiis Ordinis Generalibus tunc Romæ celebratis, Definitoris ſuæ Prouinciæ Hybernicæ frui extra ordinem , ſuffragio & loco Nolanum ad nouum gloriæ ſplendorem ſublimandum. Non Socratem carcer inhonorat, ſed honeſtat carcerem Socrates, rutilantque nouis fulgoribus tot Sancti viri è carcere egreſſi , Hæreſeos ac Magiæ inſimulati , comprobato merito ac innocentiâ. Fulget in vinculis Ioannes ; fulgentior Chryſoſtomo Paulus in carcere quàm in cœlo , oneraturque Cathenis Chriſtus Veritas, Chriſtus Innocentia. Non dereliquit Nolanum in vinculis Sapientia , ſed deſcendit cum eo in foueam & attulit illi ſceptrum Regni , irrefragabile incontaminatæ Fidei ac Doctrinæ teſtimonium , quam exinde altius & firmiùs ſpirante animo docet, profitetur, propagat. Quod tibi non contigit pſeudo-Petre. Dicitur enim, verè an falsò ? plurium menſium experimento compertus es : rubor ipſe vultûs ſub laruâ latentis indicat, Te in Valle-clausâ , clauſum , incarceratum , concluſum ; non ab extraneis , præualente calumniâ ; ſed à Domeſticis, veritate comprobatâ ; quâ valli tuæ æternum inuſſeras opprobrium. Nolano Carceris oſtium reſerauit innocens animus ; Tibi , pœnitens vultus : mutatoque latibulo , non deſerto, reum ſemper tenet ſub larua latitantem , quem flammis addixit duplex Sunatuſconſultum. Liberum te putas quia lates? miſeranda & pudenda libertas, quæ Te ſemper incarceratum tenet , quia reum & merito carcere occludendum.

Ep. 14.

Adiicis nec probas , ſimili vindicandum ludibrio & pœnâ pari F. Antoninum Reginaldum , quod Bullam contra

propugnatores quinque Propoſitionū latam, detorſiſſet ad Ianſenii indemnitatem, niſi Frater à Furno, ſeu *Du Four*, Fidei Quæſitor tutum præſtitiſſet Sodalem. Quæ huius rei argumenta producis? Fides ſit penès authorem mendaciis innutritum, ac fabulas ex condicto ac pro libito attexentem. Simile eſt quod de eodem P. a Furno comminiſceris, qui Romæ commorans approbarat quidem Harſani concionem, cætera Concioni adiecta ipſe non attigerat. Quem ideò, quàm proterуè Ianſenii partiarium indigites, probat concreditum illi in proximè ſequenti Congregatione, Auenionenſis Inquiſitionis à Pontifice Officium: vbi & in vniuerſâ ditione Pontificiâ Comitatus Venayſſini, Bullam damnationis quinque Propoſitionum euulgari permiſit, quicquid impudenter in contrarium garrias, ipſaque Te Diplomatis publica euulgatio puniendæ & effrontis audaciæ reuincit; nihil enim Inquiſitore non aſſentiente, ibi promulgatur. Cæterùm cur ſic in P. *Du Four*, cuius comprobata omnibus ſapientia & inuictus Fidei Catholicæ zelus cuique patuerunt, excandeſcas, lubens pronunciabo. Præſagâ mente quid tibi futurum foret indicaſti, Bis enim igni deuotus, ignem times; horreſque *Furnum*, quia ſcis igniuomum: & velut ab vmbra ad corpus, citò vltrix flamma deuolat, iterato igne adhuc flagrans vmbra tua, infœlix Tenebrio, Tibi rogum imminentem denunciat; vnde nec ſine causâ, exundantes è Furno flammarum globulos times, bis ad ignem damnatus. Eia ergò; & tardior Elephanti partu, qui per quinque annos, vt dicitur, maternis concluſus viſceribus, vix ſexto in lucem emittitur; Embrionem offers nobis monſtroſum, quem à pluribus annis à Te conceptum; nouo calore fotum an. 1655. tandem an. 1662. ineunte effudiſti, non ita ferax Librorum, vt ſtolidâ vanitate prædicabas.

Impoſtura. 3.

Meditatus itaque decennio, hanc fabularum Scenulam, Theatrum claudis diſputatione quadam apud Cyriacos Lutetiæ in regione S. Honorati habendâ, niſi obſtitiſſet, inquis, Nuntius Apoſtolicus ac Cancellarius Regni, ob Theſim vnam quæ aſſerebat, ad merendum & demerendum non requiri libertatem à neceſſitate, ſed tantum à coactione; neque contrarium decreuiſſe Innocentium X, Hic veritati mendacium copulas, ſolitoque more abradis à Theſi proponendâ, *omni*, qui eſt terminus vniuerſalitatis,

Truncatio.

vt hæreticam demonſtrares; quæ ex mente eius innuebat neceſſitatem infallibilitatis, conſequentiæ & ſuppoſitionis, quæ ex D. Thoma & omnibus Theologis, libertati nullatenus officit. Hæc ſi non tacuiſſet peruicax malignitas Tua, hæreſeos non inſimulaſſes virum Catholicum ac Religioſum, cuius dum, non mens, decreto Pontificio ſemper plenè ſubmiſſa; ſed verba parùm obſcura & intricata, offendiculo quibuſdam fuiſſent; ipſe ad primum ſuperioris poteſtatis nutum, prompto ac lubenti ſilentio, Catholicum ac Ortodoxum ſe plenè comprobauit. Velut oceanus, dum elatis vndarum æſtibus, in vicinum littus erumpit, vix Domini vocem littoribus inſcriptam intuetur, cum reuocato pede, curſuque in ſe reflexo, curuatis fluctibus termini poſitorem adorat. Vtinam & Tu pari famulatu Pontificia Oracula exciperes, quæ petulanter traducis. Dicis hæreticam Prædeterminationum doctrinam, quam Pontifex negat eſſe hæreticam, & poſt 5. Propoſitionum damnationem, inconcuſſam, tutiſſimam, ſequendamque deprædicat: Reuinceris itaque manifeſtæ malignitatis & proteruiæ ad hæreſim ſufficientis, cum Pontifex, à cuius ſenſu quicquid abiungitur, hæreticum eſt aut hæreſi affine, conceptis verbis Orthodoxam & illibatam pronunciarit D. Thomæ doctrinam & oracula. *Quis autem*, vt Tua tibi reponam, *auderet mutire in linguâ ſuâ, poſt tam grauem Pontificis definitionem?* Certè diceret Auguſtinus quod in ſimili dixit; A SEDE APOSTOLICA RESCRIPTA VENERVNT: CAVSA FINITA EST. Adderet illud quoque ſuum; *Cœlum tonat, Ranæ taceant*, in paludibus Vallis-Clauſæ coaxantes.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Perſecutorem Eugenij IV. facit Nicolaum, qui pro Pontifice egit Baſileæ.

SVnt iſta de pluribus, pauca ſpecimina Inhonorationum, quibus Sedes Apoſtolica à Cyriacis eſt dehoneſtata. Argumentum autem, quod huius Diatribæ principio adducebatur, ad perſuadendum libros Cyriacorum ex hoc capite non §. 34.

debere eſſe Cenſuræ obnoxios; abit in fumum. Rectè quidem aſſumebatur, Cyriacos præ omnibus Catholicis, ac præſertim Religioſis, debere ſe agnoſcere Pontificibus obnoxios; id enim euincunt ſingulares fauores, quibus Sedes Apoſtolica eum Ordinem præ aliis omnibus demeruit. Ipſos tamen tot fauoribus gratam ſemper vicem rependiſſe; & factis, & ſcripto vulgatis aſſertionibus, honori Pontificum ſeruiiſſe, ſecurus inficior. In Concilio certè Baſileenſi, Eugenius IV. Legitimus Pontifex, omnibus tetris notis deformatus eſt; ita vt hæreticus relapſus, & pertinax, ſit declaratus. Cuius præſertim operâ, ediſſerat Æneas Sylvius qui aderat. [Octo (inquit,) inter ipſos Theologos Concluſiunculis approbatis, quas veritates *appellitabant, earum copiam in orbem diuulgantes; quæ res circa medium menſis Aprilis initium ſuſcepit, induſtriâ quidem ac ſolertiâ* Nicolai *cuiuſdam* Burgundionis, *ex Ordine Prædicatorum, viri acuti & longe maioris animi quam corporis; qui nec Diſputationum nec Congregationum aures vnquam perſonare omiſit, donec res cœpta & conſummata eſt. Nec illud aſſerere dubitarem, rem hanc intactam remanſuram fuiſſe, niſi iſtius homuncionis diligentia Patres excitaſſet, quem ſi quis videat, nunquam tanti exiſtimet.] Homulus iſte erat, ſed Cyriacus, tantorum in Eugenium motuum excitator.*

RESPONSIO.

GRatiæ ſint ne à nobis reponendæ tibi, an pœnæ, dubius hæreret animus, vtroque ſimul pulſatus. iniuriâ ac beneficio; niſi certiſſimum complacentis ſibi animæ pignus foret oblatus fauor, nequiretque eſſe beneficium, iniuriæ finis. Similem Te probat hoc Paragrapho inflicta in Ordinem meum, animo nocendi ſagitta, illi quem demonſtrat Seneca, cruento pugione beneficium, ac dona ſpargentem armatâ manu, qui dùm hoſtem percutit, ſanat rupto vlcere, vbi per apertum vulnus ſeu ſcamma, exit lethalis ignis; latensque virus foras erumpit & exundat. Percuſſo Religionis Cyriacæ vno membro, totum corpus reuireſcit; & de hianti vulnere plus gloriæ manat quàm ſanguinis. Imò totum quodcumque fluit, radioſum eſt & micans; nullus cruor, nullus fœtor. Aperuiſti, imprudentiſſime hominum, non infamiæ vt putabas, proſtibulum Cyriacis, ſed eminens gloriæ theatrum, dum

Concilij Baſileenſis ſcenam proponis, vbi ſiue repetitas de Fide Diatribas contra Hæreticos; ſiue inita pro Eugenij Papæ ac Pontificum Majeſtate certamina ſpectes; illuſtriora victoriæ trophæa Dominicana familia promeruit. Teſtes adhibeo probatos, nullâvè aliâ ratione Pontifici aut Prædicatoribus addictos quam ſinceritate hiſtoriæ; veritatique publicæ litantes, illinc Spondanum, hinc Binnium. Ille hiſtoriam texuit Concilij, iſte compilauit, & vterque liberiori calamo Cyriacorum celebrauit encomia. Cæterùm non Tibi, qui de Tuo ſemper loquens, mendax huc vſque depreheñſus es, reſponſum damus, quia immeritum. Satisfiet autem Æneæ Sylujo à Te adducto, licet tempore Concilij, dumque hæc ſcriberet, aduerſæ parti mordicùs adhæreret, quâ repudiatâ, tandem Pontifici reconciliatus, euaſit & ipſe Pontifex Maximus, dictus Pius II.

Per vniuerſam Bohemiam graſſans, nec cum authore extincta hæreſis Huſſitarum, Doctiores quos congregare potuit ſuæ factionis patronos, Baſileam mittit, vt de fide aduerſus Catholicos ardentius diſputarent. Deſtinati quatuor à Patribus, qui Theſes Catholicas & Orthodoxas proponerent ac tuerentur, arguentibus coram totâ Synodo hæreticis. Inter illos duo Sacerdotes ſæculares, totque Religioſi & ambo Dominicani; nec alius Cœnobita præter illos deſcendit in arenam. Ioannes de Raguſio Procurator Generalis Ordinis Prædicatorum, tanti habitus eſt à Concilio, vt primus collato pede, hoſtium tulerit inſultus & retuderit; ſolus per octo dies continuos cauſam Dei & Eccleſiæ inuicto ſpiritu propugnans; exploſiſque Transfugarum argutationibus, muta & confuſa ſiluit Hæreſis. Orationes Ioannis præliminares, totumque pugnæ contextum, longo ac fideli tenore deſcripſit Binnius Tom. 3. Part 2. ad calcem Concilij. Secundo certamini initium dedit Ægidius Carlerius, Decanus Eccleſiæ Cameracenſis, durauitque Concertatio per quatuor dies. Tertius fuit Henricus Kalteizen, Dominicanus, Profeſſor Theologiæ in Academia Colonienſi & hæreticæ prauitatis Inquiſitor, per tres dies pugnans. Vltimus Ioannes de Polemar Archidiaconus Barcinonenſis, Apoſtolici Palatij Cauſarum Auditor, per tres ſimiliter dies Theſes Orthodoxas propugnans; vnoque ſpiritu Quatuor illi Fidei

Pugiles colluctantes, glorioſum de Hæreticis reportauere triumphum, Hinc diſces, Petre, quantâ Ordo Prædicatorum gloriâ præfulſerit in Concilio Baſileenſi, qui ex quatuor, duos Catholicæ veritatis acerrimos ac publicos vindices è ſinu ſuo eduxerit.

Meritò *Fidei defenſor* Ioannes à Turre-cremata dictus, purpuram accepit à Pontifice,ob propugnatum inuictè Pontificiæ dignitatis Splendorem, teſte Spondano; qui tanti viri, adeòque de Eccleſia bene meriri in laudes effuſus,
An. 1439. an 50. immenſa elogia hâc Syngraphâ concluſit. Enumeratis aliquot Cardinalibus ab Eugenio ad purpuram euocatis, Iſidoro Archiepiſcopo Ruteno, Beſſarione Trapeſuntino pro Eccleſia orientali, pro occidentali Reginaldo de Carnoto & aliis, ſic ait; [In poſtremis denique ex Hiſpaniâ nominatus (quod nulla dignitate Eccleſiaſtica inſigniretur) qui cunctis (ſi Beſſarionem excipias) Theologiæ, Iuris Canonici,Philoſophiæ aliarumque ſcientiarum peritiâ facile fuit præferendus, cuius iam ſæpe facta eſt, fietque in poſterùm grauiſſima atque honorificentiſſima mentio, Ioannes de Turre-cremata Ordinis Prædicatorum, ſacri Palatij Magiſter] qui & in eodem Concilio compeſcuit Toſtatum, Abulenſem poſt Epiſcopum, virum aliunde Scriptorum mole, cognitione antiquitatis, prodigioſâ memoriâ; multiplici omnium ſcientiarum & artium eruditione, ad miraculum clarum; de quo meritò
De Scrip. eccleſ. Bellarminus dixerit.

Hic ſtupor eſt mundi qui ſcibile diſcutit omne.

Hic tamen in Pontificem neſcio quâ ſorte exaſperatus, Ioannem de Turre-cremata expertus eſt pro Pontifice vindicem, qui dicato Opere, quædam Toſtati Dogmata ab Eugenio Senis damnata, potenti calamo confutauit, inquit
A. 1443. n. 20. idem Spondanus. Cùmque præfatus Abulenſis eſſet in Concilio Baſileenſi, inquit idem Aurhor, *conſulit cum Ioanne Capreolo Toloſano Ord. S. Dominici doctiſſimo Profeſſore & doctrinæ S. Thomæ egregio defenſore.* Ergo-ne Pſeudo-Petre, decolor Tibi videtur facies familiæ Dominicanæ, quam infuſcare rabioſulæ animæ impetus ſuadebat, fulgentiſſimo hoc doctrinæ ac Fidei quadruplici columine inſignita? Sed dic nobis, ſi vocem pudor non abſtulit; qua fronte auſus es vocare ordinem Sacrum tot doctiſſimis ac primæ notæ viris refertum, cœtum Aſinorum

rum, dum Generalem Præpoſitum impudoratâ & beſtiali licentiâ appellaſti *Opilionem Arcadicum*, ſeu ductorem Aſinorum? Scateat aſinis, quantum libuerit, vallis illa Tua, clauſa Pudori ac Religioni; nos fulgentiſſima damus Eccleſiæ lumina, quibus adiungas licet, qui Tibi fuit petra offenſionis, *Nicolaum de Burgundia*, quem Temet ipſo teſte, Æneas Syluius virum acuti & longe maioris animi nuncupat.

Hic iam reſtat purgandum crimen, cuius, Æneæ verbis malè intellectis, mala fide detortis & etiam falſatis, eum inſimulas; tanquam inſtiterit apud Concilium vt Eugenius hæreticus ac relapſus haberetur. Miſelle homuncio, nec Syluium citare potes, quin falſes. Ipſe à Spondano, ex quo Tu exſcripſiſti, relatus hæc habet: [Cœptis his circa medium menſis Aprilis, induſtriâ atque inſtantiâ cuiuſdam Burgundionis ex Ordine Prædicatorum, ac longe maioris animi quam corporis; re iſtâ intactâ remanſurâ, niſi iſtius homuncionis diligentia Patres excitaſſet.] Ita ille quibus Tu fraudulenter intermiſces iſta, culpam Nicolai aggrauantia, ne dicam operantia; *Qui nec Diſputationum nec Congregationum aures vnquam perſonare omiſit, donec res cœpta conſummata eſt.* Redolent etiam exilem ſtylum tuum ac barbariem, iſta, nefande Interpolator. Nulla ergo Tibi vſquam adhibenda fides homule mendax, & ad mentiendum nate. Nec quidem in hâc parte, ipſi Syluio, qui parti aduerſæ adhuc immerſus; dubium aut ſuſpectum reddit quicquid in hâc cauſâ eloquitur. Fidem enim Scriptori auferunt odium & amor, exerratque calamus, dum dextra titubat, impotenti gyrata affectu. Verùm, demus gratis, nihil auctum aut diminutum, ſed omnia pura in textu adducto Æneæ. Quid tum? paucula ex Spondano, eiuſque ipſiſſimis verbis circa hiſtoriam Concilij prælibemus. Ait Syluius *triplicem inde emerſiſſe opinionem:* conſtat. *Aliis hæreticum* (Eugenium) *affirmantibus*; aliis etiam relapſum; tertiis nec relapſum nec hæreticum. Itaque in tres partes diuellebantur ſuffragia: Duæ primæ, quæ contraria Papæ ſapiebant, multum inferiores erant numero, & tam exiguæ, vt Ioannes de Turre-cremata mox adducendus, qui præſens aderat Baſileæ, nondum tamen erat Cardinalis; nouem tantùm enumeret ardentiores in Pontificem; cæteris, ſaltem in

Falſatio.

An. 1439. an. 22.

ſpeciem, pro ipſo militantibus. Hoc cernens *vir acuti Ingenij*, *Nicolaus de Burgundia*, Cyriacus, Pontificique ex animo plenè addictus, ſicut & cæteri fratres Ordinis ſui, qui Concilio intererant, opportunum iudicauit tempus ſtabiliendi nutantem Pontificem, & in priſtinum ac natiuum decus reſtaurandi; vt potè cum Pontificij, ingenti numero aduerſarios ſuperarent. Itaque rem conficiendam bono animo, inſtantique ſolertiâ curauit, arbitratus euentum fore proſperum: neque enim ſuſpicari fas erat Nouem oppoſitos innumeris Pontifici addictis, poſſe prævalere. Sed optimum conſilium fregit infœlix exitus, ex ignauiâ & torpore numeri longe excedentis, qui arte vel ſpe deluſus, inferiori numero euanidas dedit manus in condemnationem Pontificis.

Quod autem hæc fuerit mens Nicolai, inſtantis fortiter & vrgentis ad conſummationem Operis Patres, quos omnes ardentes & cordatos arbitrabatur, pluribus Indiciis euincitur. Primò quidem ex regula D. Auguſtini, docentis Authorum verba, vbi aliunde de mente non conſtat, ad prauum ſenſum non eſſe detorquenda, ſi bonus affulget: at verba Syluij, tunc temporis contra Pontificem agentis, hunc quem mox inſinuaui ſenſum, optimè recipiunt; Quaſi diceret Æneas. Nobis, quibus mens erat Eugenium damnare, nulla vel minima rei conficiendæ ſpes affulgebat, ob inferiorem longè numerum vocalium qui nobiſcum ſentirent; nec pro votis res contigiſſet, niſi acuta Nicolai Burgundionis qui pro Pontifice ſtabat, induſtria ac diligentia indefeſſa maturaſſet rei confectionem: quæ contrarium tamen eius expectationi exitum ſortita eſt, non tàm arte noſtrâ, quam pudendâ aduerſantium mobilitate, indecoro ac inſperato flexu ad conatus noſtros. Quid enim frequentius, etiam in foro ciuili, quàm litigatores intempeſtiuis queſtubus Iudices nondum paratos aut conſultò protrahentes moras, ad feſtinam litis quam ſibi tutiſſimam putant, expeditionem vrgere? Fallitque ſæpe eorum expectationem infœlix euentus. Interpretationis noſtræ circa verba Syluij, innocuus candor comprobatur, ipſius quem ſæpe cum Spondano laudauimus, Ioannis de Turre-cremata verbis, qui in damnatores Pontificis, fortiter inuectus, huius damnationis nouem tantum aſſignat promotores; ſeptem Epiſcopos & duos Religioſos (quo-

ſum nomen tacet) à ſui Ordinis obedientiâ Apoſtatas, & ſine Eccleſiis Cathedralibus Epiſcopos nominatos; & fortè, turpi Inſularum ineſcatione ad tale decretum allectos. Hoc incenſus zelo pro Altaris ac Pontificis iuribus, Ioannes de Turre-cremata, non peperciſſet veſti ſuæ, Nicolaum que Burgundionem Sodalem ſuum ſimul cum duobus illis Religioſis apoſtatis Eugenio aduerſis, notaſſet, & compreſſiſſet alto ſpiritu. Vnde & aliud deſumitur argumentum, Nicolaum à tali labe purgans. Compeſcuiſſent enim homuncionem illum (ſic vocat Nicolaum Æneas) Sodales eius, viri ſummæ intra Ordinem authoritatis & nominis; Kalteizen, Capreolus, Ioannes de Turre-cremata, ipſeque poteſtatem habens ſupra Nicolaum, Ioannes de Raguſio, totius Ordinis Prædicatorum tunc Generalis Procurator; fuiſſetque ſine mora in rebellem Sodalem ſæuitum. Hæc non expectabas, Petre: *vtinam ſaperes & intelligeres ac nouiſſima prouideres.*

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Auaritiæ Cyriacorum impudoratus affingit hæreſis Lutheranæ exortum.

NOnnemo item aduertit, hæreſim Lutheranam, & ſtragem quam ea Furia orbi intulit, infœliciter progerminaſſe, ex cupiditate nimia Cyriacorum, omnia ad ſe trahentium, & gratiâ quâ apud Pontifices valebant, abutentium, ad improuidorum exacerbationem; vt in Luthero, Stambiſio, ac Symmiſtis, liquidò eſt deprehenſum. Sed quia in eo exemplo, nimius fauor Cyriacorum, vnde exacerbatio æmulorum, non tam prodiit à Pontifice, quam à Cardinali Moguntino, Pontificis Legato; aptius erit exemplum Ioannis XXII. qui veluti Iacob Senex in ſuum Ioſephum propenſior, inuidiæ ac odij fomitem cæteris miniſtrauit. Tanta inquam, Ioannis in Cyriacos inclinatio animi, ita vt ab eis ad nutum circumageretur, quanta mala in Eccleſiam per illud tempus induxerit, nemo ignorat. Nam non modo Minores per Ioannem à Cyriacis concitatum male habiti, ſunt efferati; & Ludouico Bauaro adiuncti, multa mala Ioanni & Eccleſiæ, inflammato per Michaelem Caſenatem & Ochamum Schiſmate in- §. 35.

tulerunt; ſed etiam quoad doctrinam, (extra negotium tamen Fidei,) ea ſtatuta Ioanne curarunt; quæ quidem Pontifices poſteri reſciderunt, haud magno Ioannis honore; alia verò Scholaſtici, à Ioanne non niſi vt priuato Doctore ſtatuta, & idcircò citra noxam, repudianda aſſeruerunt. Sic Eccleſia, & Ioanni Pontifici, qui Cyriacos deperire videbatur, profecit tantus in eos amor.

RESPONSIO.

HOc legitimæ conſecutionis præiudicium, vt qui Hæreticorum cauſam ageres, indueres & perſonam, affectumque imitareris & ſtylum; ſicque abjectâ penitùs omni Religione, omnia quoque Religionis columina vno impetu conuelleres; hinc tres Cœnobitarum Ordines, illinc purpuram Cardinalitiam, Pontificiamque dignitatem, aprino dente proſciudens. Auguſtinianos enim, Minores, & Dominicanos, vt Lector aduertet, impetis; nec infra eris Carmelitis indulgentior, quatenus integer Mendicantium ſtatus, manu tua diſcerptus occumbat; eodemque fato concidant Purpurati Patres ac Pontifices Romani. Nec hic ſtetit effrænis audacia. Viſus eſt Tibi implantandus hæreſi Iudaïſmus, dum ſupremum Pontificem impudoratè dedecorans, vis Pontificiæ Majeſtatis aſſertor ſimul & deriſor haberi, more Iudæorum qui Chriſto alapam impingentes, flectebant genu, ſimul plectentes & proni: verberantes & venerabundi. Cur Lutheraniſmi incunabula petulanti manu euoluis & verſas, niſi fortè vt ſordentis filij pudica mater traducatur? Hæreſim illam vix enatam inuaſere Cyriaci eo zelo, quo ex primæuâ origine Prædicatorum Ordo in omnes planè errores exarſit; primuſque teſte Poſſeuino, qui in Lutherum ſtrinxit calamum, Syluester Prieras Dominanus, qui cæteros ad pugnam acciuit. Periit Hæreſiarcha quia perire voluit: propriâ cecidit malitiâ, non cupiditate alienâ. Curam prædicandæ Bullæ Cruciatæ contra Turcas, commiſerat Leo X. Alberto Archiepiſcopo ac Electori Moguntino, poſteà Cardinali; at cur eam Ordo Prædicatorum præ cæteris obtinuerit, reſponderet ipſe qui iuſſit Legatus, ſi rediuiuus non dedignaretur Tuam configere petulcitatem, quæ Transfugis à Fide probroſè indoles, vt Catholicos ac Religioſos viros probroſiùs pungas.

Audi tamen pro Cardinali Cardinalem, & pro Dominicanis ab omni næuo purgandis, Pallauicinum Cardinalem recenter ex Societate aſſumptum, liberè perorantem, vt labem quâ illos fœdare tentaſti, eluat. Ille enim tractatu quem nuper emiſit de Hiſtoria Concilij Tridentini, ſcribens contra Suabum, (cuius argutationes & impietatem mutuatus es, vt in Cyriacorum cupiditatem tanquam hæreſeos Lutheranæ omniſque ſtragis, quam ea Furia orbi intulit fœcundam originem; poſſes ad libitum & effusâ licentiâ debacchati) ſic ait: [Inſignis eſt calumnia, quod promulgatio Indulgentiarum commiſſa fuerit, non Fratribus Eremitis S. Auguſtini, ſicut alias factum fuerat, ſed Religioſis S. Dominici, quò maiorem pecuniæ ſummam ſibi conflarent, infamando ſic Religionem, quæ non minus integritate quam doctrina ſemper extitit Eccleſiæ decus & ornamentum.] Et ſtatim. [Papa commiſerat hoc negotium Alberto Archiepiſcopo Moguntino ex domo Brandeburgenſi; cui, ipſis etiam Hæreticis aſſentientibus, ſimilem Germania non habebat;] Subditque, Lutherum cùm in Indulgentias debacchatus eſt, adhuc ignoraſſe concreditum hoc munus Dominicanis..... Commiſitque, inquit, Elector delegatus, publicationem Indulgentiarum Ioanni Tetzelio Dominicano, qui paulò ante ſimili munere defunctus fuerat in fauorem Equitum Teutonicorum contra Moſchos pugnantium, qui aliunde doctrina, vitæ integritate ac officio Quæſitoris Fdei, huic negotio aptiſſimus erat. Non ergò ex Cyriacorum Cupiditate nec eximio Legati ad eos fauore, ſed aliunde originem traxit Lutheri, ſequaciumque ruina.

1.p.l.1. c.3 p. 9. n. 6.

Calumnia.

N. 7.

Audiſti Cardinalem, audi Epiſcopum, Cyriacorum quos tu impetis, cauſam propugnantem. An. 1516. inquit Spondanus, contra Theologos diſputauit Lutherus de Libero Arbitrio, meritis bonorum Operum, & Traditionibus humanis; *vt appareat iam animo eum corruptum fuiſſe, antequam Indulgentias impeteret, quod denique hoc anno* 1517. *cœpit.* Audin' Petre? Subiungit ſtatim. *Promulgarat Leo X. largiſſimas Indulgentias bello Turcis inſerendo & templo Vaticano S. Petri conſtruendo, vt quicumque in eos vſus aliquid erogaret, veniam peccatorum pleniſſimam conſequeretur. Eique negotio in Germaniâ præfecerat Albertum Archiepiſcopum Moguntinum, qui ad prædicandas illas Indul-*

N. 3.

N. 4.

gentias Ioannem Tetzellium Ordinis Prædicatorum delegit, qui nuper ſimili occaſione prædicationibus ſuis magnam pecuniam acquiſierat (Cui? ſibi an ſuis? non, ſed *) militibus Theutonicis aduerſus Moſcouitas & alios hoſtes.* Vide ergo quàm animo parùm Chriſtiano, ne dicam multum Hæretico, vt Hæreticis indulgeas, eorumque excuſes Apoſtaſiam, quam non potes nec audes approbare; in Ordinem Religioſum, in Legatum Apoſtolicum, Archiepiſcopum, Electorem, Cardinalem infrunito ore debaccheris. Sed parùm Tibi, Purpuratum Patrem infuſcaſſe, niſi & Pontificem ipſum, Chriſti Vicarium, horrendo ac multiplici propudio traduceres, Schiſmaticorum vindex profane. *Inclinatio animi ſeu cæcus amor*, inquis, *Ioannis XXII. erga Cyriacos, qui ab eis ad nutum & quocumque vellent, pueriliter circumagebatur, quanta in Eccleſiam mala per illud tempus induxerit, nemo ignorat.*

Irreligiò.

At quæ illa mala? Tria notas, Minorum exagitationem: Ludouici Bauari Imperatoris damnationem: doctrinæ parum ſanæ & à ſequentibus Pontificibus reſciſſæ euulgationem. Ergone puer, aut adeò debilis, Pontifex toti Eccleſiæ præſidens, vt effræni Cyriacorum ambitu ad nutum inflexus & circumactus, ex Sponsâ Chriſti Eccleſiâ, proſtibulum fecerit, & fontem omnium malorum? Petre, vbi honor erga Chriſti Vicarium? Vbi reuerentia erga ſupremam Sedem, caputque Eccleſiæ viſibile? Hæretici nunquam ſimile quid ructauere ad Pontificum ſubſannationem: nunquam à Transfugis, dehoneſtationis Sedis Apoſtolicæ par ſpecimen. In Te, vt vides, Tua retorqueo. Inter inhonorationes Pontificum Romanorum ea debet cenſeri palmaris, quâ malorum omnium ſcaturigo illis affricatur. Hoc pro leuiculo habet Pſeudo-Petrus, Ioannis Papæ criminator; mauultque ſuis aduerſus Cyriacos conatibus inhærere, & Schiſmaticorum, Sedis Pontificiæ hoſtium impoſturis, quam honori vnius Romani Pontificis, perfidè ac calumnioſè ab ipſo grauati, conſulere. Hìc ſanè Tua in Pontifices modeſtia & prudentia deſideratur. Exagitauit, inquis, Minoritas Ioannes, à Cyriacis inflatus & impulſus. Cauſas longe alias aſſignat Spondanus, quas, inſidioſe ſuſurro, non ignoras: & ego ob reuerentiam eorum, quorum intereſt, lubens prætereo. Bauarum damnat, quia Schiſmaticum & protectorem Anti-

An, 1317. n. 6. & 1327. n. 14.

Papæ Ioannis à Corbario; vt & aſſeclas eius Michaelem Cæſenatem & Ocham; non quidem inflāmatus à Cyriacis, ſed vt ait idem Spondanus[eoquòd Ioannes Pontifex ex ſpecula Eccleſiæ oculos quaqua verſùm circumferens, cùm animaduerteret præter cætera mala, per falſos Religioſos multos errores contra Fidem & Apoſtolicam Sedem diſſeminari, Inquiſitoribus commiſit, vt eos comprehenderent & in eos animaduerterent. Inter quos cum Michael de Cæzena &c.] *An. 1329. n. 6.*

Doctrinam autem Pontificis, quam dicis ab eo inuectam inſpirantibus Dominicanis, & à ſequentibus Pontificibus reſciſſam, non indicas. Meritò quidem tacuiſti, ne reuincereris mendacij, retruderturque in petulans os Tuum, indigeſta Garrulitas. Cæterùm, qui Pontifices, etiam vt priuatas perſonas, initio & multoties prædicaſti infallibiles; cur tam citò oblitus tui, ſic traducis vt ſcribas fallibiles, deceptos & correptos? Attende interim quàm æquus Ioannis Pontificis in Dominicanos amor, & an repudianda dogmata ei inſtillarent. Prædicat Pontifex Auenione coram Cardinalibus & populo, & de ſuſpensâ vſque ad diem Iudicij Animarum Sanctarum fœlicitate, mentionem facit: (quam Sententiam à multis Patribus inſinuatam, ab Eccleſiâ nondum omnino reprobatam, teſte Bellarmino, ipſe ante obitum plane reſcidit, nec vſquam aſſertiuè, ſed diſputatiuè protulerat, vt ipſemet declarauit & ſucceſſor eius Benedictus.) Reclamant ſtatim multi, *maximè Dominicani, quorum etiam vſque ad pœnas Zelus enituit*, inquit idem Spondanus. Amicus Ioannes, ſed magis amica veritas; quam in Pontifice ſemper venerati Cyriaci, inhæſere ei inuicti pugiles contra Hæreticos; in Fraticellorum profligatione: contra Schiſmaticos, in damnatione Bauari & Aſſeclarum: contra Paganos, in conuerſione Tartarorum, & vbicumque Religio Chriſtiana eorum ope indiguit. At vbi tantilla, vel vmbratilis à veritate Catholica deflexio innotuit, Deo, non homini addictos Cyriacos comprobauit eminens & intrepidus pro Religione Zelus, vincula deſpiciens & carceres, adeò inuicto ſpiritu, vt Bauarus ipſe iuratus eorum hoſtis exclamarit, auditâ incarceratione eius Cyriaci, qui pro fœlicitate animarum prædicarat; *Nunc cognoſco quod iſte Ordo eſt ordo veritatis*; Par teſtimonium reddidit ei ipſe Ioannes XXII. teſte Sopndano ibid.

Contradictio

L. 4. de Rom. Pont. c. 14.

An. 1333. n. 1.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Cyriacos abuſos officio Inquiſitionis clamitat, nec probat.

§. 36. *Idem Cyriaci concreditum Quæſitorum de Fide munus, tam dire præter Pontificum ſæpe numerò mentem obierunt, vt Populorum à Pontificibus abalienationem & Religionis à tam auſteris Miniſtris defenſæ horrorem, planè multis ingenerarint. Pontifices enim (quemadmodum alij quilibet Superiores,) mandata Miniſtris ſuis præſcribere poſſunt, dare prudentiam non poſſunt. Itaque homines Clauſtro & vepribus ſcholaſticis aſſueti, rudes apicum iuris, & à ſale quo omnia negotia vt prudenter obeantur condienda ſunt, malè conſtituti, feralitate ſuâ, ſimplices facile percellunt, non abſque graui Religionis detrimento. Quod in Hogoſtrato Cyriaco, ſeuerè notat Eleutherius Bizenus, & cum immani publici boni, & Eccleſiaſticæ Hierarchiæ ſauciatione deprehenſum eſt in inferiori Germania, cuius pleraſque Prouincias ſola Quæſitorum mentio à Catholiciſmo extorres fecit. Cumulat exacerbationem, quòd plerumque Cyriaci ſtillam Pontificiæ Authoritatis quâ imbuuntur, vertunt in exterminium eorum quos habent exoſos; ita vt iactare ſoleant, eos qui in ipſos incurrunt, memores eſſe debuiſſe; prælongas eſſe S. Cyriacorum parenti manus, & (quod de Sanctis Mauritio & Anthonio pridem auditum eſt,) neminem in eum impunè peccare.*

RESPONSIO.

EN tibi, Lector, diabolicas illas machinas, quibus arietata Fides, ſemper conualeſcit; coronata tot palmis, quot impetita telis, & in foſſis vulnerum, numerantur monimenta victoriæ. Hæ ipſæmet ſunt argutationes, quibus Hæretici omnis æui, vix enatum Inquiſitionis munus, vbique impetiere; hiſque ineptiis in inferiori Germaniâ Bataui, vt teſtatur hic eorum Apologiſta Pſeudo-Petrus, ſuam à Deo & Rege defectionem adornarunt, fecitque plures eorum Prouincias, ſola Quæſitorum mentio à Catholiciſmo extorres. Hanc obtendunt Transfu-

gæ, Apoſtaſiæ ſuæ futilem cauſam, & quia Ordinis Dominicanorum collactanea eſt Inquiſitio, cuius, ſub Innocentij III. beneplacito D. Dominicus ſator & primus Eccleſiæ Catholicæ Quæſitor; hinc Transfugarum omnium fœderata tela, quia Patrem in Cœlis regnantem nequeunt impetere, (ſicuti Hæreticis proteruior Petrus, qui eum hîc vellicat, vltrices ei affingens manus in domo gloriæ) in filios, & in concreditum filiis ab Eccleſia Inquirendi munus, reuocato impetu contorquentur. Seriis vt video, ſtatim fatigatur laruati Scriptoris debile caput. Indulgendum planè lapſanti cerebello, nec blandientis calami imbelle erit argumentum, ſi Ludionem ludicris aliquantulum focillemus, quem non poſſumus ſanare. Vulgatus eſt ille de Lupo cum Paſtore dialogus; tuque optimè calles belluinum idioma, Petre, vocaleſque animalium congreſſus, non ignotos Valli-clauſæ, cuius tu es inquilinus. Querebatur de cane, ouium gregi noctu diuque inuigilante guloſum animal; iurauitque fœdus, paſtori, ouili pacem, ouibus amicitiam, modo importunus & clamitans ille Cuſtos procul exularet. Certè Te iuramenti ſui obſidem obtuliſſet Lupus, ſi vlla Tibi fides ſupereſſet. Amotionem canis petebat inſidioſus hoſtis, vt mactantis fieret præda nullo obſiſtente, deſtitutum cuſtode imbelle pecus. Quid putas eſſe Fidei Quæſitores? Canes ſunt Gregi Dominico inuigilantes. Cuſtodes ſunt intrepidi ouilis Chriſti. Hos Hæreticorum legatus ſub laruâ latens, petit amoueri à Grege Saluatoris, maximè Cyriacos, quos oculatos & minis ac fauoribus ineluctabiles, propriâ & alienâ, domeſticâ & externâ experientiâ edoctus eſt, perſonatus Hæreticorum Apocriſiarius & Apologiſta.

Quadtuplici ratione probat ab hoc munere arcendos Cyriacos, quos Ignorantiæ, Imprudentiæ, Feritatis ac Tyrannidis inſimulat. Inſcitiæ, inquit, quia apicum iuris ignari. Imprudentiæ, quia Pontifices Miniſtris ſuis mandata dare poſſunt, non prudentiam, à quo tamen ſale omnia negotia vt prudenter obeantur, ſunt condienda. Feritatis, quia Clauſtro & vepribus ſcholaſticis aſſueti, quaſi feræ ſylueſtres, Vrſi aut Tygrides caliginoſo è ſpecu erumpentes, ſimplices animas feralitate ſuâ facile percellunt, cum graui Religionis detrimento. Tyrannidis denique, proprias iniurias auctoritate publicâ vindicantes, ſub *Calumnia 4.*

Patre Cælite, prælongas habente manus in exterminium eorum, quos Filii Cyriaci habent exoſos. Sic garrit laruatus Nebulo. Verùm vt ſingula ſtrictim ventilemus; Dic nobis, Petre, quoſnam impetis, an ſolos Cyriacos, an omnes etiam Religioſos, qui Quæſitorum officio defunguntur? Omnes planè, vt euinco. Numquid enim cæteri omnes Cœnobitæ, ſi Profeſſionem ſpectes, æqualiter ſunt apicum iuris rudes & ignari? vel ſi labori conceditur & ſtudio illa Scientia, ecquid Religioſi omnes æque ac Sacerdotes in ſæculo commorantes, poſſunt peruigili curâ hos apices condiſcere? Penitùs igitur amouenda eſt ab Eccleſiâ Dei Inquiſitio; quod tu intenderes, ſi Tuis præcludatur via: aut certe, ex hac parte ridiculum, petere Cyriacorum ab hoc munere amotionem. Præterea, ſi Cyriacis nequit à Pontificibus cum officio Inquiſitionis concredi prudentia; quibus infundetur? Non certe Tibi, putide Scurra, quia putrefacta ſale non condiuntur; nec dementatis conceditur prudentia. Iam probè intelligo: Clauſtrum horres & vepres ſcholaſticos, qui ignauos & ſciolos acuminato apice procul arcent. Sed hoc Argumento probas, cæteris quoque Regularibus, quibus aliqua vitæ auſteritas ſupereſt, præcluſum ad hoc munus iter. Imò & Sacerdotibus extra Clauſtrum degentibus, qui ſi docti & pii, vt miniſterium hoc exigit, debent vepribus ſcholaſticis eſſe aſſueti, & vitæ ab externis negotiis velut Clauſtro diuulſæ, innutriti. Vel hoc ergo titulo Cyriaci non ſunt ab officio remouendi, cui cum tanto orbis Catholici fructu inſeruiere; nec vſquam de ipſis, vti forte de aliis, conqueſti ſunt RR. Eccleſiæ Præſules, temeratam Hierarchiam in Germaniâ, Angliâ aut alibi: vel omnes qui Chriſto miniſtrant & altari, ab eo pariter ſunt excludendi.

Aut certè dùm omnes amoues, teneris offerre Pontifici alios huic Muneri aptiores, qui apices Iuris tàm Humani quàm Diuini, tàm Politici quàm Chriſtiani perfectè calleant, nullo præeunte ſtudio aut labore; quibus ſit congenita prudentia, non equidem Chriſtiana, quam ipſis inſpirare non poſſunt Pontifices, ſicut nec cæteris, iuxta verbum Tuum; ſed prudentia humana & vrbana, quæ non Pontificum abalienationem, ſed fauorem Principum; non horrorem Fidei, ſed Aulæ gratiam ingeneret: qui non

Clauſtri vepribus hirſuti & feralitate ſua ſimplices percellant ;|ſed faciles, indulgentes, acclines, palpones, aulici, omnibus omnia facti, vt omnium, non Deo corda; ſed ſibi bona lucrentur: qui non flammis aut patibulis addicant Hæreticos & Perduelles, vt fecere Quæſitores Cyriaci cum ſuo Hogoſtrato Colonienſi Inquiſitore; hæreſibus imminentes, vt præfocentur: Hæreticis vt reſipiſcant aut pereant; quod Tu Tyrannidem vocas. Sed qui palpent, blandiantur, ſuadeantque Transfugis, vt de Fide ſua quæſtionem, pecuniâ redimant; denique ſi benè penetraui mentem Tuam, (qui Te Tuoſque Valcluſinos velles non excludere ſed intrudere huic miniſterio) in hac Inquiſitionis reformatione, Pontificibus quibus non eſt datum ſicut Tibi, aptos eligere; offeres Quæſitores optimos, quos compaginabis hoc duplici Titulo venerandos; vt Religionem ſine faſtidio aut tumultu tueantur & implantent. Religionem tenentur fouere coram populis? Religioſo exterius habitu induantur. Hæreticos debent attrahere non repellere? demulcere non exterrere? Animum habeant indulgentem, aulicum, adulãtem. Et, vt vno verbo dicam, geſtabunt fabricati à Te Quæſitores, ſub habitu Religioſo animum ſæcularem. Bella meditatio! grande opus! Vade citò Romam, Petre; offer Pontifici Phantaſticos hos Fidei Quæſitores, cerebelli emoti & profani celebre figmentum, & lucratus eris, non Capitilauium, quod Te in ſequenti paragrapho manet; ſed ignem, quem bis expertus es in Galliâ; vt poſſis exclamare, Tranſiui per ignem & aquam, vtrique ſuperſtes, vt nec viuere nec deſipere deſinam. Attendant Lectores duplex inſinuatum à Paulo Quæſitorum genus, cuſtodiæ gregis Dominici inuigilantium: Illi indigitantur rigidi, hi molles: illi ſeueri, hi vrbani: illis præceptum; *Argue, obſecra, increpa in omni patientiâ & doctrinâ*: Hi prænunciantur *magiſtri prurientes auribus, quærentes quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti*: illi denique Quæſitores fidei ſacræ ac Catholicæ; hi quæſitores rei propriæ ac domeſticæ.

Audire lubet Sebaſtianum Salelles Societatis Ieſu Scriptorem, qui in primo volumine rerum quæ ad tribunal Inquiſitionis pertinent, ſic ait [Vita functus S. Dominicus miraculis innumeris clarus & in Sanctorum numerum merito relatus, hanc Inquiſitionis Oeconomiam (ipſe primus *Prolog. 3. n. 9.*

Inquiſitor) quaſi hæreditatem Filiis ſuis Religioſis ſui Ordinis reliquit, fungendi ſcilicet in quibuſcumque mundi partibus, etiam in hâc Inſula Melitenſi, ſanctæ Inquiſitionis munere, poteſtate etiam & Iuriſdictione per Breuia Pontificia ſimiliter ipſis delegatâ. Vti reuera (attende Petre) exactiſſimè & glorioſiſſimè ſemper fūcti ſunt & vſque in hanc diem in multis Italiæ locis funguntur, neque vnquam laboribus ac vigiliis, imo nec effuſioni ſanguinis & propriæ vitæ pro Fide & Religione tuenda ac pro officio ſanctæ Inquiſitionis exequendo pepercerunt. Varia

L.1.tit.1.c.5. in probatione huius veritatis exempla adducit Paramus. Nobis ſufficiat attigiſſe illud tantum quod præ cæteris valdè excellit, nempe Glorioſiſſimi Petri Martyris &c.] Addemus & nos alios Inquiſitores pro Fide glorioſè occumbentes. An. 1213. ſub Gregorio IX. Frater Ioannes Hunguetus Inquiſitor Pannoniæ, ab Hæreticis lapidatur, teſte

C.2.fol.59. Leandro Alberto. An. 1242. P. de Planedis veneno ex-

L.1.c.4. tinguitur. Ita Diagus. Eodem tempore iuſſu Comitis Toloſani hæretici, ſex Fratres in odium Inquiſitionis & Fidei decollantur, tuleruntque capita ſua ad Conuentum Toloſa-

L.2.f.59. num eodem Alberto teſte. An. 1261. Franciſcus Toloſanus Inquiſitor, ab Hæreticis ſpinis coronatus, ſagittis configi-

1.p.l.2. tur, teſte Michaele 1277. Petrus Cadileta in Catalaunia

l.1.c.5. Inquiſitor, lapidatur teſte Diago. Eodem anno Paganus de lego Inquiſitor Comenſis, ab Hæreticis lanceâ præfocatus occumbit, vt refert Caſtillus. Vt cæteros taceam. Viden

1.p.l.2.c.12. Petre, quibus Inquiſitio concreditur?

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Contendit iniurios eſſe Pontificibus Cyriacos, ex iniuſtâ Cenſurâ Librorum.

§. 37. *Nec prætereunda prorſus eſt plaga, quam Cyriaci honori Pontificum inferunt, per iniuſtam perſæpè librorum damnationem Romæ per eos factam vel curatam; de qua tot querelæ verbo ac ſcripto pridem inſonuerunt ab Hæreticis; nec rarò à Catholicis, ſe iniuriâ oppreſſos videntibus. Nam cum omnes Cenſuræ Romanæ, quia fiunt per participatam Pontificis authoritatem, refundantur aliquatenus in Pontificem, probra*

Cenſuris malè irrogatis deriuata, honorem Pontificum ſauciant, nec rarò exteros a Catholica Eccleſia, (cuius caput eſt Pontifex) communione abalienant. Omnem porrò hanc culpam in Cyriacos eſſe referendam, perſpicuum eſt, nam vel ipſi ferunt Cenſuram, vt facit pro poteſtate intra diſtrictum Vrbis Romæ, Magiſter S. Palatii; vel curant Cenſuram: ſiue in Tribunali S. Officij, Commiſſarius Cyriacus, & Collega item Cyriaci; ſiue in Congregatione Indicis Secretarius; qui item eſt Cyriacus, cuius eſt referre libros damnandos, & Cenſores proponere. Et cùm ipſe Secretarius ſæpe ſit rudis bonarum literarum; (cuiuſmodi fuit qui munus illud obiuit per annos plus quam viginti; F. Ioannes Baptiſta Marinus; de quo Prælatus Doctus aſſerebat, eum ſibi eſſe perſpectum iam ab annis octo ſupra viginti, & poſſe dubitare, an intelligeret linguam latinam:) quid ſperari poteſt à Iudicio per talem Arcadicum Opilionem intentato, cui adſunt Qualificatores Palpones, ad eius nutum parati quiduis audere ac præſtare, velificantes ei per omnia, vt apud Pontificem, quem ratione muneris Secretarius frequenter adit, commendationem reportent, quæ illis via ſit ad Infulas, aliamue pinguem ſortem? Inde plerumque indigna librorum optimorum proſcriptio; tantùm vt Frater Cyriacus exſaturet ſua vel Ordinis erga Authorem odia: ſapientibus & Pontificum amantibus, ad ſannas Allophylorum erubeſcentibus atque mœrentibus. Tange miſer venas, & pone in pectore dextram F. Marine; In die Iudicij, hæc in tuo capite faba cudetur.

RESPONSIO.

EVoluti capitis rota nuſquam conſiſtet, nouis concitata circulationibus; fitque ex incremento motûs, imminutio iudicii & pudoris. Quæ circa Cenſuram librorum hic obtrudis, Petre, non depello, quia ex condicto de iis actum eſt §. 2. Nunc id ſolum excutio, quod in R. P. Marinum procaci ore euomis; virum ex illuſtriſſima *Iuſtinianorum* familiâ oriundum, virtute adhuc clariorem: olim ſacræ Indicis Congregationis Secretarium, nunc totius Ordinis Fratrum Prædicatorum Generalem Præfectum: quem vt cum vniuerſo Ordine fœdiſſimè dehoneſtes, vltimæ ignorantiæ inſimulas, tanquam rudem linguæ Latinæ, *Arcadicumque Opilionem*, ſeu Ductorem aſi- *Contumelia*

norum. Vtrumque conuiciandi genus, mutuatus es à Lutheri fœculentiſſimâ Satyrâ, quam in præfatum Ordinem ſcripſit; quemque expertus eſt implacabilem inimicum, ex quo à Fide Catholicâ deuiauit. Beſtias enim, Belluas, Porcos, Aſinos vocat Dominicanos Apoſtata, quorum telis vndique impetitus, rabioſè furit. Huius Tu inhærens veſtigiis, eiuſdem, in quem ille ſæuit, Ordinis Præpoſitum, vocas Opilionem Arcadicum, ſeu Aſinorum ducem & imperitorum imperitiſſimum. Sic præceptor Tuus Lutherus (cuius doctrinæ es tenaciſſimus) teſte Coclæo, Leonem X. reprehendebat quod in pretio haberet Syluestrum Prieratem S. Palatij Magiſtrum, ſimul cum S. Thomâ, quos Hæreſiarcha proteruiſſimè contemnebat; deſpuens vtrumque, quòd (vt mentitur) nudis verbis incedant, ſine ſcripturâ, ſine Patribus, ſine Canonibus, denique ſine vllis rationibus, tanquam rudes & ignari. Hoc Tu duce, procaciter debaccharis in R. P. Marinum, quaſi omnino ignarum Linguæ Latinæ.

L. de act. & ſcriptis Lutheri in an. 1518.

Attende impudorate Nebulo. Qui antequam ad Magiſteriū in re Theologicâ intra Ordinem, eueheretur, publicè docuerat; & per viginti annos ſummâ cum laude, ſacri Indicis Secretarius, Latino idiomate coram ſacra Cardinalium Congregatione, quæ agitanda erant propoſuit, linguam Latinam non intelligit? Huius Imperitiæ quem adducis teſtem? Prælatum, inquis, Doctum: ſed Anonymum, incognitum, imò fictum; vt calumniæ ſufficiens confutatio ex ſolâ propoſitione emicet. Tot autem annis ruditas & imperitia tanta Patres Purpuratos, ſupremoſque Hierarchas latuit, coram quibus paſſim Latinè diſſerebat ille, quem Tu linguæ Latinæ Ignarum confingis? Recidit itaque in Cardinales ac Pontifices contumelioſa hæc Tua procacitas, cui confutandæ quid amplius immoremur, cum exſufflettur ſibilo publico tanquam à Morione furioſo effutita. *Tange Miſer venas, & pone in pectore dextram*, perſonate Senex. *In die Iudicij*, quod octogenario imminet, *hac in tuo capite faba cudetur*; dabiſque pœnas impactæ calumniæ viro Religioſo & de Eccleſiâ Dei bene merito.

Calumnia.

Poſtulant itaque Iuſtitia & Charitas, vt recipias à me *Capitilauium* ſimile illi quod reportauit à D. Auguſtino Iulianus Pelagianus, qui tantum Doctorem ridebat, & ſtylum eius velut barbarum; ignarumque bonarum litera-

tum petulanter inclamabat. *Miror ſi hoc aliquando poſſit ore procedere, quod Te tamen clamare grauitas Tua compellit erroris* (& liuoris) *Sed mirum ſi in facie hominis tantum interuallum eſt inter frontem & linguam, vt in hâc causâ frons non comprimat linguam. Cum inſana dicis & rides, phrænetico es ſimilis. At non planè riſum, ſed fletum potius intelligentibus tuus commouet riſus; ſicut mentibus amicorum ſanorum, fletum commouet riſus phreneticorum. An ita es fatuus, vt fatuitatem nullum malum putes, cùm Scriptura dicat, mortuum ſeptem diebus, fatuum vero omnibus diebus eſſe lugendum? Quis autem neſciat quos vulgo Moriones vocant, natura ita fatuos, vt quibuſdam eorum penè ſenſus pecorum conferatur?* Hæc pro Tuâ reuerētia expectare debuiſti, dum Ordinem Prædicatorium pietate ac ſingulari Doctrina præcellentem auſus es vocare ſocietatem Aſinorum, eiuſque Præfectum Generalem, rudem & ignarum linguæ Latinæ Opilionemque Arcadicum. L. 1. L. 4.

Vt debitâ huic Reflexioni Clauſura imponatur, retundaturque pleno ore Calumnia, quæ rebelles Sedi Pontificiæ Cyriacos propalabat, ſubiiciendum eſt illuſtre ſpecimen, quo eorumdem perfecta ad eamdem Sedem Deuotio & Famulatus Lectori innoteſcant. Ait itaque Spondanus cuius verba exſcribo [Miſit Ioannes XXII. ad Regem Armeniæ petitam ab eo Formulam Fidei; cùm licet eſſent Armeni Religione Chriſtiani, multis tamen erroribus priſcarum hæreſum infecti eſſent: in quibus ad Fidem Orthodoxam reducendis laborauit hoc tempore quidam *Bonauentura* cognomento *Paruus*, Patria Bononienſis, Ordinis Prædicatorum, eo fine à Sede Apoſtolica in Armeniam cum poteſtate miſſus Archiepiſcopali, qui doctrinâ & pietate præſtans, innumeros conuertit, templa quamplurima ædificauit, Cœnobia Prædicatorum erexit, ac demùm hoc ipſo anno die Aſſumptionis B. Virginis, plenus bonis operibus ibidem piè in Domino obdormiuit, viuens & mortuus, miraculis clarus. A quo tempore Prouincia illa quam ipſe potiſſimum excoluit, ducibus FF. Prædicatoribus in Fide ac Religione Catholicâ hactenùs perſeuerans, id etiam, ipſo præcipiente, obſeruauit diligenter, vt ipſius *Catholicus* (ſic enim Primatem vocant) confirmationem electionis ſuæ à Romano Pontifice depoſcere ſollicitus, ſolituſque fuerit.] Qui alios ſubiiciunt Sedi Apoſtolicæ, ipſimet iugum excutient? *An.1318.n.6*

TERTIA REFLEXIO.

Au Cyriaci ſeu Dominicani ſint Impij erga Sanctos.

DVLCE aliquando pati, quod pungit, ſæpe titillat; ſuntuè quædam quæ corpus quoque noſtrum cum quodam dolore delectant: vt verſare ſe, mutare nondum feſſum latus, & alio atque alio poſitum ventilari. Qualis eſt Homericus ille Achilles, modo pronus, modo ſupinus, in varios habitus ſe ipſe componens: quod proprium ægri eſt, nihil diu pati, & mutationibus vt remediis vti. Ægrum ſané & inſanabilem, Petre, probat Te mutatio irrequieta locorum & rerum: peregrinationes ſuſcipit vagas, littora pererrat varia, modo terrâ, modo mari ſe experitur, præſentibus infeſta ſemper leuitas. Reginæ mentium Religionis Chriſtianæ oras, leuiſſimâ deuectus cymbâ, attigiſti; vt fallaci ad Incolarum aures ſuſurro, Cyriacos violatæ fidei reos, aut ſaltem læſæ ſupremi Hierarchæ Maieſtatis perduelles obtruderes. Sed infœlix vtrobique conatus, renunciante Tibi famâ publicâ, ipſos *quos profano liuore* Inſequeris, tot experimentis & periculis probatos, arcibus Fidei præeſſe, inſignioribuſque apud Pontificem miniſteriis defungentes, omnibus Eccleſiæ Catholicæ hoſtibus, aut Hæreticæ prauitatis emiſſariis ferales paraſſe flammas. His territa documentis mens ſibi conſcia, reflexo tramite ad nauem properat; ignemque toties ſibi intentatum fugiens, aquæ ſe iteratò committit, nouum tentaturus orbem laruatus Senex; cælicum inquam & fœlix Syſtema, vbi Sanctorum quieta ſedes: hoc animo, vt violati eorum cultus, temerataeque Sanctitatis fuligine aſpergens Cyriacos; impietatis inſimulet, quos nequiuit Hæreſeos aut perduellionis nota infuſcare. Hoc tentat integrâ 3. Diatribâ, diuiſis caſu, non electione, in triplicem ſuggeſtum beatæ domus Confeſſoribus. Cauſam Deiparæ primo loco agit; altero Apoſtolorum, tertio denique inferioris notæ

Cœlitum,

Cœlitum. Sed ô fluxum vndique & quibuſuis impetentium plagis peruium Blateronem; tam effusè, tam obuiè craſſéque peccantem, vt pro vno mentis vitio, non peccare videatur; dum quem Cyriacis conatur mente volaticâ & lymphatâ impingere, impietatis erga Sanctos næuum, contrahit ipſe, euaditque innatâ nocendi peruicaciâ, cæli terræque publicus hoſtis. Verùm contra huiuſmodi Homulum, non egemus gladio ancipiti & ferreo; ſufficit ex Auguſtino Pelagium irridente, pugio plumbeus, decetque ſolâ ſubulâ armatum, pro Diis in arenam deſcendere. Audiamus ergo perſonatum hoſtem, ſenili ore iuuenilia promentem nugamenta, vt proprio confoſſa enſe, occumbat irreligioſa & aculeata Dicacitas.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Imponit Reginaldo circa Conceptionem, & Donato circa Litanias.

AVſpicabor ab ea quæ etiam in ſua imagine, (vt Damaſc. Orat. 2. de Imag. dixit,) Sancta Sanctorum eſt; ab ipſa inquam Deipara ordiar. Hæc mater Chriſtianorum, & mortales omnes ſibi obærauit, & quod Hyacintus Coquetius integro volumine eſt executus, innumeris Beneficiis Ordinem Prædicatorum ſibi oppignerauit. Quàm grati erga eam ſint Cyriaci, & quàm afficiantur erga eius venerationem, hâc breui ratiocinatione demonſtro; quam fateor meam non eſſe, ſed præſtantis in paucis Theologi, Gregorii de Valentiâ 3. p. diſt. 2. q. 1. p. 2. §. 38.

DIATRIBA 3.

Qui eſt pius erga B. Virginem debet de ea ſentire & loqui quàm honorificè poteſt, & quantum per Eccleſiam licet. Atqui Cyriaci nolunt ita ſe gerere: Sunt ergo parùm pii erga Beatam Virginem. Forma Argumenti eſt legitima. Maior eſt per ſe euidens: Quis enim eum cenſuerit pium ſiue beneuolum, & bene affectum erga aliquem, qui ſi poſſit de eo bene ſentire & loqui honorificè; idque abſque errore & culpâ vllâ præſtare poſſit, malit tetram aliquam labem ei inurere, & de eo loqui ſpurca aut indigna? Non puto fore hominem ſanæ mentis, qui id inficiari poſſit, & maiorem illam propoſitionem reiicere. Minor neque eſt minùs perſpicua: Nam cùm ingens decus B. Mariæ ſit,

ſemper caruiſſe non modo minutalibus peccatorum, (quod eſt Fide certum) ſed etiam multò magis mortali peccato; cui, niſi deleatur, æterna damnatio iuſtè ſit rependenda; quale eſt peccatum originis. Cùm item fas ſit omnibus Fidelibus, ſentire, Beatam Virginem propter honorem Chriſti ex ea concipiendi, caruiſſe peccato illo mortali, quod omnes in primo ortu contraximus: docente Eccleſiâ in eo iudicio de Beatâ Virgine, nullum eſſe periculum Erroris practici; & eadem Eccleſiâ ad ſic ſentiendum inuitante Fideles, ſtipe Indulgentiarum de ſacro Theſauro in eam rem erogatâ; & denique cùm omnes vbique Fideles in eam exiſtimationem magno ſtudio ferantur: à ſolis tamen Cyriacis *nunquam extorqueri potuit, vt vnanimem cæterorum de Beatâ Virgine ſenſum, complecterentur. Et quamquam non ſemel, nec vno modo contuſi ſint eâ de causâ, populorumque zelo non ſecundùm ſcientiam, fortunarum & corporum periculum, non infrequenter incurrerint, ferociæ multitudinis in* Germaniâ, Galliâ, *Hiſpaniâ, Luſitaniâ, & alibi ægrè ſubducti; nunquam tamen emolliti ſunt; ſed ſupra adamantem duri inflexique perſtiterunt.*

Inſuper Pontificum, ſcandalis proſpicientium fortibus lupatis atque linguariis, nunquam ita frænari valuerunt, vt ceſſarent plebem fidelem hâc in parte perturbare: non verbo tantùm in concionibus & priuatis colloquiis, in quibus mulctatam perpetuo ſilentio opinationem ſuam de maculatâ Conceptione, ſerere vetabantur; ſed etiam ſcriptis libris in lucem publicam datis. Exemplo eſto, Frater Antoninus Reginaldus, qui opus virulentum contra immaculatam Deiparæ Conceptio*nem, fartum horrendis in* Deiparam *iniuriis & à capite ad calcem refertum mendacibus allegationibus, aut perverſè detortis ſententiis Patrum; auſus eſt Toloſæ nuper prælo ſubiicere; nihil veritus Romana interdicta toties iterata. Quod dixi eum librum horrendis in Deiparam iniuriis ſordere, non eſt quod cenſeatur dictum per amplificationem: Nam non modo peccatum Originale B. Virgini tribuit, quæ ſanè magna labes eſt, ac ſi poteſt non tribui, (vt ſanè poteſt,) abſtinendum eius irrogatione fuit: ſed etiam pag. 15. tradit* B. Virginem vſque ad momentum incarnati in ea Verbi, fuiſſe contaminatam peccatis actualibus. *Pag.* 77. ait B. Virginem fuiſſe ſuccenſam fomite peccati. *Et pag. 33. dicit* œſtu flagranti carnalis concupiſcentiæ arſiſſe, & omni vitiorum ſorde fuiſſe maculatam. *Pag. denique 67. tradit,* B. Virginem in

peccatorum puluere fuiſſe concultatam. *Vah ſcelus! & quæ tantum libri portentum inferna vomuerunt? Continentur ea prepudia, in libro Authoris Ord. Prædicatorum; cui nomen ſiue verum, ſiue prætentum*, F. Petrus à Vincentiâ. *Eum librum (vt dixi) F. Antoninus Reginaldus qui priùs inter Reformatos Ordinis ſui degens, poſtea abiecit Reformationem, dedignans alienâ viuere quadrâ. Et quamquam non prorſus inanis dubitatio pleroſque pulſauit, eſſet ne id opus fabrefactum de nouo à Fratre Reginaldo, an verò eſſet Compendium ſiue laſcinia maledici operis per vincentium Bandellum olim contra Deiparam editi, & à Sixto IV. Variiſque iam olim Pontificibus ſub Anathematis pœna ſuppreſſi; tamen in eo vel edendo vel recudendo, operam F. Reginaldi interueniſſe fuit exploratum: nec ipſe inficiari potuit. Et idcircò iudicio ſupremæ Inquiſitionis Romanæ mulctatus eſt. Beneuolentiâ tamen & conniuentiâ F. Ioannis Baptiſtæ de Marinis, ad quem correctio tantæ temeritatis & audaciæ ſpectabat, fertur ſletiſſe in ſuo gradu ad finem vſque temporis præfixi ab Ordine, obeundo muneri quod gerebat, calcato ſacrorum Quæſitorum Iudicio.*

Attexenda eſt huic loco inſignis exclamatio F. Vincentii Can*didi Ord. Prædicat. S. Palatii Apoſtolici Magiſtri. Is cum ad ſe delatum eſſet, ad exorandam cudendi facultatem, opus R. P. Hyppoliti Maraccii Ord. Clericorum Regularium Matris Dei, cui Titulus eſt*, Bibliotheca Mariana; *vbi vidit tot in eo opere ſignari Authores pugnantes pro nitore Conceptionis B. Virginis, & eius immunitate à peccato, ſublato in altum clamore*, Eia (*inquit*) tot Authores pro immaculata? *Ad quid hoc?* & quorſum tantopere extollere eum titulum? Etiam beſtiæ concipiuntur ſine peccato Originali. *Quis loquitur? aut vbi tam beſtiales voces funduntur? Romæ, Magiſter S. Palatii, tale ſpurciloquium emiſerit? Fuit qui his auditis reponeret, hunc Grunnitum genuinum eſſe eius, qui auditus eſt à Manichæis teſte D. Auguſtino, cùm vrgerentur à Catholicis, quod nullas haberent ſacras Virgines, ſicut habet Catholica Eccleſia: repoſuerunt enim*; Quid hoc? etiam mula, virgo eſt. *Indignè dictum; dignè repoſitum, nec eſt opus Apodoſi; cùm per ſe liqueat. Quis crederet, hominem effœtæ iam ætatis, primario munere literario in Pontificia aulâ fungentem, tam aureis mille quingentis annui cenſûs; in ſpeciem verò adeò pium, vt cuicumque ad eum venienti, ſuopte nutu ad pedes oſculabundus accideret; de Matre Dei, adeò inuere*

cundè loqui potuiſſe, vt cogantur tanta Matris amantes, eru-beſcere & conteſtari; Nolite annunciare in Geth, ne-que audiatur in compitis Aſcalonis. Doleo quòd tantum tur-piloquium Scriptor inſignis, ſua pro Deipara Conceptione tractationi immiſerit. Quid enim apud Hæreticos excuſabimus, ſi talia Romæ, à tali viro, de Matre puriſſimâ obiiciant eſſe effutita? Continens eſt huic impietati, quod indubiis teſtibus compertum eſt, fuiſſe ibidem Romæ geſtum, per fratrem Gre-gorium Donatum Ord. Prædicat. ſocium Magiſtri S. Palatii; qui iuſſit expungi ex opere Aſcetico Ludouici à Ponte titulum puriſſimæ Matris; qui in Litaniis Lauretanis auctoritate Pon-tificum probatis & per vniuerſam Eccleſiam ſummâ conſen-ſione vſurpatis, inſonat. Sic obſeruant & colunt Cyriaci Ma-trem honorificatam.

RESPONSIO.

CVnctis animantibus terræ callidior ſerpens, & ſub laruâ ſerpentis latens dæmon, ad vetitam arborem primorum Parentum innoxias adhuc manus vt attrahat, grauatos aut notatos hac prohibitione cauſatur, vt fictum crimen, verâ præuaricatione comprobent, non eluant; fiatque humanum genus duplici letho mortuum, licet vix natum. Iniecta fraudulenter & iterum renouata de Conceptione mentio, arbor eſt prohibita. Oſtendimus enim fusè in primâ Reflexione, impoſitas ſilentii leges; & ſicut denegatum Cyriacis, hâc de re publicè loqui; ita præceptum aduerſariis, dicam melius, prohibitum, importuno queſtu & mordaci interrogatione pulſare Religioſum ac obſequens Dominicanorum ſilentium. Tu tamen, Petre, velut ſerpens, cum ſupinâ ſtoliditate nectens nouum ſacrilegæ calliditatis pruritum, me ad arborem vetitam prouocas; vt impactam à Te, & in Te vindicatam duplici buſto impietatem in Deiparam, qui purgare non potes, mollias ſaltem, ſi me ſocium & complicem violatæ prohibitionis poſſis habere. Cautum itaque ſit & toti Catholicæ Reipublicæ comprobatum; obſeruanda Religioſo famulatu Pontificum decreta, qui quaſi æquale nobis in hac parte ſilentium indixere: Eædem enim leges Tibi quiritandi præripuere anſam, quæ mihi præcluſere reſponſum. Quid ergò me tentas, hypocrita? Relaxo Te Hypocrati ſimul & Harpocrati curandum; vt dum ille refrigerabit cerebellum

Procacitas.

intempeſtiuo calore ebulliens, hic linguam compeſcat petulantem; ſi non Chriſtiano, ſaltem Philoſophico fræno obſecuturam, vt in poſterum in hâc materiâ, inſulſa & irreligioſa garrulitas obmuteſcat, fortibus lupatis ac linguariis cohibita.

Verùm dico Tibi, qui falſa ſemper effutis; ſi poſſet licitè, deberetque rationabiliter Petulciras Tua contundi, temperantiùs certè hanc materiam ventilares. Interim vbi liberè excurritur extra illam materiam, collato pede decertemus. Matrem Chriſtianorum Deiparam, quæ ſibi cunctos mortales obœrauit; ſingulari titulo Cyriacorum Parentem, quæ prædilectam Sobolem propria veſte contexit, quis reuerentiori animo excoluit? Num Tu, qui horrendæ in eam Impietatis, duplici Senatus-conſulto es conuictus; an Dominicani, quorum nomine Hyacinthus Coquetius integro volumine & gratitudine humillimâ, memor beneficiorum quibus ſibi Ordinem Prædicatorum oppigneravit, deuotis eam celebrat obſequiis? Quam ergò gratioſos erga eam ſe præſtĕt Cyriaci, quoue piæ venerationis æſtu erga ipſam efferueant, Cyriacorum ego minimus, æquiorem in Te ſtringens calamum, tanquam in Deiparæ Virginis ac colendiſſimæ Inſtituti mei Parentis profanum traductorem, hâc breui ratiocinatione demonſtro, quam fateor eſſe meam; dum aliunde vt Tu fateris, emendicatam à Te, & à me in Te directam; Tuam poſſim dicere & meam, vt potè de me in Te relabentem. Obſerua igitur attentè verba Tua reflexo ictu in Te contorta, villane Theologaſter.

Qui pius eſt erga B. Virginem, debet de eâ ſentire & loqui quàm honorificentiſſimè poteſt, & quantum per Eccleſiam licet: Atqui Tu noluiſti ita Te gerere; Tu es ergò parùm pius erga B. Virginem. Forma argumenti eſt legitima. Maior eſt per ſe euidens: Quis enim eum cenſuerit pium, ſiue beneuolum & benè affectum erga aliquem, (potens & neruoſa expreſſio, quæ Tua eſt,) qui ſi poſſit de eo benè ſentire & loqui honorificè, idque abſque errore & culpâ vllâ præſtare poſſit, nolit, malitque tetram ei aliquam labem inurere & de eo loqui ſpurca & indigna? Non puto fore hominem ſanæ mentis, qui inficiari id poſſit; & maiorem illam Propoſitionem reiicere. Minor non eſt minùs perſpicua, Petre, ex vtroque capite. Primò

enim; aſſerere gratiam B. Virginis ſuperaſſe gratiam omnium Hominum & Angelorum, pium eſt, beneuolum & ſummi affectûs erga eam inſigne argumentum; poteſtque ſine errore & culpâ vllâ hoc illi decus & priuilegium præſtari: At Tu noluiſti, imò §. 66. crimini vertiſti Cyriacis, hanc B. Virgini immunitatem & prærogatiuam aſſerentibus: Ergò ex hâc parte, Tua erga B. Virginem pietas deſideratur. Ex altero capite, Te ſpurca & indigna, de Dei Matre locutum, euicerunt, & toti Orbi funereæ faces geminatâ carnificum manu intimarunt. Subſumo, Tua in Te vibraturus. Non puto fore hominem ſanæ mentis qui id inficiari poſſit, & maiorem Propoſitionem illam reiicere, quæ vera eſt & Tua: Minor non eſt minùs perſpicua, nec minùs Tua. Argumentum vt tu fateris, eſt in forma: Ergo nec ſanæ mẽtis es homo, & multæ in B. Virginem impietatis conuictus manes. Pietatis in Te defectũ probauit diſcurſûs Tui materia, dum negas Deiparæ inſignem prærogatiuam, quam ei Cyriaci aſſerunt: mentis autem inopiam explicat ipſa Diſcurſûs & argumentatiunculæ forma, quæ Te ipſum inuoluit & coniectum à Te in Dominicanos parricidiale crimen; in Tuum caput recto tramite detorquet. Non itaque impunita Peruicacitas; dum enim velut ille draco Apocalypticus (qui ſerpentis ſpecies eſt) enitenti imminebat Mulieri, vt poſtquam peperiſſet, deuoraret filium eius; quod ex ore Dei prædixerat Moſes, *Ponam inimicitias inter Te* (ſerpentem) *& mulierem & ſemen eius*, ſed iuxta oraculum, Mulier contriuit caput ſerpentis: Ita dum Tu velut ſerpens, de arbore prohibitâ tanquam de ſuggeſtu loquens, (& per os Tuum ſibilat) laruatus dæmon, conatus es Ordinem Prædicat. ſpeciali & multiplici Titulo Virginis Deiparæ filium, deuorare; contriuit caput Tuum Mulier illa cæleſtis Romæ, Te in Tenebrione Tuo, affigens ferali patibulo inter furciferos; & Toloſæ ac Aquis Sextiis in Gallia, incinerans Te vltrice flammâ.

Inſania.

Cæterùm de Antonino Reginaldo recocta crambe, toties expuncta & ſcriptis publicis ab eo confixa, cur à Te reponatur non video, niſi vt famoſum Tuum illum Libellum *fartum horrendis in Deiparam iniuriis, & à capite ad calcem refertum mendacibus allegationibus, aut peruerſè detortis ſententiis Sanctorum Patrum*; vanis & ridiculis infla-

ſes, qui veris ac ſeriis extendere non poteras. Centonem ille ex Patribus & Doctoribus Catholicis conflatum, & ab antiquo Authore in lucem publicam editum, prælo tantum iteratò commiſit, non condidit. Voluiſti Tu, Tibi ſemper ſimilis, primum hunc 3. Diatribæ paragraphum inſigni mendacio obſignare; importunis repetitionibus vſque ad nauſeam excreſcentem; dumpræfatum Reginaldum ea de causâ, vt fingis, iudicio ſupremæ Inquiſitionis Romanæ mulctatum, (vbi decernunt Cardinales & ſummus Pontifex præeſt:) beneuolentiâ, ac conniuentiâ R. P. Ioannis Baptiſtæ de Marinis, cui nulla in tribunali Inquiſitionis poteſtas, ab impoſitâ mulctâ exemptum aſſeris, calcato ſacrorum Quæſitorum Iudicio; quod quàm ridiculum & ſenſui communi ſit abſonum, vident etiam qui nihil vident. Eiuſdem furfuris eſt, quòd, eidem ob imperatum de Conceptione ſilentium illudens, ſubdis de P. Vincentio Candido Ord. Prædic. Magiſtro S. Palatij exclamante, dum vidit in opere, cui Titulus eſt, *Bibliotheca Mariana*, *tot Authores pugnantes pro nitore Conceptionis B. Virginis*; *Quorſum tantopere extollere illum Titulum*; *etiam beſtiæ concipiuntur ſine peccato originali.* Magiſtrum S. Palatij, quem celeberrimæ de Theologicis Lucubrationes inſignem reddidere in orbe literario, hoc ſcurrili Ludibrio, ridiculum probare voluſti, infamis Ludio. Scito Te ſummè ridiculum qui hæc ſcribis; magiſque adhuc illum qui Tibi pudenda hæc figmenta ſubminiſtrat. Hæc Scurram ſapiunt, non Theologum, vnde & liberiori cachinno explodenda: punienda autem impudorata illa falſatio duplex qua imponis Petro à Vincentia Cyriaco, ſcripſiſſe pag. 15. *B. Virginem vſque ad momentum incarnati in ea Verbi, fuiſſe contaminatam peccatis actualibus.* De quo nec Verbum: Sicuti nec verum ibi locutum ex propria mente, ſed tantum retuliſſe verba Magiſtri Sententiarum. Sic de aliis.

Mendacium.

Scurrilitas.

Falſatio.

Miſelle, in peccato originali Te conceptum demonſtrat pœna comes, frequentiſſimis linguæ & mentis lapſibus comprobata; ſicut & finali caſu abſumendum præſignat, (niſi reſipiſcas) inueterata Maledicentia, quia ſcriptum eſt, *Neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt.* Hoc Te anathemate inuolutum agnoſce, qui *tale ſpurciloquium emiſiſti*, tanquam faber & propola. *Grunnitus* iſte tuus,

1. Cor. 6.

mulam indicat, quam Manichæus Virginem dixit. Mula, vt dicitur, & ſentiunt multi, recalcitrat in dominum ſuum ſæpe; at nuſquam in matrem: Vnde ſi iuxta Manichæum, *Virgo Mula* inſcribitur, fortè quia pudica, pudorata, ob inuiolatum naturæ erga parentes ſeruatum pudorem & obſequium: Tu verò, Mula non Virgo, ſed corrupta & impudorata, in Matrem Tuam, & in communem omnium Fidelium Parentem, Deiparam, impiè recalcitraſti, propter quod bis igni addictus. Qui euoluendis, non delibandis Authorum Lucubrationibus, vitam inertem & ſtrumoſam impendiſti, interroga Medicos & dicent Tibi, delicatam in humano capite reſidere membranam, quæ *pia Mater* dicitur, quæ ſi vel tantillùm lædatur, ſubito caſu occumbit homo. Læſiſti piam Matrem; inflictumque vulnus, toti mundo duplex Senatus-conſultum oſtendit, impietatis Tuæ æternum ſtruens monumentum. Tædet me inuſtam vltimo paragraphi loco, Gregorio Donato Cyriaco calumniam depellere, quaſi è Litaniis Lauretanis, titulum *puriſſimæ Matris*, qui Romæ, vbique terrarum & ab ipſis Cyriacis priuatim & publicè in proceſſionibus Roſarij concinitur, expunxiſſet. Repone effrons, quem fraudulentâ interpolatione ſubripuiſti terminum *Conceptionis*, qui in Aſcetico illo opere, puriſſimæ Matris medium tenebat locum, ſenſumque innuebat longè diuerſum; ac proinde impoſturæ pœnas luiturus. Sic obſeruas & colis Petre, Matrem honorificatam?

Truncatio.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Sugillat Combefiſium circa fidem B. Virginis, in Caluaria.

§. 39. *De eadem B. Virgine F. Franciſcus Combefis, ad orationem Sancti Germani in mulieres vnguentiferas &c. ſenſit incongruè, cùm refodit antiquatam & pridem ſepultam aliquorum opinationem de B. Maria infidelitate, tempore mortis Christi. Quam inſulſitatem ab ſe condiri ſufficienter putat; dicendo B. Virginem laboraſſe* tantùm infidelitate negatiuâ, quæ ſita erat in ſolâ inconſideratione, ab abſorbente dolore, ita Deo permittente, ad auctiorem crucia-

tum, ac meriti cumulum; ſic enim negatiua huiuſmodi infidelitas, videri poſſet nec Mariam dedecere, per quam illa œconomiam ſuam, ac Martyrium ſuum acerbiſſimum compleret. *O bone, neque hac infidelitas congruit B. Mariæ, cuius viuam per illud tempus de Filio breui reſurrecturo Fidem, celebrant plerique Patres, & ad vnum omnes Scholaſtici. Videſis quæ habet Suarez T. 2. 3. p. diſp. 4. ſect. 4. 3. ſub finem, & Caniſius L. 4. Marial. C. 28.* quædam adiungit quæ dilatant, non augent vim argumenti.

RESPONSIO.

NOlo hìc tecum agere Pſeudo-Petre; Eſt qui reſpondeat, ipſemet Combefiſius, cuius verba tantùm exſcribo. Habentur in nupero Alphabeto auctorum Bibliothecæ Concinnatoriæ Patrum, verbo *Gregorius Antiochenus*. In propriâ causâ ipſemet audiatur, reſpondens cuidam Scriptori à quo ſe dicit ſugillatum. *Sugillat F. Theophilus Raynaudus, quòd in illo quæ duriora viſa ſunt in Sanctiſſimam Virginem triduò Paſſionis, mollire niſus ſum vt nihil in ſpeciem dixiſſe videretur, quod à piâ credulitate palàm abhorreret, etſi recentiorum placitis Theologorum non ſatis omnino congrueret. Ne verò in Authores longâ ætate vitæque ſanctitate venerabiles, quorum etiam ſcripta antiquo vſu ſacra habeantur, ſintque Libris Eccleſiaſticis inſerta, vt in diuinis publicè Officiis legantur, qualis hac ipſa Gregorij Antiocheni oratio, ſtatim proclamandum, mox vt aliquid occurrerit non ſatis ex vſu recentioris Scholaſtices, exque Suareziana pietate?* Alia ſubiungit Combefiſius vt Sugillatoris illius Raynaudi bilem temperet, molliens quantum potuit dictum Patris; longè tamen aliter locuturus de ea propoſitione, ſi proprium ſenſum prompſiſſet. Hæc Petre ſufficiunt dicacitati Tuæ comprimendæ, Tibique commune erit cum illo Theophilo ſolatium.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Carpit Nicolaum Ianſenium ob laudatum D. Thomam.

§. 40. *De S. Paulo Apoſtolo, ſic ſcribit F. Nicolaus Ianſenius, in Apologia pro Bzouio*; Licuiſſe S. Thomæ, vt à Magiſtrorum ſententiis velut ad veritatis ſemitam declinaret, nulli videbitur mirum, qui expenderit, hunc virum ſanctiſſimum electum eſſe, cui tribueret cælum, Theſauros ſapientiæ Dei; cui Spiritus Sanctus ad aurem inſideret; cuius Scholam ingrederetur Paulus; quem ipſe Chriſtus ſecurum ſuæ doctrinæ eſſe iuberet. *Ambiguum videri poteſt, an hic Encomiaſtes, velit S. Paulum ingredi Scholam S. Thomæ, vt Diſcipulum & Auditorem; an verò vt Magiſtrum in S. Thomæ Schola docentem. Si hoc ſecundum dicat, fatendum erit S. Thomam eſſe Doctorem Canonicum; cui eadem fides habenda ſit, qua S. Paulo dicenti haberetur. At hoc non modò delirum eſt, ſed etiam hæreticum. Itaque reſtat, vt ſignificare voluerit, id quod potiùs ferunt verba eius: nimirum S. Thomam electum eſſe, vt ipſum quoque S. Paulum doceret. In quo hic Encomiaſtes æmulatus fortè eſt S. Chryſoſtomum in Cap. 3. ad Epheſios, cum dixit S. Paulum ipſos quoque Angelos docuiſſe. Sed hoc per hiperbolem à S. Chryſoſtomo de Scriptore Canonico & Angelis prolatum, (nec ſine grano ſalis accipiendum, vt fusè diſſerit Benedictus Pererius in aditu Commentariorum in Ioannem diſp. 8.) non fuit trahendum ad Theologum qui non ſit ſupra hominem; cuiuſmodi ſanè eſt S. Thomas; quicquid importunè abſonus iſte Panegyriſtes coaxet; haud dubiè S. Thomæ in cælo parùm gratus, quando quidem ibi nunc perſpectiſſimum habet, quale in his tenebris fuerit imperfectum ſuum. Itaque nullo modo probat, ſuas ſcriptiones præponi, vel etiam æquari Scripturis Canonicis; ſecutus modeſtiam D. Auguſtini, qui demiſſè agnoſcebat, Epiſtola 18. 111. & l. de dono Perſeuer. c. 22. & 23. ac lib. de Naturâ & Gratiâ c. 6. ſuos libros longe inferioris notæ eſſe, quam Canonicos, & idcircò retractationi & erroribus fuiſſe obnoxios. Indignum eſt ac nimium abſurdum, in hâc S. Pauli & S. Thomæ comparatione hærere. Quis enim fuit S. Paulus quoad ſapientiam, vt cætera decora*

eius, nunc premam? Nempe ex Theodoreto Dialog. Inconfuſus, Magiſter Magiſtrorum. *Ex Nyſſeno initio homilia de Occurſu*, cæleſtium rerum ſenſu, ſapientiâ atque intellectu ſublimis, ſolita diuinitùs rapi mens, à Chriſto moueri conſueta lingua, pulcherrimus velociter atque celeriter exarantis ſcribæ calamus, qui eleganter Eccleſiæ conſcripſit placita, atque decreta veritatis. *Ex Chriſoſtomo hom. 4. de laud. Pauli.* Mare ſapientiæ puriſſimũ ac profundiſſimum. *Homo vbique extollens profundiſſimam Pauli ſapientiam, fruſtra ex vno aut altero loco deflorаretur. Videnda Simonis Magiſtri ex Chriſoſtomo hinc inde contexta laudatio, inſerta Balthaſaris Ezelij Florilegio Hom. 161. 30. Et qua de Pauli rara ſapientiâ addenſat ſuis in Pauli Epiſtolas Prolegomenis c. 3. Cornelius à Lapide; nominatim ex Euſebio l. 3. hiſtor. C. 24. Paulum aſſerente* cæteris Apoſtolis eruditiorem, qui doctrinam Dei in ſcholâ Paradiſi diſcipulus hauſerat. *Hanc Chriſtiana ſapientia abyſſum, tubam Euangelij, rugitum Leonis noſtri flumen Eloquentia Chriſtiana, non verba, ſed tonitrua fundere ſolitum Doctorem, iuxta Hieronimum Epiſt. 61. in ſuâ ſcholâ auditorem ac diſcipulum dici, illubens auribus audit nunc in cœlo, doctus à Domino, S. Thomas.*

RESPONSIO.

Ambiguitas iſta non oſtendit, implexum Encomiaſtæ præconium; ſed euolutam Ariſtarchi mentem, quæ ad vltimos inſcitiæ & impietatis gradus deiecta, miſerationi locum dat, non iræ; indulgentiæ ſubiicit, non vindictæ, perire volentem Pſeudo-Petrum. Ex eadem furentem in D. Thomam animi radice, duplex iſtud exorbitantiæ genus dimanat; & agnoſcet Lector quam rabido æſtu in propriam perniciem ruat liuor profanus, temeritas obcæcata. Incertum inquit. an N. Ianſenius velit D. Paulum ingredi ſcholam S. Thomæ vt diſcipulum, an vt Magiſtrum. Dubitas? Elige. Non vt Doctorem; quid ni? quia, inquis, eadem fides Thomæ diſcenti, quæ Paulo docenti haberetur, euaderetque ille, ſicut iſte, Doctor Canonicus; quod delirum planè & hæreticum. Arguta conſecutio! Tu nè ſaltem per rimulas introſpexiſti ſacra Theologiæ myſteria? Diſce, Sciole, metiri vires animulæ tuæ, nec poſita longè ſupra Te, euanido conatu ten- *Inſcitia.*

tare. Vt aliquid ſit Canonicum & fidei regula, non ſuffi-cit quod ab Apoſtolo aut alio Doctore Canonico dictetur. Reuelat D. Bartholomæus Apoſtolus locum vbi ſuæ clauderentur reliquiæ, nulli alteri notum. Ergo nè illa manifeſtatio Canonica, quia à Doctore Canonico facta? Ridiculum planè cerebelli Tui phantaſma. Altiùs conſcendamus. Deus eſt ſupremus canon & eſſentialis regula veritatis: At omnis qui ab eo immediatè docetur; proptereanè Doctor Canonicus? Quicquid à Deo ſuſcipit, eſt ne articulus fidei? Omnis veritas, quæcumque illa ſit, & cuius vis ordinis, à Deo fluit, qui eſt Pater luminum, vt ait Euangeliſta: Dum igitur docet aliquem, Philoſophiam; alium, artem militarem; illum, Poeticam; iſtum, Mathemaricam aut machanicas artes; vbique enim veritas ab ipſo defluens, diuerſo ſe canale effundit; tot erunt Doctores Canonici, quot Dei diſcipuli, euadentque fidei articuli, Philoſophorum placita, Principum leges, dogmata politica, ſtatuta artificum. Eadem enim erit habenda fides iuxta Te homini diſcenti ac Deo docenti; eritque quilibet in ſuâ ſcientiâ & arte Doctor Canonicus, quia à primo Doctore Canonico edoctus, totque fundet Religionis oracula quot verba. Vide in quas nugarum, ineptiarum, & impietatis foueas te proieceris, incaute tuimet illaqueator. *Ineptiæ.*

Æquiori adhuc titulo, inſpitationes ſingulares quæ à Deo in vnius cuiuſque mentem defluent, Catholica erunt dicenda Dogmata; eritque Doctor Canonicus Bernardus, imò & Thomas Aquinas, plus infuſione quam ſtudio edoctus. Baſilius, ad cuius aurem ſub ſpecie columbæ Spiritus Sanctus doctrinæ ſuæ placita infudit. Eadem de cauſâ & magnus Gregorlus pari honeſtatus priuilegio: Chriſoſtomus, cui ſcribenti ſæpius D. Paulus adſtare viſus eſt, ſcribenda ſuggerens: dicendique deliri & hæretici ſecundum Te, Ribadeneira, Surius, & alij, qui hæc de eis deprædicant. Imò & ex hoc principio, fateri cogeris ipſe, illudmet quod negas: nempè D. Thomam eſſe Doctorem Canonicum (quod tamen nos negamus) ad cuius quippe aures viſus eſt Spiritus S. inſuſurrans: quem Paulus docuit; quem Chriſtus à cruce pendens de doctrinæ ſuæ ſanitate certum fecit; quemuè Pontifices dicunt à Deo immediatè edoctum; aut certè hæreſeos ac delirij in-

æmulabis, ipſos etiam veritatis Magiſtros, Pontifices. Diſce igitur, Theologaſter ignorantiſſime; Doctorem Canonicum attendi præcipuè, penès res tantùm quæ ſunt Fidei, ideòque ſupernaturales, vniuerſales & ad ſalutem ſpectantes; quo multiplici titulo, euadunt articuli Fidei & dogmata Catholica. Potuit ergò Scholam S. Thomæ ingredi D. Paulus, vt Magiſter, Diſcipulum de rebus Theologicis& quæ extra fidei limites vagantur,informaturus: potuit, vt doctrinam eius, approbationis ſuæ calculo obſignaret: potuere & ambo de præcognitis Religionis myſteriis, ſacros miſcere ſermones: potuere denique & de rebus Theologicis tam ſpeculatiuis quam moralibus, quæ ratione humana diſcuſſæ, fidei non attingunt ſphæram, conferunt tamen multum euertendæ hæreſi ac pietati promouendæ;nec tamen propterea ad diſcipulum deriuabitur Magiſtri Canonica certitudo.

Verumtamen dum alta nequit ſcandere tremulum caput, ex viliſſimo infimæ garrulitatis tripode argumenta depromit. Puerilibus Scholarum gurguſtiis aſſuetum ſe probat, quò imbuenda conuenit indocta iuuentus: vnde fit vt Diſcipuli, non Præceptoris nomen & munus Paulo inſcribendum ſuadeat, (vt ille putat,) ipſemet ad Scholas Thomæ, Pauli deſcenſus; non enim itur ad Scholas niſi ad diſcendum. Sciole: antequam quæſito exactè ſatisfiat; imperitiam Tuam caſtigabit, non vir, ſed mulier, probabitque Te in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ nequidem nouitiolum. Obuium itaque excipe Baronium, qui velut præſagâ mente miſertus inſcitiæ tuæ, Hieronimum innumeris doctrinæ ſplendoribus præfulgentem, exhibet confeſſum & teſtantem, Marcellam inſignem pietate & eruditione viduam, olim eius diſcipulam, poſt ex occaſione Magiſtram, ad Scholas eiuſdem Hieromymi, Romæ prælegentis, ſæpe demigraſſe, non docendam, ſed docturam: meque, inquit humillimus Doctor, ſi deuiaſſem, ad rectum tramitem reducturam. Potuit ergò ad Scholas Thomæ venire D. Paulus, non Diſcipuli obiturus munus, ſed Doctoris. *Inſcitia.*

Ad rem ergo. A à quo habes, mendax & impudentiſſime, Cyriacos ſupponere Paulum Thomæ, veluti Diſcipulum Magiſtro? quis has ineptias effutiit? quis hæc fabricatus eſt ſupina mendacia, quâm mendaciorum faber contumax

Pſeudo-Petrus? Hoc ſit interim effrontis imperitiæ Tuæ non leue argumentum, dum hyberbolicum inducis Chriſoſtomum, Paulo in Angelos Magiſterium concedentem; quaſi *non ſine grano ſalis*, quod tibi ſemper deerit, Theologicæ amuſſi quadrare queat, Angelos poſſe aliquid ab homine addiſcere; cum omnium Theologorum calculo planum ſit, myſterij Incarnationis ſingulares aliquas circunſtantias nulli Angelorum, nec ipſi Gabrieli detectas, innotuiſſe B. Virgini, ſacroque eius Sponſo, à quibus Angeli didicere. Fatemur tamen nos Paulum, qui ad tertium cælum raptu ſuo eleuatus, diſcipulus fuit Dei & condiſcipulus Angelorum; in deſcenſu ad Scholam Thomæ Aquinatis, ſe Magiſtrum præſtitiſſe, maximè circa œconomiam Gratiæ; cujus Apoſtolus, fuit Paulus: Doctor, Auguſtinus: Theologus, Thomas; in vnam de gratia Chriſti doctrinam coëuntes. Quod non illepidè præfiguratum dicas, mirabili illâ apparitione triplicis Iubaris ſeu Solis, qui in ipſo Chriſtianiſmi crepuſculo, vt refert Spondanus in Apparatu Baronij, in cælo ſimul conſpecti, in vnius lucis globum coaleſcentes, mirabilem emiſere ſplendorem.

Quicquid inportunè abſonus & ignorantiſſimus iſte Ariſtarchus *coaxet*, haud dubiè in cælo parum gratus eſt S. Thomæ, cui exerto & impudenti ore videtur improperare affectatã cum Apoſtolo æqualitatem, cuius tamen ipſe gloriatur dici Diſcipulus; ſicut & Auguſtini, cuius Tu inieciſti mentionem; nec modeſtiam eius in reiiciendo Doctoris Canonici titulo obtruſiſti, niſi vt rabido eum dente euiſcerans, erroribus eorumque retractationi obnoxium propalares.. Hæc Tua erga Auguſtinum Reuerentia, laudando vellicare. Sed major adhuc in S Thomam impudentia & impietas; quem negas, idque cum iuramento, ſupra hominem ſurrexiſſe, vt *Angelicum* falsò dictum inſinuares. *Non fuit*, inquis, *trahendum ad Theologum, qui non ſit ſupra hominem, cuiuſmodi ſanè eſt S. Thomas.... quicquid importunè iſte Panegyriſtes coaxet* Tam citò oblitus es eius quod cum Theophilo Tuo confeſſus fueras §. 4. D. Thomam doctum vſque ad miraculum & conſequenter ſuprà hominem? Quapropter indignum certè ac nimis indulgens, palpare impium hunc Nebulonem tantâ proteruitate ferocientem in Sanctos, dum Sanctorum venerationem inculcat.

Impudentia.

Quando igitur Diuo Thomæ locum & ſedem negas ſupra hominem ; negas illum Sanctum , auferens illi Gratiam & Gloriam , quâ Sanctus exiſtat , & ſit intra terminos naturæ humanæ cancellatus , nec ſuperiùs ſeſe extollens : In quo hæreticum Te probas , negans cum Caluino , D. Thomæ Sanctitatem ; quem tamen Apoſtolica Sedes toti Eccleſiæ Sanctum , venerandum ac imitandum propoſuit. Quod ſi Sanctum (vt debes) fateris, nec tamen ideò ſuprà hominem erectum ; Gratiam inſinuans ; non ſupernaturalem quâ homines ſeſe erigunt ſupra ſe : ſed congenitam , quæ hominem ad ſe & in ſe contineat ; cum Pelagio , Sanctitatem illi tribuis naturalem , Gratiamque Dei cum Chriſti cruce euacuas. Certè , ſi vel ſtillam Gratiæ Saluatoris deguſtaſſes , non denegares diuinæ Gratiæ, quod Philoſophiæ vir gentilis tribuit , putà, vim eleuandi hominem ſupra ſe. *O quam contempta res eſt homo niſi ſupra humana ſe erexerit !* inquit Seneca. Audi ergò paganum , qui renuis audire Prophetam , de viro iuſto ac pio ſic effatum, *Sedebit ſolitarius & tacebit , quia leuauit ſupra ſe.* *In Prol. q. nat.* *Tren. 3.*

Numquid Gratia naturâ ſuperior , Theologaſter imperite? Ergo qui ad Gratiam & Gloriam eleuatus , inamiſſibili cum Sanctis fælicitate gaudet , adhuc intra hominem volutatur, nec eſt ſupra hominem ? Certè Te longè infra hominem , hicce Paragraphus demonſtraret , niſi quartus idem fusè euiciſſet. Non es Catholicus , ſed Transfuga & Hæreticus, qui Sanctos ab Eccleſia venerationi & imitationi Fidelium propoſitos , derides & traducis. Non es Chriſtianus , qui Eccleſiæ damnanti Tuas, & ſimiles Tuis lucubrationes , non vis acquieſcere , ſed inſultas ; ſed iniuſtè notatas aſſeris : Qui autem *Eccleſiam non audierit , ſit Tibi tanquam Ethnicus & Publicanus.* Denique non es homo , quia nec rationalis : primum enim rationis documentum imperat , ne alteri feceris quod Tibi nolis fieri , non vis autem pati ſcripta Tua à quouis , nec à ſuprema Inquiſitione aut Iudice , debitâ notâ inuri , qui effræni licentiâ in omnium dicta , ſcripta & facta debaccharis. Quid ergo ? Homo nihili , vel certè nihilum hominis.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Stolidè queritur S. Stephanum vellicatum à Cano.

§. 41. S. Stephanus plenus gratiâ, & cuius ſapientiæ ac ſpiritui qui loquebatur, reſiſtere nequiuerunt Synagogæ Doctores, in eâ ipsâ diſputatione luculenta, ad cuius finem S. Leuita obuerſatus Iudæis eſt, tanquam vultu Angeli ſtantis inter illos; Hic, inquam tantus Chriſti pugil & dux acierum purpuratarum Eccleſiæ, à Fratre Melchiore Cano libro 2. de Locis c. 17. admodum irreuerenter habitus eſt & erroris inſimulatus, & nonnulla quæ Fraterculus iſte eodem libro c. 5. in fine, per modum argumentantis contra virum S. retulerat: Ex mente autem ſuâ excutit dicto c. 17. ad finem. Dimittamus verò, quod circa 75. animas cum Iacobo Ægyptum ingreſſas, poſt argumentum contra D. Stephani narrationem propoſitum reliquit Canus inſolutum quaſi inexpedibile & inextricabile; anceps an Stephanus eam narrationem ex Spiritu Dei pronunciarit; nihil hic, in Sancti Stephani narratione reprehendi iure potuiſſe, delrio Geneſis 46. ad verſum 27. commodè demonſtrat. Illud item dimittamus, de tranſlatis in Sichem Iacobo & Patriarchis, iuxta Stephanum; quòd Canus Ioſephi Hebræorum antiquarii ſumma (ſcilicet) authoritate à ſe l. 11. c. vltimo ſolidiſſimè ſtabilita, conuellit. Saliano tamen de Ioſephi mendis notandis ſollicitiſſimo nequaquam perſuaſit Canus, S. Stephani authoritatem cum Flauii Ioſephi fide, à prudente Theologo potuiſſe committi. Neque ſane aliquid eſt in B. Stephani aſſertione, quod non poſſit ſolidè expediri cum Santio Actor 7. ad Verſ. 16. Itaque hoc quoque dimittamus.

Sed quod Canus, S. Stephanum aperti erroris à ſe reuictum queat, cum dicit Abrahamum emiſſe ſepulchrum à filiis Emor filiis Sichem; quod à Iacobo non à Patre factum ex Geneſis 33. liquet; ac proinde quod Canus S. Stephanum in longâ narratione eademque ſubitâ, impegiſſe contendit; non tantum confundendo nonnulla atque miſcendo, ſed etiam per lapſum memoriæ, ſecùs quàm ſe haberent referendo; hoc ſanè meritò Delrio in c. 23. Geneſ. ad verſ. 20. cenſuit intolerabiliter ſcriptum à Cano; (& quidem in D. Stephani Cœnobio quod incolebat.) Sed D. Stephani verba optimum ac veriſſimum habere ſenſum, demon-

demonſtrat idem Delrio ſuffragantibus Salmerone Tomo 1. Prolog. 9. can. 49. Et tract. 23. in Acta Apoſtolorum. Benedicto Pererio ad idem cap. 23. Geneſ. diſp. 2. Ludouico à Tena l. 3. Iſagoges, difficult. 9. ſect. 6. Sancio Actor 7. ad dictum verſum 6. Lorino atque Cornelio ibidem. Præſtitiſſet ſane, cum Mariana, ad eumdem locum Actorum, demiſſè inſcitiam ſuam fateri; quàm adeò fœdè perſtringere hominem, in quo Spiritus loquebatur. Nec refert quòd idcircò Scripturæ Canonicæ veritas, (vt Canus ait) non periclitetur: quia Lucas qui ſolus in hiſtoria B Stephani eſt ſcriptor Canonicus, retulit ſimpliciter quæ dicta erant à Stephano, vnde verè ſcripſit Stephanum talia narraſſe, etiam ſi quæ narrarat Stephanus, falſa eſſent: ſicut idem Lucas verè ſcripſit, Iudæos dixiſſe de Chriſto, dæmonium habes, *quamuis hoc dictum Iudæorum falſiſſimum eſſet atque blaſphemum. Similiterque Iepthe Iudic. 11. & Achior Iudith 5. verè referuntur dixiſſe, quæ errantes dixerant; Ille de poſſeſſâ ab Hebræis per annos trecentos terrâ, hic de filiorum Iſrael commoratione in Ægypto per annos quadringentos. Quæ μνημόνικα ἁμαρτήματα, in externis res Hebræas narrantibus diſſimulanda, impingi Stephano, homini Apoſtolico, quo loco à ſapientiâ & loquente per eum Diuino Spiritu coram Chriſti hoſtibus commendatur; ferendum nullo pacto eſt, nec ab alio inter Catholicos, quàm ab infrunito Cani calamo exarari potuit. Et quod verecundè ſe de tanto viro quantus Stephanus erat, Talia ſcribere profitetur, rectè haberet, ſi pudor, in adeò pudendum de Sancto ſermonem prohibuiſſet erumpere. Sed ſic verecundè proſcinduntur Sancti, in libris* Cyriacorum.

RESPONSIO.

ADuocemus Myſtas ſimul & Medicos, qui Energumenum aut magicâ incantatione ſub larua furentem, citò curent. Veneficorum ars malefica, triplex operatur malum; mentem euertit & dementat; faſcinat oculos & illudit; eiuſque vi ſecretâ, inuerſæ proſtant rerum naturæ. Euolutam Pſeudo-Petri mentem, faſcinatos oculos, cunctaque in ipſo euerſa, planiſſimè demonſtrat præſens articulus. Quid enim dementiæ vicinius, aut penitiùs implexum, quàm firmare quod euertis; eademque manu qua Cano irreuerentiæ & impietatis erga D Stephanum tentas notam inurere, purgare eum ab vtroque næuo, & celeberrimum gloriæ Protomartyris ac debiti famulatûs vin-

dicem, ipſum profiteri? Tribus his veluti gradibus luxata mens deuoluitur in profundum impudentiæ, abiecto omni pudore, & abreptitiorum inſtar, riſus ſimul ac commiſerationis ſolemne nobis exhibet obiectum. Quid enim intendis, perſonate Gerro? Reſpondes, *irreuerenter à Cano habitum purpuratarum Eccleſiæ acierum ducem, errorisque ab eo inſimulatum.* Dic quâ viâ? Subdis, *Ob nonnulla quæ Fraterculus iſte per modum argumentantis contra virum Sanctum retulerat.* At quo è fonte dimanarunt hæc inhonorātia Proto-martyrem *argumenta*? Ex mente Cani, an aliunde? Dicis, aliunde. *Ex mēte enim ſua ea excutit* & depellit *dicto c.17. ad finem.* Quid ergò iniurium Stephano vocas Canũ, qui à Stephano, illatã aliunde Calumniam, amolitur? Inſimulat ne erroris, quem ab erroris fuligine ipſe vendicat? Ipſe nè irreuerens erga Leuitam ſacrum, qui argumentationes debitam ei reuerentiam imminuentes, ex mente ſua, altoque ſpiritu ſecundum Te excutit, eluit & propulſat? Colit ergo, Fratercule, non inhonorat, quem purgat & defendit.

Stolidas.

Niſi fortè velis altero lapſu extendere primum, & inſolito arguendi genere, irreuerentiæ ac erroris inſimulare, (vt alios taceam ad quos nequis aſſurgere) Suarem & Vaſqueſium, dum obiecta ſibi, in Chriſti Diuinitatem ac innocentiam incurrentia infidelium ac Hæreticorum tela, elidunt ac retundunt, ab illatis calumniis Saluatorem vendicantes. Hoc idem præſtitit Canus erga Proto-martyrem. Non poteras itaque infœliciùs Melchiorem vellicare, Teque apertiùs publico relaxare ludubrio, quàm partes eius tueri ac encomia texere, quem rodere ac infuſcare tentaras. Genuinus certè eſt hic euolutæ mentis character. Hebeſcit faſcinata acies, vt quod manus tenet, oculus non attingat. Argumentum de 75. animabus Ægyptum ingreſſis cum Iacobo, licet 70. tantum Geneſis enumeret, *reliquit*, inquis, *Canus inſolutum, quaſi inexpedibile & inextricabile; ancep. an Stephanus eam narrationem ex Spiritu Dei pronunciarit*; quod Proto-martyris decus non parùm obſcurat: At vbi habebas oculos, Petre, in fronte an in calcaneo? Si quidem *Oculi ſtultorum in Calcaneo* iuxta Salomonem. Legiſti-ne Reſponſiones eius ad Argumenta propoſita, quas latè diffundit? Verba eius exſcribo, ſi fortè oculos recuperaueris, quibus ſolutum videas à Melchiore quod inexpedibile & inſolubile dicis

Mendacium.

argumentum. *Lucas, Apoſtoli & Euangeliſta cæteri, ſecuti ſunt Septuaginta Interpretes, quorum editio illo tempore erat præſtantiſſima, poſuerantque illi Geneſis 56. & Exodi 1. Septuaginta quinque, cum apud Hebræos ſint tantum Septuaginta.* Soluit ergo Canus argumentum quod Tu falsò dicebas inſolutum: expediit inexpedibile: extricauit inextricabile, ille quem *Fraterculum* vocas, oculoſque Tibi probat faſcinatos, qui obiecta non vidēt licet vicina; aut mēdacem calamum, qui vera & palpanda impudenter negat. C. 18.

Quid vltrà? Tertium Incantationis argumentum: quod magicis præſtigiis rerum naturā mutas & inuertis, vt Pharaonis Magi, virgas in ſerpentes. Quid ni, dum pro ſolutionibus obiectiones geminato reatu obtrudis? Adiicis enim, vt Ioſepho aduletur Canus; conuulſiſſe, licet ſolidiſſimè ſtabilita quæ dixerat D. Stephanus de tranſlatis in Sichem, Iacobo & Patriarchis. Statim ſatiſſiet Tibi. Aliudne in Pharetrâ Tuâ ſupereſt telum? Aliud planè. S. Stephanum Canus, vt ais, aperti erroris à ſe reuictum putat, cùm dicit Abrahamum emiſſe ſepulchrum à filiis Emor, filii (non filiis) Sichem, quod à Iacobo, non à Patre factum ex Geneſi 33. liquet. In quo Canus innuit Stephanum per lapſum memoriæ in ſua narratione nonnulla confundendo, alia ſecùs quam ſe haberent retuliſſe. Ridiculè Blatero, attende quid dicas; Siccinè gratuitò cæſpitas? Siccinè effrictè imponis, pro ſolutionibus obiectiones adducens? Ipſemet Canus ſibi obiecerat c. 16. cuius titulus eſt, *Argumenta eorum qui ſunt opinati ſacros Authores in libris Canonicis, non ſemper diuino Spiritu fuiſſe locutos.* Quod idem eſt quod Tu nunc exagitas. Cap. vero 17. ſuam promit & probat Sententiam, nempe ſingulas particulas librorum Canonicorum Spiritu Sancto aſſiſtente fuiſſe ſcriptas. Et tandem c. 18. vt titulus indicat, refellit argumenta capitis decimi ſexti ſingulatim. Ad illud ergo de Iacobo & Patriarchis tranſlatis in Sichem iuxta Ioſephum; malignè imponis Cano, dicens eum vt adſtipuletur Ioſepho, conuellere ſententiam Stephani. Apertè enim cap. 18. reſpondens obiectioni, hæc habet. *Iam ſecunda difficultas, licet difficilior eſſe videatur, faciliùs tamen refellitur. Nam duodecim Patriarchas ſepultos eſſe non in Hebron ſed in Sichem, non ſolum ex Stephani narratione, ſed etiam ex Hieronymi teſtimonio cognoſcimus*

Stoliditas.

Impoſtura.

Ab vltimo verò argumento quod omnium difficillimum

videbatur, ſic mirabiliter ſe expedit cum Beda & Rabano, vt dicat, Stephano, id quod vulgò fieri ſolet, accidiſſe: nempe vt in longâ narratione, eademque præſertim ſubitâ, confuderit nonnulla & miſcuerit; in quibuſdam etiam memoriâ lapſus fuerit, in his duntaxat quæ ad rem parùm, aut nihil omninò attinerent: Nam cauſæ de quâ potiſſimum agebatur, erat intentus. Lucas verò veritatem Hiſtoriæ retinere volens, ne ïota quidem immutauit, ſed rem vt à Stephano narrata erat, expoſuit. [Nos autem non Stephanum ab omni lapſu, inquit Canus, ſed Euangeliſtam vendicare debemus: ſolis quippe Apoſtolis, Prophetis & Euangeliſtis, cæteriſque Doctoribus Canonicis, hunc honorem deferre Catholicâ fide docente didicimus, vt nullum eorum vel memoriâ lapſum eſſe credamus, nullum nec in magnis nec in paruis erraſſe. At Stephanus erat plenus Spiritu Sancto? Fateor. At Spiritus loquebatur in eo? Et id quidem fateor. Sed aliter in Chriſto Spiritus loquitur, aliter in Prophetis & Apoſtolis, aliter in Stephano & Ambroſio... Scriptorum ergo ſacrorum hoc priuilegium eſt, vt eorum nullus in ſcribendo erret.] Ita Canus; qui & in principio eiuſdem capitis ſic doctè effatus eſt. [Chriſto in omni verbo & actione aderat Spiritus Sanctus; Doctoribus Canonicis, dum ſcriberent; aliis, ad illud ſolùm ad quod mouebantur, non ad alia minuta & concomitantia.] Non ergo iniurioſus Stephano Canus, qui ei immunitatem & Priuilegium Scriptoris Canonici non attribuit, vt potè indebitum; ſed in eumdem Proto-martyrem irreuerens & iniurius Pſeudo-Petrus, dum in Canum mendaciter & malignè inſurgit, vt pote protectorem & vindicem ipſiuſmet Stephani, vt Petrus ipſe confeſſus eſt, initio huius Paragraphi. Et ne Te hæc vltima Cani ſolutio commoueat, audi eius Apologiſtam, Emmanuelem Sa, Societatis Ieſu Scriptorem, qui in caput laudatum

Ex 7. Act. v. 16. hæc habet. [Quidam dicunt Stephanum intentum, vt fit, in aliud, pro Iacob dixiſſe Abraham, & pro patris Sichem, filii Sichem: Lucam verò fideliter quod ille dixerat, retuliſſe. Quæ mihi opinio non diſplicet, nec enim id repugnat Stephani ſapientiæ & Spiritui quo plenus erat. Accidit id enim interdum ſapientiſſimis & ſanctiſſimis. Vide Geneſ. 33.] Putas ne ab illo Stephanum irreuerenter habitum & erroris inſimulatum? Quod Tu de Emmanuele Sa dixe-

ris, ego de Melchiore Cano, cuius vna ratio longè præualet cæteris à Te in contrarium relatis.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Vielmium Epiſcopum fatuitatis arguit, ob D. Thomam Patribus annumeratum.

Alebam ſuperiùs, S. Thomam non admiſſurum (ſi adeſſet) fatuam ſui cum B. Paulo comparationem. Securus item confirmo, S. Thomam reiecturum ſi adeſſet, eam aliam Hieronimi Vielmii Tract. pro Scriptis S. Thomæ, iuſto auctiorem auxeſim; quæ ait; Concilia Oecumenica S. Thomam, cuiuis veterum patrum Parem authoritate feciſſe. *Cedo, quæ ſunt illa Oecumenica Concilia, S. Thomam Patribus æquantia? Nam Patres, quam authoritatis arcem in Catholica Eccleſia, obtineant, dubitare non ſinũt Vincentius Lirinenſis c 40. Common. Anaſtaſius c. 7. ὁδηγȣ̃, Cæſarius Nazianzeni Germanus Dial. 1. ac Campianus ratione 5. Aliquem ergo poſteriorum Doctorum æquare SS. Patribus, temeritatem reſipit. At multò plus proceſſum eſt à parum ſobriis S. Thomæ laudatoribus. Non mea ſed Dermitii Thadæi Verba ſubiicio* pag. 35. Bzouii expoſtulati. [*Audiui ego virum ſanè grauem, Inſtituti Dominicani, & alioqui doctum, qui ita viſionem Ezechielis explicarit in laudem S. Thomæ, vt quatuor animalia, quatuor eſſe Eccleſiæ Doctores, Ambroſium, Auguſtinum, Hieronimum, Gregorium intellexerit: in ſimilitudine verò hominis quæ firmamento extaret D. Thomam intelligi debere dixerit, tanquam altiùs in veritate inueſtigandâ progreſſum, maiori ſque authoritatis. Vidi & currum quemdam typis efformatum, in quo primum eum poſt Canonicos authores, locarunt inuentores, ſingulis prælatum Patribus. Non defuerunt qui Auguſtino præferendum ſuis in theſibus proponerent:*] *Papæ! Quanta eſt hæc in SS. Patres irreuerentia. Mirabamur, D. Thomam æquatum Patribus; nunc prælatum audimus; nec qualibuſcumque Patribus, ſed primi Ordinis, cuiuſmodi eſt S. Auguſtinus Doctorum Aquila, cui hactenùs omnes Theologi aſſurrexerunt, & faſces ſubmiſerunt.* §. 42.

RESPONSIO.

VAniſſimi cordis homuncio, nullo iudicio tincte, remo magis quam ſtylo nate, affectuum mancipium, quos quoquò ferunt, quoquò præcipitant, quaſi ignem fatuum ſequeris, ſimul & trahis; occurrente Tibi vndequaque Tui imagine, fatuum putas quodcumque odit mens infatuata. Toties verſare & reuoluere ſupereminens D. Thomæ decus, facit inexplebilis aduerſus illum odii & liuoris immenſitas. Verùm, niſi Tu depuduiſſes; niſi frontem cerebrumque amiſiſſes cum conſcientiâ, auſus-ne fores amicam & ciuilem Sanctorum inter ſe compoſitionem, fatuam indigitare? Talis Hæreticorum garritus: imò Caluino petulantior Pſeudo-Petrus. Quis vnquam duos hoſce cælites, Paulum & Thomam, vt æquaret comparauit, niſi Tu ipſe, qui propterea fatuitatis exprobrationem incurriſti? Diſcipulum quis æquat Magiſtro, quem ex diſcipulatu inferiorem, ipsâ comparatione profitetur? Ringis dum vides quanto in pretio Conciliorum Patres, Doctrinam D. Thomæ habuerint. Conterit ſuperbiẽtem Theologaſtrum illuſtre Hieronimi Vuielmii Epiſcopi Argolienſis, (cuius inſulas taces vt authoritatem minuas) doctrinæ Thomiſticæ Elogium; petiſque tibi dari Cõcilia Oecumenica, vbi veterum Patrum choro accenſeatur Aquinas. Dabimus ne amplius eiules. Verùm qui Pontificibus negaſti fidem & obedientiam, licet idem quod quæris docuerint; Concilium petis, & dabitur. Sed ne importunâ repetitione fatigemus Lectorem, remittimus eum ad §. 4. vbi quanta in pretio fuerit doctrina eius apud Patres Concilij Tridentini, luculentiſſimis argumentis comprobatur.

Impudentia.

Expectas forſan aliud Concilium? Dabimus. In Florentino (de quo ſuprà pauca prælibauimus) ſub Eugenio IV. celebrato; vbi Papa, Imperator Conſtantinopolitanus, Patriarcha nouæ Romæ, vtraque denique Eccleſia Orientalis & Occidentalis conuenerant pro vnione Græcorum cum Latinis paciſcenda, tanti ab vtriſque habita eſt Doctrina S. Thomæ; primò ab Occidentalibus, vt ex quatuor à Pontifice & Patribus, electis ad diſputandum contra Græcos, duo fuerint Dominicani & diſcipuli D. Thomæ, cuius ductu ventilanda erat grauis & ſublimis illa difficultas de

Spiritus Sancti Proceſſione à Patre ſimul & Filio. Electi fuere ad hoc tam celebre opus, inquit Spondanus, duo Epiſcopi, Coroſenſis ſeu Corenſis Ord. Prædicatorum, & alter Ord. Minorum, cuius nomen & Epiſcopatum reticuit. *An. 1439. n. 3.* Ambroſius Generalis Camaldulenſis & Ioannes de Monte-nigro Prouincialis Dominicanorum Lombardiæ. Solus Ioannes erat dux verbi, diſputauitque cum Marco Epiſcopo Epheſino, qui ſolus Græcorum nomine loquebatur. Seſſione itaque decimâ octauâ, inquit idem Spondanus, incepta diſputatio de Proceſſione Spiritus Sancti coram Pontifice & Synodo; confutatis quæcumque Marcus opponeret ac reſponderet obmuteſcere ſæpius eum coegit Ioannes Prouincialis Dominicanus, qui & in ſequentibus diſputationibus tanto rationum pondere & Theologicis Præceptoris ſui D. Thomæ machinis Græcos idem Ioannes Cyriacus & Thomiſta impetiit; vt Imperator, & Patriarcha Conſtantinopolitanus, cæterique ferè omnes Græci, fidem & obedientiam ad Sedem Apoſtolicam vltrò amplexati fuerint, cum illo celeberrimo Beſſarione Nicœno Epiſcopo & totius orbis in Doctrinâ oraculo, qui auditis concertationibus rationibuſque Ioannis Cyriaci, pro eâdem veritate publicè poſteà perorauit. *Ibid. n. 2.* Hæc meſſis, hic fructus Doctrinæ D. Thomæ, conuictio Græcorum, & eorumdem vnio cum Latinis; teſte eodem Spondano, qui & ſubdit ibidem, Imperatorem Conſtantinopolitanum ſuis Græcis ſuaſiſſe vnionem cum Eccleſiâ Latinâ. Quandonam? *poſtquam idem Ioannes Prouincialis Dominicanorum id præclarè egit, nemine Græcorum contradicente.* *Ibid. n. 4.*

Quid ergo miraris Petre, ſi in Bullâ ſuâ quæ incipit, *Mirabilis Deus*; Pius V. eum inter celebriores Eccleſiæ Doctores enumerauit? Audi iam quanti habita ſit à Græcis æque ac Latinis; eiuſdem Sancti Doctrina, in eadem Florentinâ Synodo. Authorem adduco non Cyriacum, ſed Thomam Clericum Regularem Congregationis Patrum Theatinorum, qui in libro, cui titulus eſt, *Vinea Chriſti*, ſeu Politica Eccleſiaſtica, ſic loquitur. [Angelicus Doctor D. Thomas Theologicam diſciplinam, mirabili ordine nobiliori quemethodo, ſaniori Doctrinâ fœliciſſimè illuſtrauit, & quam Exegeticam à Patribus accepit, miro ingenio ac fœlicitate, Scholaſticam poſteris tradidit. Obſtupuere ad hanc Angelicam Doctrinam in Concilio Floren- *pag. 78. editíon Lugdunenſis 1647.*

tino Græci Præſules, admirati Latinos tantâ eruditione excultos, tantâ ſacrarum Literarum præſtantiâ & argumentorum ſubtilitate præpollere: ſciſcitati à quonam fonte tam puræ doctrinæ latices hauſiſſent? vbi compertum habuere, ab Aquino ſacras defluxiſſe ſapientiæ vndas, ad ſe deriuare tentant ſapientiæ fontem. Itaque Patres Græci vt Latinam diſciplinam in Græciam traducerent, D. Thomæ Summam Latino idiomate compoſitam in Græcum traduxere] Poſſeuinus autem, qui à Geznero in ſuâ Bibliothecâ accepit, ait in apparatu, V. Demetrius Cydonius. [Demetrius Cydonius, ſeu Cydonas, Theſſalonicenſis, vir doctus æquè ac ſanctus, Græcâ Latinâque facundiâ præditus, ex patriâ decedens Mediolanum venit, vbi literis Latinis & Theologiæ operam dedit: S. Aquinatis libros in Græcum ſermonem vertit, quæ verſio hodieque in Bibliothecâ Vaticanâ cernitur, &c. Obiit annis abhinc ferè ducentis.] quod & confirmat V. Thomas Aquinas. Petis Concilia Oecumenica? Habeto Florentinum & Tridentinum, & noli eſſe amplius incredulus, ſed fidelis.

Iuſtonè auctior eſt Auxeſis iſta? Quid contra hæc oggannis? A Conciliorum ſupremo cacumine ad ipſa animalium ſimulachra infœlici prolapſione deſcendis, præpoſteræ conditionis animal. Audaci enim temeritate omnia ſuperuolas; ſupinâ hebetudine infra omnia iaces, vt nulli ſimilior quàm boui volanti videare. Si quidem vt Angelicum Doctorem infrunito ore impetas, ad Synodorum Oecumenicarum verticem, puniendâ indagatione Te extollis, audacule Maieſtatis ſcrutator: & ſtatim deprimeris ad viſionem quatuor animalium, attractus pondere extraneo ac peregrinâ relatione. An fideli? Iudicet Lector: Teſtem adhibes Dermitium Thadæum Minoritam, ex libelli ſui Titulo ſat ſuſpectum: inſcribitur enim, *Bzouius expoſtulatus*, vbi in Bzouium vtrique Cyriacum, hoſtili animo ſtringit calamum, tanquam vindex ſui Scoti, quem putat ab eodem Annaliſtâ vellicatum; cuiuſue Dermitij aculeata dicacitas vt liberiùs ac latiùs effundat bilem ſuam, ex condicto in totum Ordinem Dominicanorum & præcipuè in D. Thomam & doctrinam eius continuò debacchatur, argumentis vt plurimum deſumptis, ex libello famoſo, Romæ & in Hiſpaniâ damnato, (cui titulus *Elu-*

cidarium,) in eumdem D. Thomam & Scholam eius conſcripto. Satyram itaque dedit Thadæus, non Apologiam, deque illo poſſumus aſſerere, quod de Tertulliano Eraſmus, licet longè alio ſenſu; *haſtâ ſcribit*, haſtamque vibrat hoſtili manu in Ordinem Prædicatorum. Huius tamen Tu affers teſtimonium, viſque vt idem ſit actor & teſtis in propriâ causâ. Repone citò gladium Tuum in vaginam, plumbeus eſt, Alios aduoca quorum teſtimonium iura non depellant. Quis enim ab hoſte fidem expectet?

Verùm, demus non illi, qui nuſquam audiendus veniet contra Cyriacos; ſed Tibi, idque magis ex indulgentiâ quàm ex debito, viſionem illam quatuor animalium à quodam Cyriaco ſic fuiſſe expoſitam in laudem S. Thomæ, quaſi aliis quatuor Eccleſiæ Doctoribus, illo quadruplici animali repræſentatis; in firmamento Aquinas extiterit expreſſus, non animalis, ſed hominis nobiliori ſimilitudine. Hæc illi tributa ſedes & figura, non vt alios acumine & authoritate tranſcendere perhibeatur; ſed eo planè ſenſu quo Plato cenſuit hominem eſſe vinculum cæterorum Entium, quia diſperſa in ſe vnit & firmat, veluti centrum omnium. Ille enim, in omni Lucubratione ſuâ, maximè in Summâ Theologicâ, cæterorum doctrinam explicuit, in diuerſum abeuntia placita vniuit, digeſſit, mirabilique arte, ex quatuor Doctorum ſententiis, quintam (vt loquuntur) conflauit eſſentiam; quæ *Doctrina Angelica* indigitatur; & ex permiſtis aliorum ſplendoribus, nouum & ſuperſplendens iubar effulſit. Ita vt doctrina S. Thomæ non ſit aliud quàm quatuor Doctorum conſpirans ſenſus, vnita mens, quinta eſſentia ſapientiæ; quæ ab illa miſtione, iuxta Innocentij Sexti oraculum, obtinuit ſingulare & ſuperexcedens decus; ſiquidem, *huius Doctoris doctrina præ cæteris, exceptâ Canonicâ, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem ſententiarum; ita vt nunquam qui eam tenuit inueniatur à veritatis tramite deuiaſſe, & qui eam impugnauit, ſemper fuit de de veritate ſuſpectus.* En vnionem, en firmitatem. Proprium effecit quod erat commune; expreſſitque ſolem, diuerſorum luminum feſtiua coitio. Vniti quatuor Doctorum ſplendores quintum effecere. Aſpectus ſeu doctrina eorum, ſimilitudo hominis, ſplendores eorum in ſe adunantis. Dicat ergo ſic expoſitus Ezechiel. *In medio eius ſimilitudo*

In Serm de Laudibus S. Thomæ.

quatuor animalium & hic aſpectus eorum, ſimilitudo hominis in eis. Quatuor animalibus ſupereminet ſimilitudo hominis ſed portatur & ſuſtinetur ab ipſis: Non ergo D. Thomam Cyriaci, ſed Innocentius VI. poſt Canonicos authores locat: nec ideò aliis præferendus, minùs Auguſtino, cuius ſe diſcipulum profitetur, ſed eorum radiis illuſtratur & micat Quid ergo Te offendit irreligioſe Nebulo?

Si Tibi datum foret de Suggeſtu ſacro, alicuius Sancti laudes Panegyricâ arte modulari; didiciſſes auſteris ſcholæ cancellis non concludi Encomiaſtem, ſed licitas ei Auxeſes, quibus Cælitum Encomia, verâ ſemper, ſed interdum effuſâ laudatione ac amplificatione laudatoriâ celebrantur. Has Prædicationis immunitates non ignorat Ordo Prædicatorius, vnde non ſuccenſet, nec queritur, Chriſtianâ hâc libertate interioris affectus erga Sanctos, teſte celebri, dum vtuntur Scriptores aut Oratores Chriſtiani. Legit nec ſugillat zelum Rectoris Collegij Conimbricenſis, qui in Præfatione ad 3. Tom. Suaris de Religione, eiuſdem Suaris texens laudes, vocat eum magnum Alexandrum, Apollinem & totius orbis Magiſtrum: Intuetur tantum affectum Sodalis in hanc auxeſim erumpentis: Tu qui laudatores D. Thomæ temeritatis inſimulas, quòd illum veteribus Patribus accenſeant: fatuitatis, quòd Paulo comparent; quo æquipollenti charactere honeſtares Scobarium Societatis Scriptorem nuperum, qui quatuor ex familiâ ſuâ, quatuor Euangeliſtis comparat; & alios 24. Senioribus Apocalypſeos, Patres Eccleſiæ innuentibus? Affectus in his penſandus, non verba. Audit & laudat Ordo Cyriacorum Minoritas, dum D. Franciſcum, Parentem inclytum, modò Cherubini paradiſum cuſtodientis effigie, cum flammeo ac verſatili gladio, typis efformatum repreſentant: modò ſupra homines & Angelos omnes, primi Seraphim ac Luciferi vacuas occupantem ſedes, pro Suggeſtu ſacro deprædicant. Æſtuantis in laudes paternas ſacræ prolis quis non demiretur conatum? Et Tu Pſeudo-Petre, hoc temeritatis ac fatuitatis arguis? Papæ! quanta eſt hæc in Sanctos irreuerentia! Numquid & ipſa Chriſti Eccleſia quotidiano vſu in præliminari ad ſacrificium Miſſæ concentu, de quouis Sancto Confeſſore ſolet in hæc cõgratulatoriæ laudis verba prorumpere, *Non fuit ſimilis illi, qui conſeruaret legem Excelſi?* Cæteris æquiparat, omnibus

præferr, eras idem de alio præfatura. Non enim in huiuſcemodi, ejuſdemque generis Auxeſibus, vni applauditur, cum alterius irreligioſo, contemptu aut depreſſione deſultatoriâ, ſed quod in quouis ſingulare emicuit ex Diuinæ Gratiæ afflatu, ſingulari etiam Encomio ac quaſi præcellenti cordis & oris exceſſu celebratur. Nec Doctoribus aut Patribus Eccleſiæ præferunt D. Thomam Cyriaci, ſed vno cum ipſis Spiritu perfuſum; eorum transfusâ in animam eius luce ſingulariter radiantem, quâ poſſunt, æquâ ſemper & Chriſtianâ Auxeſi, Pontificum calculo & Oraculo comprobatâ extollunt.

Cæterùm, dic nobis tàm animo quàm facie laruate Senex, quo ſpiritu Patrum cauſam & patrocinia ſuſcipis: an zelo, an liuore? non equidem vt illis aſſeras debitum decus, ſed vt D. Thomæ inſidieris & inſultes. De Te dixerit Chryſoſtomus, & Tuo nomine [Multa facimus bona, non tamen rectâ ſententiâ; & multos laudamus, non eorum laudis gratiâ; ſed vt alios per eos mordeamus; & quod facimus bonum eſt, laudatur enim qui rectè operatur, mens autem corrupta à Sathanæ fit ſententia, ſi quidem non vt gratuletur fratri, ſed vt alium lædat, hoc ſæpenumero quiſquam facit] Vtere Petre meo conſilio, Tibi in poſterùm perutili: Dum Patrem quemuis aut Scriptorem adducis, caue ne qui fraudulenter illi imponis & Lectoribus, Tibi non Patronum, ſed hoſtem aſciſcas commentitiâ citatione; qualiter hic laudas Lirinenſem, tanquam improbantem cuiuſuis cum Patribus comparationem, de quo nec habet ipſe verbulum: Solùm docet ibi, quod quando omnes Eccleſiæ Patres, per diuerſa loca & tempora diſtributi, in vnum coeunt ſenſum & dogma, qui illos contempſerit, Deum, non homines habere contemptui. Hoc quidem verum, ſed nihil ad rem propoſitam. Niſi fortè Tibi dictum putes, quod ſubiungit; [quod iuxta Apoſtolicam comminationem, Pelagiano illi proueniſſe cernimus Iuliano, qui ſe Collegarum ſenſui aut incorporare neglexit, aut excorporare præſumpſit.] Hæc meditare & fatere iuxta regulam à te poſitam in calce Paragraphi, Te non eſſe Theologum, qui non ſolum negligas & deſeras, ſed & in corde Tuo parùm Pelagiano, damnes Auguſtinum Doctorum Aquilam, cui hactenus omnes Theologi aſſurrexerunt & faſces ſubmiſere. *Lege & intellige.*

1. ad Cor. hom. 1.

C. 4. Commonit.

Falſatio.

C. 40.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Canum, canem vocat, ob demorſum, vt inquit, Hieronimum.

§. 43. *S. Hieronymi Doctoris maximi, diuinitus prouiſi, (vt Eccleſia ipſa ait,) tanta eſt apud omnes Catholicos, authoritas, vt Auguſtino teſte l. 1. in Iulian. c* 7. ab Oriente vſque in Occidentem, velut lampas fulgentiſſima reſplenduerit. *Quod aliter dixit Caſſiodorus l. Diuin. Lect. c.* 21. Ad inſtar ſolis ab Oriente, eius nobis lampauit Eloquium. *Nec aliter Caſſianus 7. de Incar. c. 26. Hieronymus Catholicorum Magiſter, cuius ſcripta per vniuerſum mundum velut lampades Diuinæ rutilant: Doctorem Doctorum, vocat Ioannes Sariſb. 6. Polycr. c. 10. Longum fuerit, flores Elogiorum quibus S. Hieronymus ſemper ab omnibus Catholicis exornatus eſt, vel ſummâ manu decerpere. Quid tamen Cano facies? Solus inter Catholicos Canus l.* 11.*de Locis c.* 5. pag. mihi 587. *Hieronymum docuit ſapere, dicens non debuiſſe Hieronymum, ſantopere ridere , quæ ridenda non erant; & plerumque fuiſſe eum Capitoſum, & in Fide adhibendâ moroſum, ſubiecto hoc Epiphonemate,* Credulitas etiam in optimi cuiuſque mentem, facillimè irrepit. At viri quidam excellentes cùm à vulgi facilitate & credulitate declinant, in aduerſum quandoque vitium incurrunt, ſuntque tùm etiam increduli, cùm in Fide nihil eſt vitij, in credulitate vitij nonnihil eſt. *Itaque tantus vir effugere non potuit molares Cani, ſatagentis mentitionem impingere S. Auguſtino Epiſt. 30. aſſerenti, Hieronymum Catholicis omnibus peruenerabilem, à ſolis Hæreticis lacerari.*

RESPONSIO.

INutiliter ſatis vagâque manu Elogiorum S. Hieronymi hinc inde flores colligis, quem Cyriaci, ipſeque Canus religioſiori colit obſequio, Encomioque paſſim celebrat perilluſtri. Infœlicius adhuc caninos Molares acuiſti in eumdem Canum, tanquam auſu & dicto ſuo impingentem mentitionem (congruentiùs mendacium) Auguſti-

ſo, quòd dixerit Hieronymum Catholicis omnibus peruenerabilem, quem tamen Canus momordit. Frigida nugantis vellicatio, ruſtica ſubtilitas! Inter Auguſtinum & Hieronymum quæſtio diſcutitur circa hiſtoriam, quæ ferebat Primum Adam ſepultum in Caluariâ, vbi ſecundus expirauit. Recipit illam Traditionem Auguſtinus & vt veram tuetur: Exſufflat Hieronymus & & ridet velut falſam & commentitiam. Auguſtini veſtigia ſequitur Canus; nec Hieronymum impugnat, ſugillationis veſano ardore, ſed caſto amore veritatis, quæ neminem palpat, vt omnes inſtruat; nec priuatum ille Hieronymi defectum arguit, ſed communem præcellentibus ingeniis, humanas narrationes non credendi, nimiam pronitatem. Quod ex eo claret, dum ab Hypotheſi ad Theſim ſtatim deuolans; ab Hieronymi ſingulari & priuato diſſenſu, ad latiſſimam excellentium virorum obfirmationem contra populares hiſtorias, feſtino pede tranſilit. Non ergo ſatagit Canus mendacem oſtendere Auguſtinum, qui probat pro veritate hiſtoriæ acrius dimicantem Auguſtinum; ſique duriuſcula hæc libertatis Chriſtianæ vox in S. Doctorem emiſſa, Moralibus Pſeudo-Petri diſcerpenda venit, quis tutus?

Certè ferociùs adhuc ſæuientes ſentiet laruati Molares Vaſqueſius, qui non leuiculæ incredulitatis, leuiſſimique vitij, ſed dogmatis à Fide Catholicâ alieni, Theologicâ libertate eumdem inſimulat; dum Chryſoſtomi opinationem euentilans, dicentis Deum non poſſe videri vt eſt in ſe, ab intellectu creato: quamuè benignè & Catholicè interpretantur D. Thomas, Durandus & Sixtus Senenſis, de viſione Dei comprehenſiuâ; concludit Vaſques, non poſſe ſyncerè trahi ad bonum ſenſum prædictam ſententiam Chryſoſtomi ac Hieronymi, idem cum Chryſoſtomo ſentientis; dogmaque oppoſitum eſſe tenendum de Fide. Imò nec ipſe Auguſtinus, cui, vt mox dicebas, Catholici omnes aſſurgunt, ſubmittuntque faſces, Molares tuos effugiet. Ille enim S. Hieronymum, quod doceret ſimulatè tantùm Petrum fuiſſe reprehenſum à Paulo, acriter increpauit, tanquam erroris Magiſtrum, qui omnem Diuinam Scripturam conuelleret, durioribuſque Epiſtolis ad Palinodiam prouocauit. Papæ! quàm ſunt timendi illi Molares Tui, Petre! Dicebat quidam Philoſophus Ethnicus;

1. p. diſp. 37. c. 1. n. 3.

Mordacitas.

Amicus Ariſtoteles, ſed magis amica veritas. Dicit omnis Philoſophus Chriſtianus; Amicus Thomas, Auguſtinus, Hieronymus; ſed magis amica veritas, quâ condiuntur omnia Religionis myſteria, & ſine quâ, nihil amicum charitati, nec ipſamet charitas. Amicus non eſt viro Orthodoxo Lucifer, licet Princeps Angelorum, olimque ardentiſſimus omnium Seraphim, quia in veritate non ſtetit. Non eſt amicus magnus ille Hoſius, toto orbe ſpectatiſſimus, qui Concilio Nicæno cùm ſummâ laude præfuit, quia à veritate defecit: amicus tamen poſteà, quia ad veritatem redux. Nec cuiquam amicus Pſeudo-Petrus, quia laruatus & falſus; omnibuſque exoſus, quia in omnibus mendax & veritatis publicus hoſtis: qui ſolus eò impudentiæ prorupit, vt S. Hieronymum vocarit *Capitoſum*.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Combefiſium falſat & calumniatur, vt oſtendat iniurium Chryſoſtomo.

§. 44. S. *Ioannem Chryſoſtomum, poſteriores omnes non minùs ab vitæ ſanctimoniâ ſuſpexerunt, quàm Libanius ab Eloquentiâ. Anaſtaſius 7. Hexaëm.* Chriſti fluuium *appellauit: Theodoretus Dialog. 1.* magnum orbis lumen, admiratione digniſſimum Doctorem: *Iſidorus Peluſ. l. 2. Epiſto. 42.* Eccleſiarum omnium Oculum. *Proclus, & Leo Sapiens, integris Encomiis, eumdem Dei hominem exornarunt. Longe aliter de eo loquitur, per omnia Canis æmulator & buccinator, F. Franciſcus Combefis Ord. Prædicat. in hiſtoria hæreſis Monothelit.* §. 14. in fine. *Agitat ibi quæſtionem, cur S. Chryſoſtomus non ſit honeſtatus titulo* Martyris; *cum ex ærumnis obierit, quod ad Martyrium ſicca licet in ſpeciem morte ſufficere, docet S. Audoënus in Actis S. Eligij: Et conſtat ex S. Martino I. & Silueſtro, quibus quod ærumnis confecti pro cauſa Dei finiſſent vitam, delatus eſt Martyrum cultus. Ad hoc dubium reſpondet F. Combefis; idcircò Chryſoſtomum non eſſe pro Martyre habitum, quia vexatus eſt,* nullâ Fidei motâ quæſtione, ac pleriſque Eudociæ talibus, vt vel diſſimulari, vel leuiùs haberi potuiſſent, quàm vt tantam viro ſancto conflarent

inuidiam. Quo factum eſt, vt vix tandem ipſius nomen in Epiſcoporum ſaltem ordine potuerit recipi ac referri in Diptychis, tanquam eius qui fuiſſet Sacerdotio exactus ab Epiſcopis.

Prima verba ſuperciliofi huius Cenſoris ruditatem præferunt, qui ignorare videtur, ad iuſtum Martyris Titulum, etiam in foro Eccleſiæ ſufficere mortem oppetitam ob aliquam veritatem reuelatam, etiam nullâ Fidei motâ quæſtione. Alioqui S. Thomas Cantuarienſis, & Engelbertus Colonienſis, & Staniſlaus Cracouienſis, ipſeque Chriſti Baptiſta, è Martyrum albo eſſent expungendi. Et ita diſertè S. Thomas 2.2. q. 12. art. 5. & optime Lanfrancus apud Edinerum in Anſelmo, diſſerens pro S. Elphegi Martyrio.

Quæ poſtea ab hoc Cyriaco addebantur, exhibent S. Chryſoſtomum, vt hominem inconſideratum, ac admodùm imprudentem, & feri aſperique ingenij; qui neſciuerit diſſimulare quæ diſſimulanda erant, aut aſperè egerit, vbi lenitas adhibenda fuiſſet. Hac ſi vera eſſent, S. Chryſoſtomus, non modò titulo Martyris excideret: ſed etiam titulo viri probi, & benè compoſiti, de cuius ſalute æterna ambigi poſſet. Nam qui ſibi ſua temeritate & imprudentiâ, aſperâque ruſticitate tantam conflat inuidiam, vt idcircò vitâ priuetur, cum poſſet mortem, ſuauiter ac prudenter agendo declinare; profectò Biothanatus, & vltrò in mortem ruens, haberi debet. In quo vitæ ſtatu quiſquis moritur, indignus eſt qui cælum habeat, vel viris iuſtis annumeretur. Oportet ergo comminiſci, S. Chryſoſtomum ante obitum tem, eritatis illius ſuæ ac inconſiderationis & aſperitatis, ac profuſionis linguæ, dignos pœnitentiæ fructus feciſſe; quod eſt falſiſſimum, & voluntariè confictum.

Subijciebat denique idem S. Chryſoſtomi Ariſtarchus, eam linguæ intemperantiam, & in Concionibus acerbitatem, atque conſilij ac prudentiæ expertem ruſticitatem, in causâ fuiſſe, tardæ relationis S. Viri in Sacra Dypticha; & diuturnæ excluſionis ex albo Epiſcoporum; eò quod ob eam linguæ ſolutionem, Sacerdotio ab Epiſcopis exautoratus eſſet. Hoc indigniſſimè contra virum adducitur, & per craſſam ignorationem Eccleſiaſticæ hiſtoriæ: nam qui tricati ſunt circa S. Chryſoſtomi relationem in Dypthica, non fuere niſi diſcoli & rebelles lumini, ac diem hominis deſiderantes: Romanus autem Pontifex Innocentius I. qui tunc ſedebat, longè aliter ſe geſſit: quandoquidem ſtatim atque S. Viri mortem an. 407. fœliciter oppetitam au-

diuit, nomen eius in Dipthyca referri mandauit. Nec communicare voluit cum S. Ioannis aduerſariis, niſi nomen eius in Dipthyca referrent, vt ſcribit in Hiſtoriâ ſuâ Theodoretus l. 9. c. 34. Verum eſt, vſque ad Theophili Alexandrini obitum, aliquos huius Anteſignani hoſtium Chryſoſtomi partiarios, cunctatos eſſe nomen Chryſoſtomi in Dypthica referre. Tamen ſtatim à morte Theophili, omnes remoræ circa illius relationem in album Epiſcoporum ſanctè defunctorum, ſublata ſunt, dante manus, etiam Cyrilo Alexandrino, Theophili nepote; per viſum deterrito, ne patrui veſtigiis ea in parte inſiſteret, vt eſt apud Necephorum l. 14. à cap. 26. & cap. 53.

Igitur cauſa non inſerti in Dypthica per aliquod tempus nominis S. Chryſoſtomi, non ea fuit quam aſſignat Combefiſius; nempe ſolutior S. Chryſoſtomi lingua, & intemperatus zelus in Eudociam, *quibus maculis peſſimè grauatur Sanctiſſimus Præco veritatis, & peruersè tanquam meritò propterea exauctoratus, traducitur: ſed vera cauſa fuit, Theophili ſuperbia, qui docente Georgio Alexandrino in Commentario de vita Chryſoſtomi, ferre non poterat quemquam ſua arrogantia non ceſſurum, promoueri in Epiſcopum; ſed ſolos minus habentes, ac remiſſi animi, nec magni ingenij, volebat creari Antiſtites. Vnde cùm S. Chryſoſtomum conatus eſſet excludere, ne erigeretur Epiſcopus Conſtantinopolitanus, & potenter repreſſus ab Eutropio Præfecto, coactus eſſet dare manus, & admittere Ioannem Electum in Epiſcopum Regiæ vrbis; agnoſcens hominem magni animi nequaquam paſſurum indecorè ſibi ſubiici; inſidias illicò illi ſtruxit, nec ceſſauit quâ pollebat ingenij vafritie, variiſque indecoris Epiſcopo artibus; donec S. Ioannem exturbaret; & retinens irarum in defunctum, per ſe ac ſuos egit, ne in ſacra Dipthyca referretur; adactus viro Sancto ſupplex accidere in extremo Agone, quo vſque eum in oblatâ imagine veneraretur, in ſummis Angoribus protracto. Et tunc ceſſante quoque peruicaciâ Partiariorum Theophili Alexandrini, & malignitate in virum optimum, Diuini honoris retinentiſſimum, ab iis conceptâ, quorum Deus oſſa diſſipat, quia hominibus placent, Vir Sanctus in Dypthica non in Occidente ſolum, ſed etiam in Oriente eſt relatus. Cur autem Eccleſia S. Chryſoſtomum titulo Martyris non honeſtarit, inde peti ratio poteſt, quòd cum non planè liqueret de morte à S. viro per vexationes quas ſuſtinuerat oppetita; & aliunde honor Arcadij & Eudociæ parentum Theodoſij,*

Iunioris,

Iunioris piiſſimi Imperatoris, tunc rerum potentis, non eſſet abſque euidentiſſimâ cauſâ per eum titulum S. Chryſoſtomo delatum laceſſendus, ſatius viſum eſt, nomenclatione ad Beatitatem viri S. celebrandam non neceſſariâ abſtinere. En igitur quàm immeritò Cyriacus, naſo adunco ſanctiſſimum Antiſtitem nullo ſatis præconio extollendum, ſuſpendit.

RESPONSIO.

COllactanej figmentis cauilli, glomerato agmine ineunt fœdus; imminetque ſimul fœderata cohors euertendæ aut obruendæ veritati; vt Combefiſium quem Petrus, infœlicem toties expertus conatum, aperto Marte amplius non audet laceſſere, clancularià ac cuniculari molitione deiiciat; prodatque reparato certamine fallax calamus, irreuerentem ac iniurium D. Chriſoſtomo, quem ille tot nuperis Lucubrationibus & Encomiis celebrauit. Verùm ſicut ſpumantes fluctus rupes immota propulſat; rumpitque illæſa marinos vortices, & albeſcentes innato furore vndas, palleſcenti ac probroſo ſuperinductas rubore complanat: pari facilitate ac fæliciori exitu impetitus Author, laruati hoſtis apertam imbecillitatem ridet: profluentes è carioſo pectore ſpumas vno flatu diſturbat: alto ſpiritu Triconis perſonati deſpuit nugaces ſtrophas, ſimplici voculâ frangit Næniarum, conuiciorum ac cauillationum putidam eluuiem; imbelle, importunum & impurum agmen. Collatis ad inuicem amico libramine, aſperitate ac lenitate zeli apoſtolici, exempla producit in Ioanne Patriarchâ Conſtantinopolitano, & Porphyrio Gazæ Epiſcopo; vtroque Doctiſſimo ac Sanctiſſimo; illo ſeueriore, iſto faciliore, ſimul in aulâ Arcadij commorantibus: firmatque in Paulo & Barnabâ pro Marco diſſidentibus, quorum vnius ἀκρίβειαν ſeu amaricantem zelum; alterius οἰκονόμιαν ſeu attemperatam intuens lenitudinem, cui palmam adſcribat, ſe ignorare profitetur. Vtramque ſibi ſanctam; non tamen vniuerſis in Oriente per hæc tempora ita probatam. Ioaunis aſperitatem, veluti Porphirij lenitatem, deſiderarique in primo teneriorem indulgentiam. His Aduerſarij os ſtrictim concludit, ad cætera velut puerilia nugamenta mutus. Non tamen elinguem me voluit, ſuj cæterorumque qui in hoc libello carpuntur,

Cyriacorum Apologiſtam. Quapropter generoſi ſilentij factus Interpres, totus in Te vocalis accedo. Nihil enim planè aliud eſt Pſeudo-Petrus quam Vallis-clauſæ triſtis & iners Echo, reddens mihi quæcumque in Combefiſium & à Combefiſio in quemdam Theophilum Tui pluſquam ſimilem, retunduntur.

Audiſti quid in cauſâ ſuâ ille dixerit. Reſtat ergo, vt in locum eius ſuffectus, aliquos ſi adhuc toties depilato ſuperſint, Tibi vellam pilos. Ille in Apparatu ad Bibliothecam Concionatoriam nuper emiſſo, V. *Chriſoſtomus.* Raynaudo Theophilo idem quod tu, obiicienti, reſpondet, ſe nihil aliud ſpectaſſe dum hæc exſcriberet quæ tu pulſas, quàm illam S. Chriſoſtomi ἀκρίβειαν ſeu duriuſculam ſeueritatem, ſibi quidem ſanctam; at non perinde vniuerſis in Oriente per hæc tempora probatam, vbi Porphyrij Gazæ Epiſcopi vtique ſanctiſſimi & Eudociæ addicti, condeſcendens affabilitas Conſtantinopoli emicabat. Non mirum autem ſi aſſultum patiatur Combefiſius cuiuſdam Ariſtarchi, qui Apoſtolorum Symbolum multiplicis erroris inſimulauit, totque in texendâ Chriſoſtomi hiſtoriâ figmenta effutiit, quot verba dedit: Citatque Theodoretum l. 9. Hiſtoriæ, quam in tot libros non produxit; quodque apud eumdem l. 5. (non 9.) cap. 34. ſubdit de Inno-

Falſationes. centio I. falſo falſius, de quo nec verbum ibi. Nec dignatur ampliori ſolutione interpellare tot commentorum opificem, aut propenſiore calumniam operâ depellere.

Relicta mihi hæc cura, qui Cyriacorum omnium cauſam ago, ac proinde & ipſius Combefiſij, quem Tu iiſdem ac Theophilus (neſcio an benè hominem noueris) machinis arietas. Pedem itaque figo, caputque intendo, acturus cum eo qui Combefiſio (dum illum adducit) caput abſtulit & pedes, vt de Apode & Acephalo hoſte facilior ac

Truncatio. tutior illi conſtaret triumphus. Neſcis inſidioſe truncator repulſam à ſacrificio Domini hoſtiam cui deeſſent pedes & caput? Reponamus ergo non dimidiatum, ſed integrum Combefiſij locum ex §. 14. Hiſtor. Monothelit. [Titulum Martirij in Martino egregiè deffendit S. Audoënus in vita collegæ Eligij, quam habet Surius. 1. Decembris, quòd attritus illatis moleſtiis confeſſionis cauſa, exul obierit; nec per eum ſteterit, vt ne fuſo ſanguine ag

datis ceruicibus, Martyrio defunctus ſit: quæ etiam modo S. Felix Nolanus Preſbiter, Martyr pleriſque inſcribitur, quamquam de eo difficilius videtur; ſi quidem tempus aliquod à perſecutione vixit. Proprior eſt Ioannes Chriſoſtomus, ſi quidem obiit & ipſe in exilio ærumnis à crebrâ præſertim loci mutatione ac negatis neceſſariis, vti Martinus, confectus. Cauſa nihilominùs obſcurior in eo fuit, nulla Fidei motâ quæſtione, ac pleriſque Eudociæ talibus, vt vel diſſimulari, vel lenius habere potuiſſent, quàm vt tantam viro S. conflarent inuidiam; de quibus aliqua ad vitam S. Baſilij: quo factum eſt, vt vix tandem ipſius nomen in Epiſcoporum ſaltem Ordine potuerit recipi, ac referri in Dipthycas, ceu eius qui fuiſſet Sacerdotio ejectus ab Epiſcopis, vt liquet ex Epiſtola Cyrilli ad Atticum relatâ à Facundo ac aliis. Multominus potuiſſet recipi ſine Schiſmate in numero Martyrum. Erat etiam in Ioanne læſæ Maieſtatis ac irreuerentiùs habitæ affictum crimen, idque præcipuum; ſi vera ſunt Acta ad quercum. Sed illud plerumque iis crimen eſt, quibus non eſt aliquod crimen.] Hæc ille.

Eia Petre, accingere gladio Tuo ſuper femur Tuum; ſtringe fortiter calamum & ex illo loco vberrimam triumphi ſegetem depromе! Ruditatem & imperitiam Combefiſij ſugillas, Cenſor ſuperciliosè ac imperitiſſime, quaſi ignoret ad Martyrium ſufficere mortem oppetitam ob aliquam virtutem Theologicam, nullâ motâ de Fide quæſtione: non ob aliquam veritatem reuelatam, extra Fidei ſphæram, vt Tu garris, vno dicto bis falſariùs. Primò enim pro arbitrio citas D. Thomam 2.2.q.12.art.5. vbi nec verbum de Martyrio, ſed q.124. Secundò affingis eidem Doctori Angelico (Tibi exoſo) quòd nemo vel primis rei Theologicæ tinctus coloribus vnquam effatiit; nempe dari extra orbitam fidei, veritates aliquas reuelatas, cum ſint ipſiſſimum Fidei obiectum. Ipſe Combefis Martini Primi & Felicis Nolani Preſbyteri exempla Tibi ſubminiſtrauit, votis Tuis alludentia: quorum primus pro Fide ſed ſine ſanguine; alter nec pro fide nec cum ſanguine, ambo in pace, incruento fine occumbentes: ſed mortificatione attriti poſt perſecutionem Fidei, Martyrij palmam meruere. Hæc ex fraudulento aſtu non appoſuiſti vt poſſes imponere Combefiſio, & inurere ei ruſticitatis & imperi- *Falſationes.*

Impoſturæ. tiæ Tibi congenitæ, notam. Subdis autem omnem, ex Combefiſio, defuiſſe Ioanni Maryrij cauſam, quia nulla Fidei mota quæſtio. Imponis iterum: Cauſam innuit ille fuiſſe in eo, ſed obſcuriorem quam in Martino; quia Martino aperta pro Fide imminebat perſecutio, Ioanni vera quidem pro Fide oppugnatio, vt ex Baronio euincetur; at non ita aperta & manifeſta quàm in alio, obuelantibus veritatem Orientalibus populis, maximè Aulicis Eudociæ fidis, reiectâ in Ioannis acriorem zelum, deportationis ac ærumnarum cauſâ. Aderat itaque vera; ſed non ita patens ac euidens vt in Martino, Fidei quæſtio aliqua, ob quam pulſus in exilium, eò quod declamaſſet fortiter contra ſtatuam argenteam Eudociæ Imperatricis erectam ſupra columnam porphyreticam iuxta Eccleſiam ad quam ludi populares celebrarentur. Sed præcipuè, inquit *An.404.n.3.* Baronius, quòd non modo Conſtantinopoli; ſimulachrum Eudociæ venerationi eſſet expoſitum; ſed quod idem per Prouincias deferretur; non ſecùs ac olim Cybeles circumferre ſolerent Ethnici Idolum adorandum. Adorandane Eudocia ſine Fidei læſione?

Quare ergo obſcurior & latens hæc cauſa? Ob Pontificis duriuſculam ſeueritatem; opportunam quidem Combefiſio, ſed importunam Orientalibus, præcipuè Aulicis, qui Imperatrici acclines, irreligioſâ palpatione incuſant amariorem Ioannis zelum; quorumuè colludens fortunæ interpretatio, æquiores Pontificis motus, domeſticâ ſpe & vtilitate metitur: quo factum eſt, obnubilante, non euertente Ioannis meritum, & ærumnarum cauſam, adulatione publicâ erga infenſam ei Eudociam; incertaque quæ præpolleat extendendo Chriſti Imperio ac promouendæ animarum ſaluti, an mollita an rigidior Præſulum diſciplina; ſeueritas an lenitudo, Pendula diu hæſerit D. Chriſoſtomi in ſacra Dipthyca relatio, obſtante factioſo Epiſcoporum cœtu qui eum ſede expulerant; quorum, ſecundum prudentiã carnis; intererat, ne ſpoliatus ab ipſis Epiſcopatu, ipſis nihil conferentibus, Epiſcoporum accenſeretur choro, cum ſpontaneo flexu & innato pondere refluat in Iudicis infamiam, animaduerſi rei comprobata innocentia; hancque vnicam dilatæ relationis cauſam indicat Combefiſius; *ſeu qui fuiſſet electus ab Epi opis.* Abiiſſentque in publicum ſchiſma iidem factioſi Epiſcopi, ſimulque Imperialiſdo-

mus, quia ex præſumptâ violentiâ in Anteceſſum inflictâ, vbi nulluseffunditur ſanguis, ſolaque emicat eiectio à ſede & deportatio in ſolum aſperum, iidem æſtimatione publicâ cenſentur authores necis, qui eiectionis & exilii; arguiſſetque Tyrannidis factioſam Synodum & ſæuientem Eudociam, exulantis in Martyrem ipſa aſſertio. Hancque cauſam inſinuat Combefiſius loco adducto, quam Tu fraudulentâ manu ſubripuiſti. *Multo minus potuiſſet recipi in numero Martyrum ſine Schiſmate Epiſcoporum: erat etiam in Ioanne læſæ Maieſtatis ac irreuerentiùs habita affictum crimen.* *Truncatio.*

Iam ad Te redeo, Impoſtor villane; Vbinam dixit Combefiſius Chryſoſtomum à Titulo Martyris excidiſſe vt potè hominem inconſideratum, admodùm imprudentem, feri aſperique ingenii, aſpera ruſticitate horridum, Biothanatum & in mortem vltrò ruentem; & hoc nomine indignum qui cælum ſubeat & viris iuſtis annumeretur? Ideòne, quia ſcripſit Ioannem non diſſimulaſſe, nec leniùs ſe habuiſſe, quæ illi Curiæ conflarunt inuidiam? Ergò Thomas Cantuarenſis? Ergò Chriſti Baptiſta, qui diſſimulare & leniùs habere poterant Henricum & Herodem, è Martyrum albo eſſent expungendi, ſi hæc ἀκρίβεια eſſet legitima, denegati Martyrii cauſa? Ergo inconſiderati, imprudentes, feri, ruſtici, cœlo indigni & ſimilibus notandi Auxeſibus, quarum Tu es artifex. Nec dum ſatis. Vbi ſcripſit Combefis, linguæ Ioannis intemperantiam, in Concionibus acerbitatem atque conſilii ac prudentiæ expertem ruſticitatem in cauſa fuiſſe tardæ relationis S. viri in ſacra Dipthyca & diuturnæ excluſionis ab albo Epiſcoporum, eo quod ob eam linguæ ſolutionem, Sacerdotio ab Epiſcopis exautoratus eſſet? Hanc ille vnicam dat, quod ab Epiſcopis ſede eſſet deiectus. De linguæ intemperantiâ nec verbulum, *ſeu eius qui fuiſſet ſacerdotio eiectus ab Epiſcopis.* Qua ergò fronte cauſam non inſerti per aliquod tempus in Dipthyca, non fuiſſe illam aſſeris quam aſſignat Combefiſius? *Fuit* inquis, idque charactere diſtincto, *ſolutior S. Chryſoſtomi lingua, & intemperatus zelus in Eudociam.* Non hoc dixit ille, ſed Tu, & loquela Tua manifeſtum Te facit; idem enim dicis quod ingerebant Aulici & palpones Eudociæ. Verum quàm Te ridiculum exhibes, dum exſufflatis rationibus Combefiſii, denegati ti- *Falſatio.*

Impoſtura.

Fraus. tuli Martyris; Tu eamdem quam ille, reddis; ſed ipſi ſubripueras, truncando locum; vt veluti de Tuo ſinu enatam, ad calcem paragraphi reponeres, debitâ plagiariis pœnâ plectendus. Ridicule hominum, comprobas quod ſuſcepiſti improbandum. Cur Chryſoſtomus ab Eccleſia non ſit in Martyrum album redactus, cauſam dicit Combefiſius *obſcuriorem*. Tu dicis, *quia non ſatis liquebat.* Videat Lector in fine Tui paragraphi. *Barditas.* Cauſam tandem aſſignat ille, *aſſictum ipſi crimen Maieſtatis læſæ & irreuerentiùs habitæ*; nec poterat declarari Martyr, niſi & perſecutoris nomen & notam incurreret Maieſtas, quæ eum exilio damnarat. Putà Eudocia Imperatrix & Coniux eius Arcadius, cui dedecori ſupponebatur tota Imperialis familia. Tu eamdem plane rationem infulcis. *Et aliunde honor Arcadii & Eudociæ parentum Theodoſii Iunioris piiſſimi Imperatoris, tunc rerum potentis, non eſſet abſque euidentiſſimâ cauſâ per eum Titulum S. Chryſoſtomo delatum laceſſendus; Satius viſum eſt, nomenclatione ad viri Beatitatem celebrandam non neceſſariâ abſtinere.* En igitur quam immeritò Pſeudo-Petrus naſo adunco Combefiſium ſuſpendat, ex aduerſario factus eius diſcipulus.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Cogitur admittere Chryſoſtomum ſtare à partibus Cyriacorum, quod negabat.

§. 45. SI *quæratur cauſa tantæ concitaionis in tam eximium Doctorem; reſpondetur, quia S. Chryſoſtomus ſuſtulit Prædeterminationem; negans Homil. 12. in Epiſt. ad Hebræos*, Deum noſtras præuenire voluntates, ne noſtram temeret libertatem. *Et vt ait Homil. 26. in Ioannem*, non adactione, ſed ſolâ ſuaſione, nobiſcum agere: *quod Cyriacis eſt effatum intolerabile, & pugnans cum ſupremo Dei dominio. Item S. Chryſoſtomus admittit Scientiam futurorum ſub conditione, & eâ vtitur in negotio ſalutis humanæ; quod Cyriacis eſt Pelagianum, quia facit Deum dependentem ab homine. Chryſoſtomum autem, eam ſcientiam Deo tribuiſſe, patet ex Homil. 65. in Math. vbi ait, Deum vocare alios ſeriùs, alios citiùs, quia videt, tunc tantùm obtemperaturos, addit-*

que, [*Quod & Paulus apertè ſignificauit dicens*, Quando autem viſum eſt Deo, me ſegregauit ex vtero matris meæ. *Quando autem viſum eſt? quando certè obtemperaturus erat: nam ipſe, (Deus) à primis etiam incunabulis voluiſſet: ſed quia illum renixurum ſciebat, tunc voluit, cùm animum ipſius, penetraturam vocationem non ignorabat. Sic & Latronem cùm poſtea vocauit; potuiſſet anteà ipſum vocaſſe. Sed vocatus ille non paruiſſet. Nam ſi Paulus ab initio non paruiſſet, multo minùs ipſe latro.*] *En duplex venenum Doctrinæ, in Chryſoſtomo iuxta Cyriacos: nam & negat Prædeterminationem Diuinam; & agnoſcit, ſcientiam futurorum ſub conditione, eſſe Deo vſui in negotio ſalutis humanæ. Vtrumque Cyriacis eſt deteſtabile Hinc illæ lachrymæ in Chryſoſtomum, & dura de eo Combefiſii Iudicia.*

RESPONSIO.

DIſplicet Tibi vt video, mota in D. Chryſoſtomum concitatio, laudo verbum; rem tamen verbo ſuppoſitam non detego. Non ignoras Te horrendæ Impoſturæ conuictum præcedenti articulo; reciditque in caput Tuum compacta à Te in Dominicanos de D. Ioanne Impoſtura. Demus tamen exarſiſſe in Sanctum irreuerẽti afflatas ſpiritu linguas illas, quas quouis inſigniantur titulo aut immunitate gaudeant, meritâ plectendas pœnâ, ipſe Tibi Paragraphi huius contextus pollicetur. Procùl ergo hinc omnia concitationis aut diſſidiorum fomenta: Meliori ſorte Coruus qui ad Arcam olim non redierat, obuium ſe nobis ingerit, afferens ramum oliuæ in ſignum pacis, datque Cyriacis fœderandas manus, turbarum huc vſque incentor Pſeudo-Petrus. Has inſpiratæ pacis gratulabundas voces obſignant almæ Sedis ſacræ Sanctiones, quibus interdictum eſt, ne quis reparato conflictu, editis in libris controuerſiam illam agitaret, quæ inter Thomiſtas & Moliniſtas de Prædeſtinatione ac diuinæ gratiæ auxiliis grauiſſima quondam exarſit, æterno ſilentii tumulo obſeranda. Caueamus itaque Fratercule, ne vel primis concitati ſpiritus flabellis recaleſcat, Pontificiâ Maieſtate, votiſque communibus ſopitus partium ardor. Inflectendum Pontificum decretis verticoſum caput, Te docuit toties in tranſuerſum agens infœlix conatus. Noli itaque excutere

æquiſſimum ac amabiliſſimum Obedientiæ iugum, quod dum vnâ manu Cyriacis imponere ſatageres, alterâ abrumpebas ipſe, præſcriptæ ſilentii legis prævaricator antiquus. Noli inquam, debiti famulatûs à me exigere obſequium, quem obuium inuenis, ſupremæ Sedi vbique parere paratum.

Inſtituitur igitur inter nos, non concertatio aut pugna, quia prohibita; ſed pax & fœdus perenne. At quibus arbitris ſanciendæ ineundi fœderis pactiones? Accire ex vtraque Scholâ longo iam Marte diſſidentes Athletas, vanum puto; imò contumaciæ adſcribendum. Incaleſcentibus enim pro cuiuſque ſenſu & affectu digladiantium huc vſque animis, recrudeſceret atrociùs bellum, mutatuſque foret, non ablatus rixarum fomes. Scio igitur quid faciam, & in me experieris Genium paci inhiantem. Quia iure Poſſeſſionis antiquæ & indubitatæ, meum eſt deſignare, non arma conflictus, ſed arbitros & pacis ſequeſtres; Tuum que poſteà eligere quos volueris: Quatuor ex vtrâque Scholâ, eximia pietate & Doctrina præfulgentes, qui ſupremo Iure litem dirimant, ſepono & offero: quos elegeris, ipſi iudicabunt, ſtandumque erit eorum Sententiæ: contra quam quiſquis noſtrum reclamauerit, causâ cadet, & velut Contumax ac Trico exſufflabitur. Æquiſſimas vt puto haſce ineundi fœderis conditiones non abnues. Attende ergo Tibi, & conſule Te ipſum dum eliges. Ex meâ, ſeu Thomiſticâ Academiâ tot vellem in Arbitrorum ſufficere ſedem, quorum mihi planè meritum innotuit; quoſue non ignoro magis veritati quam veſti addictos. Quos? inquis ſciendi impatiens. Caietanum, Aluareſium, Canum, Sotum. Quorum primus Cardinalitiâ dignitate inſignis; duo intermedii, Epiſcopali; duo vltimi, Synodi Tridentinæ Theologi, & omnes, celeberrimi Doctores. Placentne? non arrident Tibi vt video, frequenſque capitis concuſſio, ſuſpectos & improbatos denuntiat. Sto fidei datæ: recedant illi aut ſileant.

Scio Te in hac parte, ſupra rationem delicatum, indulgeoque non illibenter pruritui Tuo; audiui enim, non parùm capitoſos eſſe Vallis Tuæ colonos: paci ſtudeo. Adduco igitur quatuor alios, ex Scholâ Anti-Thomiſticâ; intellige tot Lycei Moliniſtici Theologos, primæ apud ipſos notæ viros, vt calculo ſuo litem dirimant. Subrides,

vt video, ſignatque pergratos feſtiuum vultus tui ſpecimen, præcox iubilatio. Do Eminentiſſimum Eccleſiæ Cardinalem, ſapientiſſimum Toletum, Numquid placet? Maximè. Adiungo illi magnum illum Henrichem, illuſtre Societatis decus: nec nuperum refelles Tiphanium, cuius etiam nomen totum luminoſum. Vellem tamen, inquis, ſapientiſſimo ac grauiſſimo huic Ternario, quartus accederet ex eadem, Academiâ, paulò ardentior cæteris, viuacior, promptiorique acumine præditus. Mehercle, peruia Tibi fuit mens mea, vt experior, quæ ad ſubtilem Vaſqueſium iam inclinarat, Tibi, vt ſpero, pergratum. Conſonat-ne guſtui Tuo hæc illuſtris turma? Reſpondes, Conſonat. Placet etiam mihi. Ipſi ergo è Scholâ Anti-Thomiſticâ ſelecti Arbitri & Iudices, de Thomiſtis in hac parte, ſupremo iure decernant ac pronuntient, quænam ſibi D. Chryſoſtomum Schola vendicet. Cuius conſectarium erit, quis in tantum Pontificem & Eccleſiæ Doctorem irreuerentior, Tu Petre, an Cyriaci.

Cauſa, inquis, tantæ concitationis motæ à Cyriacis in tam eximium Doctorem, hæc eſt: Quia S. Chryſoſtomus ſuſtulit Prædeterminationem; negans, *Deum noſtras preuenire voluntates, ne noſtram temeret libertatem.* Quid ad hoc Cyriaci? Reſpondent ore Sixti Senenſis pariter Cyriaci, Chryſoſtomum ibi loqui de Gratiâ habituali & ſanctificante, ad cuius conſecutionem, præexigitur motus Liberi Arbitrii ad illam diſponens; quem motum & diſpoſitionem à Gratiâ actuali ac præueniente dimanare, nullibi negat Chryſoſtomus, ſæpe affirmat. Quod ſi Tibi velut ceruicoſo, demus inſtitutum ibi ſermonem etiam de Gratiâ actuali, ſolùm intendit Ioannes, Gratiam actualem non antecedere voluntates noſtras, præuentione fatali & violentâ; aut antecedentiâ neceſſitante & impediente Liberum Arbitrii conſenſum, liberamque cooperationem, quam Manichæi quos impugnat, olim inducebant. Ait enim loco laudato. *Omnia Dei ſunt, non ita vt Liberum Arbitrium lædatur.* Subditque poſteà; *Non antecedit voluntates noſtras, ne lædatur arbitrium.* Sic etiam S. Thomas interpretatur Damaſcenum dicentem, *quod omnia quidem præcognoſcit Deus, non autem omnia prædeterminat.* Dicitque Damaſcenum his verbis ſolùm excludere Prædeterminationem imponentem neceſſitatem, quali res naturales conſtrin-

Hom. 12. ep. ad Hebr.

L. 3. Bibl. annot. 101.

1. p. q. 23. a. 1. ad 1. & 3. contra gent. c. 90.

guntur; non autem Prædeterminationem cum libertate compoſitam. Hâc vnicâ viâ intactum remanet decus Chryſoſtomi, alias Semipelagiano propudio ſupponendi. Conſulatur Arbiter cauſæ; Iudex pronunciet Vaſqueſius. Quid ille? Afferens eumdem locum ex 12. ad Hebræos cui Tu Petre inniteris, ait; *Sententiam Maſſilienſium* (intelligit Semepelagianos) *tradunt multi Patres, inter quos præcipuè fuit S. Chryſoſtomus, qui & Caſſiani Magiſter fuit.* Hoc decretum Vaſqueſii, vltimum S. Chryſoſtomi reuelat dehoneſtamentum, quem hæreticis annectit Semipelagianis. Viſne ergo Tu S. virum ſic publicè traductum? ſiccinè illius Doctrinæ ac Gloriæ vindex, à concitatione vt dicebas, Cyriacorum? Vindicant Chryſoſtomum Cyriaci; & de manibus Vaſqueſii, intactum & velut probatæ Fidei Doctorem celeberrimum eripit interpretatio Sixti Senenſis, probans eum hoc loco & ſimilibus, intelligendum Catholicè de Gratiâ non lædente, ſed præueniente Liberum Arbitrium. Quod mirabili diſcurſu & ſummâ perſpicuitate declarat Ioannes Baptiſta Gonet Cyriacus, nuperrimus Scriptor, in tractatu de ſcientia Dei. Delicatus & tener es ad tuos affectus, Petre, non potes audire Sixtum quia Cyriacum & Thomiſtam; Dabimus & Scholæ Anti-Thomiſticæ Doctorem inclytum, Sixto adſtipulantem, cæteriſque Thomiſtis, Henrichem Societatis præfulgens ſydus: Ille enim difficultatem conciliandi libertatem cum Gratiâ Dei, ſic ſoluit & euacuat in fauorem Cyriacorum. *Quod rectè concors Theologorum ſententia docet, Deum habere Prædeterminationem efficacem bonorum ab æterno, in qua & per quam, tanquam per rationem certò omnia ſciat.* Subditque Paulò poſt: *Nec eſt ita difficile conciliare libertatem hominis cum tali Prædeterminatione, vt quidam putant.* Si ergo Vaſqueſii ſtes iudicio, iniurioſus es Chryſoſtomo; ſi Henrichis, contrarius ei in Doctrinâ, & ex vtroque, cauſâ cecidiſti.

1. p. diſp. 9. c. 8.

L. de fine hominis c. 4. n. 4.

Aliud obiicis ex Hom. 26. in Ioannem, idque ſingulari charactere diſtinctum, quaſi verba Authoris exſcribas. *Non adactione, ſed ſolâ ſuaſione nobiſcum agere* Deum. Futile argumentum & iam ſolutum: Idem enim, ſi locus verus ſit, adactio ſonat, quod neceſſitas infringens libertatem, quam neceſſitatem, vt diximus, Prædeterminatio non inducit ſed depellit. Si hæc Chryſoſtomi vox eſt, ve-

nerabundi ſuſcipimus, & ſic enodamus. Lancinat nos tamen ſcrupulus aliquis, Tuis Te dum hæc in Chryſoſtomo legeres, deceptum perſpiciliis, mirâ quâdam ſolertiâ compactis, quæ ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt, Tibi fraudem nullatenus aduertenti obiecerint. Legi enim, volui, euolui, excuſſi ſingulas præfatæ Homiliæ particulas, nec de allegatis verbis vmbra aut apex. Interim itaque, dum meliori fato, Tibi fideliùs oculare contigerit, ſedentem pro tribunali Claudium Tiphanium, recentiorem ferè Societatis Scriptorem, adeamus, vt de alterâ litis parte diiudicet. *Falſatio.*

Inſiſtis Chryſoſtomum admiſiſſe ſcientiam futurorum ſub conditione, & eâdem Deum vti in negotio ſalutis humanæ, quod Cyriacis Pelagianum eſſe, exerto ore aſſeueras. Admittunt, Fratelle nugax, ſcientiam conditionalem Cyriaci; non illam quidem quæ faciat Deum dependentem ab homine, quis enim prior tribuit illi vt reddatur ei? quam dum Chryſoſtomo adſcribis, Tuam erga Sanctum irreuerentiam procaciter effundis, affingens illi Dogma à quo ſemper abhorruit ipſe; omneſque Theologi Catholici conſtanter impium deputant, dicere, Deum ab homine dependere. Audi itaque ſanctiſſimum Doctorem, genuina mentis ſuæ placita explicantem. *Omnium bonorum affectuum atque operum, & omnium ſtudiorum, omniumque virtutum quibus ab initio Fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur authorem, & non dubitemus ab ipſius Gratiâ, omnia hominis merita prouenire, per quam etiam fit, vt aliquid boni & velle incipiamus & facere.* Quod & infulcit explicans illa verba Pauli, *Quid habes quod non accepiſti?* Abludis ergò turpiter à mente Chryſoſtomi, dum ei ſententiam arrogas, quam teſte Sixto Senenſi Ioannes Oecolampadius Lutheranæ hæreſis profeſſor, ei primus impoſuit & affinxit. *Mendacium.* *Tom. 1. hom. de Adam & Eua.* *Hom. 12. in 1. ad Cor. item hom. 38. ad pop. Antioc. & 1. ſup. Ep. ad Epheſ.*

Verùm quid de Tua illâ ſcientiâ conditionali, ſeu mediâ, quam proprio nomine non indigitas, ſentiendum ſit; & an ad cõcordiam Liberi Arbitrii cum Gratiâ expediens ſit vel neceſſaria, ediſſerat nobis Tiphanius, cuius iudicio ſtandum. Ille in libro de Ordine, de que Priori & Poſteriori, per multa capita Scientiam Mediam impugnans aperto Marte; dicit, *Nullum alium Theologum ante Moliniam, ne per ſomnium quidem cogitaſſe*; (nec conſequenter *L. 3. ib. an. 101.* *C. 24. n. 4.*

Chryſoſtomum) *nec enim vllibi vel ſuppoſuiſſe vel adhibuiſſe, ad vllam ſiue Scripturæ ſacræ, ſiue Theologiæ Scholaſticæ difficultatem expediendam* Et initio capitis ſequentis profitetur, *ſententiam negantem Scientiam Medium, & antiquitate, & defenſorum numero & authoritate longe eſſe meliorem.* Quod validioribus adhuc argumentis euincit. Ad hæc quid muſſitas, Petre? Bicipiti hoc decreto Scientiam Mediam exſufflat Tiphanius, & ſimul ignotam denuntiat Chryſoſtomo. Non licet Tibi ab his Iudicibus prouocare.

C. 16.

Supereſt tantùm vt ad quartum declinemus Tribunal, Purpuratumque ex eadem Societate accerſamus Iudicem, qui vltimæ Tuæ argutationis tricas expungat. Pro Cardinali Cardinalem, pro Caietano Toletum repono. At quid dignum Purpurato Patre in vltimam ſcenam ſeruaſti? Habeo, inquis, ineuitabile telum. Chryſoſtomum enim eam ſcientiam Deo tribuiſſe, patet ex Homil. 65. in Matthæum ſuperiùs relatâ à me; vbi in Conuerſione Pauli & Latronis planiſſimè adſtruitur Scientia Media. Næ nimium cauſæ Tuæ fidis Quæ ſit itaque mens germana celeberrimi Doctoris in hâc & ſimilibus loquendi formulis, iudicet Toletus. Ille poſtquam Chryſoſtomum retulit dicentem, Chriſtum vocaſſe Apoſtolos quando obtemperaturos ſciebat (quæ eſt obiectiuncula Tua) opponit Chryſoſtomo Paulum de ſe dicentem, *Cum placuit ei qui me ſegregauit ab vtero Matris meæ, & vocauit per Gratiam ſuam.* Subdit Toletus [Non dicit Paulus quando vidit me obediturum, ſedquando illi placuit, qui per gratiam me vocauit... Poteſt autem intelligi Chryſ. ſic, tunc vocaſſe diſcipulos, quando ſciebat illos obtemperaturos, nimirùm per ipſius Gratiam. ſciebat enim quando ipſe operaturus erat in eis, vt obtemperarent vocanti, & tunc vocauit. Niſi ſic intelligas, Doctrinam non probo... Totus eſt Auguſtinus in hâc Doctrinâ; quam in hâc parte probo.] En Petre Purpurati Iudicis conſtitutum. Audi ergo Deum; qui hominibus obſurdeſcis. *Si in ore duorum vel trium ſtat omne verbum*; quantò magis in ore quatuor, qui Tibi nec ignoti nec ingrati? Quiuè primæ apud Suos notæ, vendicant Chryſoſtomum Cyriacis, ſeu cultoribus ac Gloriæ eius & Doctrinæ vindicibus intrepidis, aduerſus laruatum hoſtem, qui fraudulentâ adulatione & vrbanitate feroci ſanctum,

An. 54. in c. 4. Lucæ.

inhonorat dum colit. Nullum ergo venenum Doctrinæ in Chryſoſtomo iuxta Cyriacos, quem Prædeterminationis aſſertorem, eiectâ aut non agnitâ Scientiâ Mediâ comprobat celebriorum Societatis Theologorum fœderata ſententia. Hinc illæ Pſeudo-Petri lachrymæ in Combefiſium, & dura de eodem judicia.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Imponit multipliciter Combefiſio Martinum I. ab eo inhonoratum.

ÆQuè, idem Frater §. 14. eiuſdem hiſtoria Monothelitarum, manus inicit in Sanctum Martinum, damnans eum nimia rigiditatis & acciti ſibi eam ob cauſam interitûs. Ediderat ſiquidem Conſtans Imperator Edictum, cui nomen Typo; *quo praſcribebat dimittendas voces vnius aut duarum in Chriſto operationum. Hoc iuſto rigidius accipiens S. Martinus, (ait F. Combefiſius,) Authorem Typi Paulum Conſtantinopolitanum exautorauit; nihil veritus iram Imperatoris, qui Typum ad bonum pacis euulgandum edixerat, atque comprobarat. Potuiſſet ergo S. Martinus, Typum benignè interpretari, tanquam indicens vocum duntaxat ſilentium; non autem profeſſionem vnius aut gemina in Chriſto operationis.* Qua *ratione SS. Baſilius & Gregorius Theologus (vt refert Ioannes Conſtantinopolitanus Epiſto. ad Conſtantinum Papam (num. 4.) induiſerunt Macedonianis, vt Spiritum Sanctum non dicerent Deum in actu ſignato, dummodo re ipſa non excluderent eum à Deitate. Nullam talem indulgentiam circa Typum & Typi defenſores, admittere volens S. Martinus, aduocauit in ſe eam molem ærumnarum, quâ oppreſſus eſt; cum potuiſſet, vocibus ſolis abſtinens, & Logomachiam tunc vigentem diſſimulans, quietè degere; & non modo ſibi conſulere euadendo vita diſcrimen cui ſuccubuit, ſed etiam Eccleſiam non turbare; quod fecit, durius accipiendo qua mitiùs accipi poterant & verò debebant ad Tot malorum declinationem. Sic Combefiſius.* §. 46.

At hoc eſt ponere in cœlum os ſuum, & Sanctiſſimum Pontificem cuius labores Impij abſtulerunt, de quiete ſepulchri, imò & cæli extractum, grauare peruerſiſſime & indigniſsimè.

Et in primis, ſi Cyriacus conſequenter loqui velit, tenebitur negare S. Martinum I. fuiſſe verè Martyrem: quod tamen S. Audoënus in Eligio, & Eccleſia in ſuis Tabulis ac Kalendario, agnoſcit. Imò recurrit hic argumentatio facta pro S. Chryſoſtomo. Nimirùm quòd conſequenter ad hanc ſuam aſſertionem, Aduerſarius teneatur, S. Martinum cœlo exturbare: eum grauiter peccaſſe turbando Eccleſiam; & per ſuam rigiditatem ac imperitiam, in ſe deuocando eas procellas quibus obtritus eſt. Nec pœnituit eum tam infœlicis modi agendi, atque rigiditatis; dum ſuperſtes eſſet. Vnde enim habetur, quod de tam inconſultâ aſperitate tandem doluerit; vel quis eius, ante obitum retractationem ſignauit? Itaque iuxta Aduerſarium, S. Martinus periclitatur excidere, non modò Martyris, ſed etiam iuſti ac Cœlitis Titulo. At hoc eſt ſupercilium, non in Religioſo tantùm ſed etiam in Chriſtiano, intolerabile, Quis enim ferat aſſerentem, Sancto Pontifici obrepſiſſe hallucinationem in re tam graui; vt impietatis vnà cum Concilio ſecum adunato, damnarit Typum, cuius reuera alia eſſet intelligentia, ſceleris vacua? Eadem porrò falce improuidus ille Tereſtes, ſuccidit Gallos Antiſtites; qui vt eſt in ActisS. Audoëni, Typum eodem modo intellexere, quo S. Martinus. Quæ ergo Audacia, vel etiam Impietas, tanto poſt, nouum ſenſum Typi obtrudere, quem tot Sancti Antiſtites tunc Typum excutientes ignorarunt; & S. Martinum cum Concilio Romano, cui præſidebat, vnaque Gallos Epiſcopos Italis ſuffragatos, inſimulare barditatis & aſperitatis; qui pronunciauerunt Typum damnabilem eſſe, cum reuerâ non eſſet damnabilis? At non fuerunt ſuffigendi cornicum oculi, nec S. Martinus diiudicator legitimus ſenſuum propoſitionibus Fidem ſpectantibus ſubiectorum, fuit adeò temerè de poſſeſſione arcis authoritatis ſuæ exturbandus. Superioribus annis, pruriginoſus quiſpiam, induxit in animum demonſtrare, Caſſianum fuiſſe ab erroribus, quos ei S. Proſper impegit, immunem; eo quòd verba Caſſiani, poſſent in ſenſum Catholicum detorqueri. Ex quo ſequebatur, Gelaſium I. qui in Synodo Romanâ Proſpero ſuffragatus fuerat & Caſſianum improbarat, cæcum à cæco actum eſſe in foueam, eò quòd non perſpexiſſet ſenſum bonum, qui adhibitâ machinâ noua Interpretationis, ex Caſſiani verbis erui poterat. Sed huius tam ſeri interpretis verborum Caſſiani machinatio diſſecta illico eſt à Sapientibus; illud præter cætera opponentibus; Caſſianum ipſum, cùm Proſperi in ſe ſcripta vidiſ-

ſit, vt refert ipſemet Proſper initio Epiſtolæ ad Rufinum, indoluiſſe quidem, non tamen cauſatum eſſe irrogatam ſibi impoſturam, per ſenſus reprobi ſubiectionem, factam verbis ſuis, Catholici ſenſus capacibus. Haud aliter explodendus eſt, nouus hic, poſt tot ſæcula Typi Interpres, luſcioſitatis vel cæcitatis damnans S. Martinum, & tot in Italiâ & Galliâ ei aſſenſos Antiſtites; vniuerſamque deinceps Eccleſiam S. Martino ſuffragatam in reiectione Typi, tanquam peſtilente hæreſi ſordentis; nec duntaxat indicentis ſilentium indifferens de paucis vocibus, vt Cyriacus ſomniator comminiſcitur.

Quamquam & ipſum quoque ſilentium certarum vocum, meritò ſæpè improbatur; quia ore Confeſsio fit ad ſalutem; nec Eccleſia quantumcumque annitentibus Imperatoribus, Ario ſtudentibus, tulit abrogationem vocis Homouſion *& ringentibus licet Sacramentariis, retentam voluit vocem* Tranſubſtantiationis*: & voces epicœnas, Hæretici ſimul ac Catholici ſenſus capaces, in ſuum vſum nunquam admiſit. Abſit verò vt cum Ioanne Conſtantinopolitano corruptæ fidei homine, admittamus S S. Baſilium & Gregorium Theologum indulſiſſe Macedonianis, vt Spiritum Sanctam non dicerent Deum. Hanc peruerſam indulgentiam, Sanctiſsimi illi atque doctiſsimi Antiſtites nunquam ſunt elargiti: in cardinalibus enim Myſteriis (quale eſt Diuinitas Spiritus Sancti) iubemur explicitam Fidem adhibere, vt traditur in Tractatione de Fide. Tantùm de Baſilio ait Gregorius Orat. 20. n. 100. vocem Hæreticis exoſam, ab eo ad tempus eſſe prætermiſſam: vſum tamen aliis æquiualentibus verbis, quibus & Fidem retineret, & cladem Eccleſiæ ex tenaci ad extimam vocem adhæſione conſecuturam auerteret: quam prudentiam, & (vt vocat) diſpenſationem; in Athanaſio; quoad vocem* Hypoſtas *laudat idem Gregorius Orat. 21. n. 47.*

RESPONSIO.

NOn abſimilis eſt perſonatus hoſtis, Pharmacopolæ quem exhauſta domeſticæ ſupellectilis ſubſtantia, reſque fermè deſperatæ cogunt ruenti fortunæ pulchram ſuperinduere Laruam, vt lateat interius malum ſub emen-

cito ſpecimine; vtque honeſtet fraus publica priuatum de-decus, & emicet ſub fucato cortice ſpecioſa inanitas, fœlicitas bracteata. Aperta pro more, ſine Pharmacis Pharmacorum taberna, ludit ſpectatores obuiâ proſperitatis imagine, proſtantes longo ordine per ſingulos ſuggeſtus oſtendens Pyxides, titulis Cocco, Croco aut auro radiantibus ſuperbas, vacuas tamen nec plenas niſi exoletis & corruptis; Ita vt tota rerum facies compoſita in ſcenam publicæ deceptionis, pauperrimam obuelet ſortem, ſub diuite pompâ. Prima huius Paragraphi facies leui delibata obtutu, auguſtam rerum ſegetem indicat, grauioraque læſæ Majeſtatis momenta, quibus Combefiſij attrita temeritas, diſcat legitimis concludi cancellis; nec Pontificam temerare dignitatem aut Sanctitatem traducere. Hinc enim cernere eſt, deluſos Galliæ Antiſtites; ludificatam Romanam Synodum; cæcutientem S. Martinum Pontificem, & imprudentiâ ſuâ è cælis ad inferos præcipiti lapſu detruſum, pruriente audaciâ huius Cyriaci. Verùm perſonata ſunt hæc omnia: ſub aureo ſpecimine vacuæ Pyxides; totuſque huius in ſtrophas & mendacia laſciuientis querelæ apparatus, laruam induit, quam ſi excuſſeris; omnia reperies aut conficta, aut adulterata, aut ſecum colluctantia: vt non dubites aſſerere Pſeudo-Petri, fictionibus & calumniis innutriti, opus eſſe quodcumque vides. Omitto quòd vt excreſceret puerilis Scriptiuncula, vaſtos inutilibus & planè adiaphoris compleuit anfractus.

Quatuor inflata nugamentis ſpuma infecit pagellas. Prima non figmentorum aceruus, ſed tota fictio: & licet in ipſo aditu ex appoſitâ ſingulari notâ, verba Combefiſij videatur exſcribere, licet medium obſignet hâc parentheſi *(Vt ait Combefiſius)* pariqne charactere finem paginæ ſigillet, *ſic Combefiſius:* Reuera tamen nihil ex Combefiſio ibi deſcripſit, ludificatus Lectores continuâ mendaciorum illuuie. Secundam & tertiam infarcit planè extraneis, ſaltitans extra chorum; aut ruinoſis & ad propriam perniciem effictis conſecutionibus, quibus gratis & abſque vllo fundamento Combefiſium, (cui adulterante calamo fœdè imponit,) authorem indigitat ſummæ in Sancto Martino imprudentiæ, & vt ipſe loquitur, *Barditatis*, qua ſibi, ærumnas & mortem; Eccleſiæ, tur-

Falſatio.

bas

bas; Gallis Antiſtitibus ac Concilio, tenebras peperit; damnans Conſtantis Typum, cui tamen ſuberat legitimus ſenſus, vt improuidus iſte Tereſtes (peritus rei Græcæ diceret Thereſtes) audax Cyriacus conclamat: ſicque Combefiſium vindicantem (vt infrà videbimus) Martinum ab omni huius damnationis calumniâ; nefandâ verborum adulteratione, reum facit infamati S. Pontificis. Quartam denique eiuſdem Paragraphi paginam claudit pudendâ contradictione, quæ in fine huius Sectionis vexabitur. Vnum ſupereſt attentiùs excutiendum; vt nempe Actoris perfidi indicatâ criminatione, Rei innocentia comprobetur, totaque calumniantis ſtrues pateat ad oculum ex ſubiectâ Combefiſij narratione & diſcurſu.

Suadente Paulo Patriarchâ Conſtantinopolitano, Hæretico, & operis infandi architecto, Edictum emiſit Conſtans Imperator, cui Typi nomen inditum, ſeu regula fidei. Martinus vix ad Pontificatum ſublimatus, ac ſollitante Imperatore, vt Typo conſentiret; videns præſens Fidei diſcrimen, nec eidem Fidei conſultum fore, quandiu hæreticus Patriarcha Conſtinopoli præſideret, in quo reducendo, Deceſſoris omnis Oeconomia irrita fuiſſet; plenariâ Epiſcoporum Occidentis Romæ congregatâ Synodo, Typum damnauit & exauthoriſauit Patriarcham. Hæc damnatio, triplici ratione à Combefiſio indicatâ, legitima comprobatur, 1. quia Typus editus ab homine laico, cujus non eſt edere formulam Fidei. 2 Damnatum profitentur Patres Concilij, quòd nimirùm prohibens vnam aut duas in Chriſto dici operationes aut voluntates, ſimili ſorte Hæreticos Catholicoſque inuolueret; ac ſeu indifferens vellet haberi, quod minimè poſſet haberi vt indifferens. Hoc præcipuè vrget Synodus poſt Typum recitatum, multam omninò modeſtiam habens ad Conſtantem, vt ne eâ Typi damnatione exaſperatus, peius aliquid aduersùs Eccleſiam moliretur. Aliam habet Martinus Secret. 5. in Synodali Epiſtolâ: quòd in eo Typo inſertum foret, nec vnam nec duas operationes aut voluntates; hoc eſt, neque diuinam neque humanam voluntatem & operationem in Chriſto, non debere quempiam confiteri. Hoc autem factum, vt cum perfidis Hæreticis & Orthodoxi Patres abiicerentur. Hocque tertio modo acceperunt Scriptor S. Audoeni & Galli Antiſtites, ex ſuggeſtione eiuſ-

dem Martini Pontificis.

Vtrùm autem verba Typi hunc tertium ſenſum innuant (de ſecunda ratione non eſt hîc quæſtio, quæ manifeſtam notat Hæreſim) duplex intercedit opinio *Quidam* (quorum ſuppreſſit nomen Combefiſius, quæ fuit cauſa hallucinationis adeò ſtupidæ Pſeudo-Petri,) *cenſent verba Typi id nolle, potuiſſeque mitiùs exponi, vt ſilentium vocum non eſſet rerum negatio, velut contigit in Honorio, Baſilio & Gregorio Theologo* Alii hanc Interpretationem quam Martinus collegit ex ſcriptis Theodori Pharanitæ, admiſcentis Manichæiſmum ad Hæreſes alias, quem Typus ſic expoſitus dogmatiſat, amplexati ſunt cum S. Maximo: Quam autem partem ſecutus eſt Combefiſius? Hic cardo rei. Viſus eſt Pſeudo-Petro, primæ opinioni inhæſiſſe: tamen rei veritas & ipſiſſima verba oſtendunt clariſſimè amplexatum eſſe ſecundam, quæ Typum ex duabus vltimis rationibus initio adductis, hæreſeos arguebat. Subiicit enim ſtatim poſt illas, rem eò deductam, vt Martinus non poſſet Typi cenſuram & damnationem negare aut ſuſpendere ſine euidenti diſpendio Fidei. Verba exſcribo. *Caterùm eò res deuenerat, vbi iam ſub Sergio & Pirrho & Paulo confirmata fuiſſet vna voluntas, pendente per plures annos publicè affixa Ecthesi (erat alia formula Fidei pariter hæretica) eam exponente, nec adhuc depoſitâ è tabulis mentis, vt ſicut innuit Maximus collatione illâ cum Theodoſio Cæſarienſi, nec vnam nec duas dicere, negatio videretur, ac obſtinatiori tandem hæreſi palmam cedere.* Cenſuit-ne, Calumniator impudorate, dum propriam exponeret mentem Combefiſius, Martinum non debuiſſe damnare, & imprudentem fuiſſe dum damnauit Typum, qui docet eò rem deductam, vt diſſimulaſſe vel non damnaſſe, fuiſſet negatio Fidei; & Hæreſis, de Fide triumphus?

Impoſtura.

Hâc autem libertate Chriſtianâ & Pontifice dignâ, aſciuit ſibi ærumnas, exilium, mortem preſſuris acceleratam: & quæ à capite in membra, à ſupremo Hierarchâ in totam Eccleſiam, ab Imperatore hæretico, & ob damnatum Typum furente, irrogatæ ſunt violentiæ & inſultus. Vbinam ergò dicit Combefiſius ex propriâ mente, Typum Conſtantis non fuiſſe damnandum, ſed dimittendas legitimo ſilentio voces, vnius aut duarum in Chriſto voluntatum & operationum: qui apertè declarat eò deuentum, vt

non dicere eſſe vnam tantum vel duas ſimul voluntates & operationes Chriſti, negatio videretur & obſtinatiori hæſi palmam cedere, quæ eſt velut apoſtaſia à Fide? Putauitne eum nimiam rigiditatem aut barditatem, vt loqueris, in damnando Typo teſtatum, ob quam tot orbi tumultus ipſique mors irrogata ex maximâ ærumnarum mole? De quo exertè ait, *Martinus ſollicitante Imperatore vt Typo conſentiret, videns Fidei præſens diſcrimen nec ei conſultum, quandiu Patriarcha Hæreticus Conſtantinopoli præſideret, in quo reducendo Deceſſoris omnis œconomia irrita fuiſſet, plenariam Epiſcoporum Occidentis ſynodum maiori auctoritate damnandis, quà Paulo, quà Typo ac Deceſſoribus Pauli Hæreticis, indicendam putauit.* Vbi ergò pudor, Pſeudo-Petre? Mendax & effrons hoc ſupercilium, non tantum in Religioſo, ſed etiam in laico Chriſtiano foret intolerabile. Eſtne hoc ſanctiſſimum Pontificem de ſepulchri quiete, imò vt garris, de cæli fœlicitate exturbare, ſubreptâque illi Martyrii laureâ, finaliter impœnitentem in Barathrum præcipitem dare, vt tu diabolico commento impingis & affingis Combefiſio, dicere, vt dixit Combefiſius initio ipſiuſmet Paragraphi 14. à te laudati; *Theodorus Martino Succeſſori reliquit Gloriam quam ſecuta eſt inclyta Confeſſio ac Martyrij titulus?* Hâc declaratione inchoauit Combefiſius præfatum Paragraphum; hâc & concluſit dicens: *Titulum Martyrii in Martino egregiè defendit S. Audoenus in vitâ Collegæ Eligii, quam habet Surius 1. Decembris, quod attritus illatis moleſtiis Confeſſionis cauſa, exul obierit, nec per eum ſteterit, vt ne fuſo ſanguine ac datis ceruicibus, Martyrio defunctus ſit*; Ergò Martino Sanctiſſimo Pontifici ac inclyto Martyri iniurioſus non eſt Combefiſius; ſed audax, iniurius & impius Impoſtor Pſeudo-Petrus, qui dehoneſtando S. Martino hæc probroſa figmenta & infandas conſecutiones in ſuo irreligioſo cerebello fabricatus eſt. *Calumnia.*

Imò eò cæcitatis deuolutus, vt quod in Combefiſio falsò criminatur; ipſe approbet, exemplo S. Baſilii vocem hæreticis exoſam ad tempus prætermittentis vt Eccleſiæ cladem auerteret, retentâ ſemper Fide; quam & prudentiam, inquis, ſeu diſpenſationem in Athanaſio quoad vocem, *Hypoſtaſis*, Gregorius laudat. Cur ergò ſimiliter non dicas, prudentiæ Martini fuiſſe, ſilentio vocum ad tempus vitare cladem Eccleſiæ, & vitæ ſuæ continuas vexationes,

ab Imperatore infligendas, retentâ ſemper Fide,& conſequener ſummè imprudentem fuiſſe S. Martinum dum damnauit Typum? Sed iterùm Concilia iſta, quæ in calce effudiſti. In cardinalibus Myſteriis,inquis, (quale eſt diuinitas Spiritus S.) iubemur explicitam Fidem adhibere, nec indultum à Baſilio aut Gregorio, Macedonianis vt Spiritum S. non dicerent Deum. Tantum de Baſilio ait Gregorius Orat. 20. n. 100. Vocem Hæreticis exoſam ab eo ad tempus eſſe prætermiſſam. At quæ vox illa? Lege Gregorium quem alienis oculis legeras, vnde tam fœdè citaſti; vox illa prætermiſſa à Baſilio, eſt Diuinitas Spiritus S. Propriam & apertam vocem quæ Spiritui S. diuinitatem

Contradictio. tribueret, vſurpare abſtinuit, ait ibi Gregorius. In cardinalibus Myſteriis, inquis, vt eſt diuinitas Spiritus S. explicita fides adhibenda eſt, & proprio rerum nomine enuntianda: In iiſdem cardinalibu Myſteriis, vbi de Diuinitate Spiritus S. cum Hæreticis agebatur, proprio rerum nomine abſtinuit Baſilius & prudenter. Vbi mens tua Petre? Concorda Tecum ſi potes; nec tam impudoratè traducas Epiſcopos Galliæ, vt coruis ſeu cornicibus compares, dum de illis ais, *Non fuerunt ſuffigendi Cornicum oculi.* Certè fabuloſa Æſopi cornix totam occupat animulam inſulſi fabellarum intextoris, qui & meritò dicendus venit cornix Æſopica, cui ſi commodatæ plumæ auellantur, abſtineatque ſchedis precariis, nuda remanebit Beſtiola.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Mentitur Gregorium M. & Bedam malè habitos à Cano.

§. 47. *GRegorius Magnus, in Latinâ & Græcâ Eccleſiâ, ob ſapientiam & inſignem Sanctitatem celebratiſſimus, Iſidoro; Hildephonſo, Iuliano, (& quibus non?) ab omnibus optimi Pontificis & Scriptoris eximij prærogatiuis exquiſitè laudatus; dentes tamen non effugit Melchioris Cani l. 11. de Locis c. 6. Notat ibi Canus imprudentiæ, Scriptores aliquos, omnia literis committentes*; & veritatem rerum non indè petentes, vbi ea reſidere ſit ſolita; ſed ex iis in quibus raro eſt eam inuenire: nempe ex diſſipatis peruagatiſque rumori-

bus; quæ res plerùmque iis accidit, qui ſunt inconſtanti leuique naturâ; nam homines graues atque ſeueri, non ſolent inanem vulgi ſermonem aucupari. Quamquam negare non poſſumus, viros aliquando grauiſſimos, in Diuorum præſertim prodigiis deſcribendis, ſparſos rumores, & excepiſſe, & ſcriptis etiam ad Poſteros retuliſſe. Qua in re (vt mihi quidem videtur,) aut nimiùm illi ſibi, aut Fidelium certè vulgo indulſerunt; quod vulgus ſentiebant, non ea tantum facilè miracula credere ſed impensè etiam flagitare. Itaque ſigna quoque nonnulla, & prodigia, Sanƈti quoque memoriæ prodiderunt, non quòd ea libenter credidiſſent, ſed ne deeſſe Fidelium votis viderentur. *Et mox.* Theologum admoneri operæ pretium eſt, ne id illi ſtatim perſuaſum ſit, omnia quæ magni Authores ſcripſerunt, vndique eſſe perfecta: nam & labuntur aliquando, vt ille ait; & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum ſuorum voluptati, vulgoque (vt dixi,) interdum etiam indulgent; nec ſemper intendunt animum, & nonnunquam fatigantur; adeo vt Ciceroni Demoſthenes dormitare, Horatio verò Homerus quandoque ipſe videatur: ſummi enim ſunt; homines tamen. Quæ ego eadem de Beda & Gregorio, iure fortaſſe ac verè dicere poſſum. Quorum ille in hiſtoriâ Anglorum; hic in Dialogis, quædam miracula ſcribunt vulgo iaƈtata, & credita, quæ huius præſertim ſæculi Ariſtarchi, incerta eſſe cenſebunt: Equidem hiſtorias illas probarem magis, ſi earum authores iuxta præfinitam formam, ſeu veritati Iudicii, curam in eligendo maiorem adiunxiſſent. *Volui tam multa exſcribere, vt intelligeretur, qui eſſent illi Sanƈti & grauiſſimi Scriptores, quos Canus ait, ſparſos rumores ſcriptis commiſiſſe, ſibi nimium, aut certè vulgi Fidelium votis indulgentes. Alii quippe non ſunt, quàm S Gregorius* Magnus *& Beda. Nam Sanƈtus Antoninus & Vincentius Bellouacenſis, quorum oſcitantiam & popularem trutinam poſteà exagitat, nec dum in eius calamum incurrerant; ſed ſeorſim inferiùs a Cano peƈtuntur.*

De Sanƈtis itaque Gregorio & Beda, talia ſcriptis committere auſum Melchiorem *Canum, res eſt profeƈtò digniſſimâ admiratione. Nec minùs ſtupendum eſt talia ſcripſiſſe hominem religioſum, & impunè tuliſſe; Ita vt nullus index publicus, de libro, adeò petulans de Sanƈtis ſcriptoribus iudicium continente, praſcribat, aut ſupprimendum eſſe aut corrigen-*

dum. Aliter certè de S. Gregorio ſtatuunt omnes antiqui, in laudes eius ſemper effuſi; & nominatim Dialogos, S. Iulianus in libris Prognoſticon, allegat tanquam libros optimos, & omni fide atque accuratione conſcriptos. Quod item fecit Adrianus. I. *Epiſtola ad Carolum* Magnum, *& Zacharias Papa, qui illud* Opus *Gracè vertit, nec non Ionas Aurelianenſis, refellens Claudium Taurinenſem, & Concilium Triburienſe c. 17. à Græcis tanquam ab opere eximio author denominatus eſt,* Gregorius Dialogus. *Et audet Canus, opus adeò celebre allatrare, & tantum Doctorem conſcerpere? Audet effutire, Zachariam Pontificem operis è Latino interpretem, tempus malè collocaſſe gerris narrationum indiſcuſſarum; ad lenocinandum vulgo, & indulgendum plebeculæ ſine maturo iudicio contextis, ad* Græcos Gracè *tranſmittendis.*

At redantruat Canus, non in eo tantum opere dormitaſſe S. Gregorium*; ſed in Regiſtro quoque l. 6. Epiſt. 31. Sozomenum per immemoriam vel oſcitantiam allegaſſe, laudantem Theodorum Mopſueſtenum, cum debuiſſet citare Theodoretum; apud quem l. 5. hiſtor. c. 39. habentur laudes illæ Theodori, non autem apud* Sozomenum. *Audio, & haberi talia apud Theodoretum vltro admitto, non fuiſſe autem talia à Sozomeno tradita, & S. Gregorium falsò eum allegaſſe, temerè & oſcitanter dicitur; cum oportuiſſet meminiſſe plures Sozomeni libros intercidiſſe, quibus ſaltem duodeuiginti annorum hiſtoriam complexus erat, vt docet eius ad Theodoricum Præfatio, vniuerſo operi præfixa. Pari audaciâ Canus l. 2. c. 14. ait, malè in Cathenâ S. Thomæ Lucæ 2. Locum Authoris Græci ibi tributum Nazianzeno, eſſe reuera Nazianzeni, quaſi totum Nazianzenum, haberet in numerato: & tamen Nazianzenus Orat.* 20. *n* 65. *disertè habet quod ibi à S. Thoma allegatur de profectu Christi in gratiâ, quodad ſolas operationes illuſtriores. Quam Cani hallucinationem præſidentem, obiecit ei Iacobus Billius ad eum num. 65. addito eo monito;* Quare periculoſum eſt, negare aliquid in Authore quopiam eſſe, niſi totus ille Author memoriâ teneatur. *Audi Cane, & noli præceps eſſe, in notandâ aliorum immemoriâ. Pro S. Gregorio non plura hoc loco.*

Pro S. Beda, quem Canus ruditatis & aucupii fauorum vulgi, inſimulauit; ſufficit ſenſus contrarius omnium retro ſapientum, qui eius accuratiorem Doctrinam, & iudicium ſuſpexerunt: nec egenum nec triobolarem eſſe cenſuerunt; qua-

ſem eum venditat F. Combefiſius, ſed omnium monetarum nummoſum, *vt de eo loquitur Petrus Cellenſis Epiſto. 131. Id eſt prædiuitem in omni ſcientiarum genere, & iudicio præcellentem.*

RESPONSIO.

IRreuentiæ ac petulantis in SS. Gregorium & Bedam animi notam incurriſſe Canum, contendit, hoc loco Pſeudo-Petrus; & vt fœlix conatum ſequatur euentus, Tria agit quæ riſu ſimul ac contemptu digna pronunciabit æquus Lector, quem non inſtruit nec delectat; ſed ludit & obtundit verboſus Sycophanta. A ſcopo quiſque longiùs recedit, quò ad illum fertur citatiùs, ſi viâ lapſus eſt; quæ vbi in contrarium ducit, retardatur qui currit, ipſaque velocitas, majoris fit cauſa interualli. Hic primus Petri excurſus, à fine deuiatio. Calcatis fluctibus; vagos & incertos viarum Mæandros ingreditur mens incerta viæ, & dum errante cymbâ obliquo ſe mari committit, abludit à portu quem quæritat, longos exſcribens Cani diſcurſus, validiſſimos quidem probandæ veritati quam intendit Melchior; ſed ad Petri liberandam fidem, finemque attingendum, plane exoticos; hac mente vt Lectores obtundat & fatiget, ſicque aberrantem à ſcopo laſſata patientia non aduertat. Verùm circulante tandem calamo, & in varios gyrata ſinus, Ariſtarchi oratio, portum tandem vel leuiter attingit; propoſitæ queſtionis nodum delibat, actionemque inſtituit contra Canum, eò quòd monuerit, Theologos premente fatigatione aut indulgente affectu, primæ notæ Scriptores (inter quos recenſet DD. Gregorium in Dialogis & in Regiſtro, ac Bedam in Hiſtoriâ Anglicanâ) vago potiùs vulgi rumore, quam ſeuero iudicij libramine comprobatas, in lucem publicam emiſiſſe hiſtorias, quas in dubium reuocant ſæculi Cenſores & Ariſtarchi. In quo, inquit, duo occurrunt admiratione digna; audax & impunita Cani, viri Religioſi in hos Diuos licentia. *Euagatio.*

Hîc certè erat imponendus lamentis & queſtubus finis, quia tota querelæ materies exhauſta: at vt intumeſcat alieno influxu additamento inutili, opus naturâ ſuâ exile; palabundus excurrit Petrus in varias præfatorum

Diuorum laudes (quibus liberrimè adſtipularur Canus ; eoſque in anteceſſum, ſeu præſagiente calamo, vario Encomiorum genere celebrarat.) Et naufragantium more, qui vt aquarum quibus opprimuntur, ingruente mole ſe expediant; ore, pede, manu arripiunt quodcumque pereuntibus occurrit: ſic laruatus Gerro Authores quoſcumque, quos de SS. Gregorio ac Beda quauis occaſione ſcripſiſſe, tabellarum inſpectione, aut famâ publicâ reſciuerit, glomeratìm aduocat, vt quos nequit cauſæ ſuæ habere patronos, habeat ſaltem teſtes euanidi & impotentis conatus. Quarto denique & vltimo actionem ſuam claudit tentamento, ſed pariter imbelli, inducens Canum, virum Religioſum & Eccleſiæ Antiſtitem (quem vt licentiâ ſibi familiari canibus accenſeat, latratu donat inſolito) elatrantem in Sanctos Gregorium & ipſum Thomam Aquinatem; vtroque falſæ citationis & grauis oſcitantiæ inſimulato: Illo quidem qui pro Theodoreto, Theodorum Moſpueſtenum adduxit; iſto, quia Nazianzeno adſcripſit opus alienum. Cæterùm immorari futilibus hiſce depellendis, vanum: querelis, importunum: grauibus, neceſſarium. At quid graue & ſerium in puerili argumento? Exagitanda tamen & triplici ratione conuellenda, de impetitis irreuerenter DD. Gregorio & Beda, contra Canum inſtituta actio.

Scripſerat ille ambos hos Cælites dediſſe luci publicæ hiſtorias, vago vulgi applauſu potiùs quàm Sapientum ſeuero examine probatas. Reſpondemus primùm, dubitanter non aſſertiuè illum ſuam protuliſſe ſententiam. Ait enim: *Quæ ego eodem de Beda & Gregorio, iure fortaſſe ac verè dicere poſſum.* Pendulum itaque non obfirmatum oſtendit hæc nutantis vox, (*fortaſſe*) magiſque ſenſum aliorum quam ſuum explicans: quod apertè, quæ ibi immediatè ſequuntur, euincunt. *Quædam miracula ſcribunt, vulgo iactata & credita, quæ huius præſertim ſæculi Ariſtarchi, incerta eſſe cenſebunt.* 2. Ab Auguſtino æquiſſima hæc regula præſcribitur, mentem cuiuſque Authoris penſandam ex fine intento: at inſtituit hic Canus locos Theologicos, vnde depromenda ſint argumenta ad confutandos Hæreticos, quæ cum certa & indubitata debeant eſſe, retundendis eorum cauillationibus, ne ſubſannentur dubia, & riſu Thraſonico explodantur à Transfugis; ſapienter

monet Theologos, ne ab incertis narrationibus arma mutuentur; caueantque ne pro Fide contra Hæreticos agentes, adducant hiſtorias ſolo vulgi ore ventilatas, quæ facile erroris reuincuntur: aut dubias, quæ certitudinem non inducant; ſed certas & indubitatas, quibus rebellium procacitas contundatur. Ac proinde ne inſigni Authorum nomini, pietati, aut doctrinæ, in hac parte inconſultè acquieſcant; qui aliquando contemplationis labore attriti, aut negotiorum quæ publicum ſpectant bonum, onere grauati, obuios Vulgi rumores indiſcuſſâ aut non ſatis indagatâ veritate (maximè dum pietati publicæ fauent, arridentque Genio fidelium hi rumores,) hiſtoricâ narratione poſteritati commendant. In quo non tàm Scriptores ſugillat, quàm Theologos inſtruit, vnde & è quibus hiſtoriis dogmatica tela debeant depromere.

Eſt enim operæ pretium, Theologum admoneri, ne illi ſtatim perſuaſum ſit, omnia quæ magni Authores ſcripſere, vndique eſſe perfecta: nam & labuntur aliquando, vt ille ait, & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum ſuorum voluptati; vulgoque interdum etiam indulgent, nec ſemper intendunt animum, & nonnunquam fatigantur. Exempla ſubiicit. Adeò vt Ciceroni Demoſthenes dormitare, Horatio verò Homerus ipſe quandoque videatur. Beda omni ſcientiarum genere præfulgens, totque ſcribendis voluminibus immerſus: Gregorius frequentiùs æger; etiam dum ſcriberet, Eccleſiæ clauum regens, totius orbis ſaluti intentus, diſcutiendi rigido examine quod alij minùs impediti vix poſſunt, tempus nec locum inuenere. 3. denique, *ſummi erant, homines tamen*; at quia ſummi, pro veris falſa obtrudere nequiuerunt. Quod eodem loco iam laudato, mirabili elogio ipſius etiam Gregorij, Canus profeſſus eſt. *Prima*, inquit, *lex* (in ſeligendis locis Theologicis) *ex hominum probitate integritateque ſumetur. Quæ omnino res locum habet, cùm quæ narrant Hiſtorici, ea vel ipſiſe vidiſſe teſtantur, vel ab his qui viderunt accepiſſe. Qualia ſunt pleraque in Epiſtolis Ambroſij, Cypriani, Hieronymi, Auguſtini; in libris quoque huius de Ciuitate Dei,* (Attende Petre) *in Dialogis Gregorij, breuiter in omnibus fere Doctorum Eccleſiæ probatiſſimorum ſcriptis; in quibus mendacium ſuſpicari, quod ad memoriam ſempiternam transferre illi ſcribendo voluerint, piaculum eſt. Magnis quip-* C. 14.

pe præclariſque vn tutibu. viri Sanctiſſimi atque optimi, id conſequi meruerunt ; vt in rebus ejuſmodi, quas vel ſpectaſſe ſe vel ab alijs fide dignis, qui ſpectarint, ſe audiuiſſe teſtati ſunt, fides omnino illis habeatur. Quia ergo Magni, mendacia aut fabulas, luci publicæ non dedere ; ſed quia homines, nihil humani alienum à ſe putauerunt, aitque Gregorius, *Angelos apoſtatas imitari qui negat ſe eſſe hominem*, & dicit humanæ ſortis infirmitatibus exemptum, quarum vna hæc eſt, maximè inter viros ſtudiis aut negotiis implicatos, excipere & ſcribere veritates non ita manifeſtas, & certas, quin in dubium ab incredulis & capitoſis reuocari queant ; è quibus propterea Theologus non facile debet arma ſumere contra Hæreticos, etiam manifeſtioribus obſiſtentes. Poterat nè ſummus Pontifex D. Gregorius (idem de S. Beda eſto iudicium) qui totius ferè Italiæ hiſtorias adduxit ex condicto, vt patet ex Proœmio ad eius Dialogos, teſtes ad ſe rerum omnium euocare, perlegere omnes libros, conferre omnes authores? Communibus ſtandum erat rumoribus, maximè vbi tali publicè receptâ narratione excreſcebat Fidelium pietas, nec aliunde erroris aut falſitatis ſpecimen vllum apparebat.

Tuas certè hiſtorias ſeu veriùs nugas & fabellas, quas toto hoc Centone famoſo, plenâ manu ſparſiſti, non licet grauibus ac Chriſtianis Scriptoribus ad poſteros illudente calamo tranſmittere, niſi forte velint commentis ineſcare populos, & peſſimè fœtentem orbi venditare fumum. Tam enim craſſè ac ſtolidè hæc nugamenta, non populari trutinâ ſolum, ſed & libertate profanâ compegiſti ; vt primo intuitu emicet rei enunciatæ falſitas, & mentientis calami veſana prurigo. Verùm qui toties Canum dente canino laceras, non aduertiſti ipſum veluti præſagâ mente, inter cætera quæ quaſi prophetico ore orbi intonuit, frequenti euentu comprobata ; de ſe ſimul ac de Te quaſi contextìm, & eâdem Periodo concluſis, non obſcurè locutum : dum his quæ Tu ex ipſo exſcripſiſti, Scriptores præmonuit, imò præludente Cenſurâ arguit, *quòd veritatem rerum non inde petant, vbi ea reſidere ſit ſolita*, nempe apud viros maturo iudicio diuinoque timore pollentes: *ſed ex iis in quibus raro eſt e ꝛm inuenire, nempe ex diſſipatis, peruagatis*, fictiſque arte diabolicâ *rumoribus. Qua res plerumque iis accidit, qui ſunt* (veluti Tu) *inconſtantis leuiſque*

Natura. Nam homines graues, atque ſeueri, qualis Canus, *omnium* doctrinæ ac pietatis *monetarum nummoſus*; *non ſolent inanem vulgi ſermonem* aucupari, quantò minùs ſordentes calumniis cudere fabellas? Tanta itaque, vt puto, Genij morumque diſparitas, ſtylum tricantis Scurræ aſperauit in Canum, maturitate iudicij ac morum ſeueritate ſuſpiciendum. Nec certè æquiore poterat Nazianzenus vtriuſque picturam penicillo abſoluere, quàm dùm Leonis ac Simiæ oppoſitos conatus, in tabellâ depinxit. [Quis enim magis aut Virtutem ornauit aut Vitium coercuit *quam Canus*? Quis vel officio probè functis benigniorem aut ſuauiorem, aut peccantibus ſeueriorem moleſtioremque, ſe præbuerit (*hoc Canarienſi Antiſtite?*) Vt potè cuius vel leuis etiam riſus laudationis inſtar eſſet, & ſilentium, obiurgationis, in propriâ nimirum cuiuſque conſcientiâ culpam explorans. Quod ſi minimè facetus ac ſcurrilis & circumforaneus erat (*qualis Petrus a Valle-clauſâ*,) nec (*ſicut ille laruatus*) vt imperitæ multitudini gratus eſſet, omnia omnibus fiebat, & obſequebatur Quid Tum? Nonne laudem potiùs quam reprehenſionem, hoc nomine meretur, ſaltem apud mente præditos? Niſi quis Leonem etiam accuſandum putet, quod Simiæ parem oculorum obtutum non habeat, ſed toruum quiddam & horrificum ac Regium intuetur.] *Orat. 20. n. 93.*

Interim qui hallucinationis iuſimulas Canum, tuas non vides *præſidentes hallucinationes*, quas non populari, ſed ſeueriori trutinâ exagitare placet. Accuſas Canum inſimulaſſe Gregorium Immemoriæ (grandis Tua immunitas creaudi terminos) & Oſcitantiæ dum Sozomenum pro Theodoreto, Theodorum Mopſueſtenum allegantem inducit, cùm oportuiſſet meminiſſe, complures Sozomeni libros intercidiſſe; in quibus à Sozomeno poterat allegari Theodoretus, pro Theodoro Mopſueſteno. Locum Cani hæc dicentis non aſſignas, timuiſti enim, ne excuſatio Gregorij ab ipſo Cano producta pateſceret; ille enim eandem rationẽ dat quam ſine dubio ex ipſo contra ipſum exſcripſiſti, diſſimulato loco, nempe Gregorium alios libros Sozomeni legiſſe, qui in noſtras manus non venerunt, aut memoriâ lapſum. Quod autem ex l. 2. c. 14. eiuſdem profers circa citationem Authoris Græci, à D. Thoma attributam Nazianzeno, cum eius non ſit ex ſententia Cani, tamen habet Nazianzenus. Tot lapſus quot verba; *L. 11. c. 5.* *In c. 2.* *Orat. 20. n. 65.*

Mendacium. tot hallucinationes, quot apices. Expendatur caput illud. 14. l. 2. nihil ibi de illo loco, ex Lucæ 2. nullaque de Nazianzeno mentio. Deinde mendoſa eſt & vitioſa illa lectio ex defectu Typographi, tribuens Nazianzeno quod *L. 12. c. 14.* eſt Authoris Græci anonymi, vt ipſemet Canus alibi indicat. Quicquid autem ſuccenſeant, pariter hallucinati Pſeudo-Petrus ac Billius; vitiatam huius loci lectionem benè aduerterat Canus, idque tam ex rebus quã ex authore, vt vna eademque ratio conuincit. Si enim Nazianzeno locus ille adſcribatur, vitium eminet, ex hoc quod D. Thomas toto hoc opere, non mentem ſolùm, ſed & ipſamet Authorum verba adducit: Verba autem hîc relata, diſcrepant multum à verbis Gregorij, imò & à mente, quod intuenti patebit, ſi inuicem conferantur. Ait ſiquidem D. Thomas in 2. Lucæ. *Dicitur autem ſecundum humanitatem proficere, non quod ipſa ſuſcipiat augmentum, quæ ab initio fuit perfecta, ſed eo quod, paulatim manifeſtabatur.* *Orat. 20. n. 65.* Nazianzenus autem ſic habet. *Proficiebat enim*, inquit, *vt ætate, ita etiam ſapientiâ: non quod hæc in illo incrementum caperent (quid enim eo quod à principio perfectum erat, perfectius eſſe poſſit?) ſed quod hæc paulatim detegerentur & elucerent.* Diſpar itaque verborum facies & contextus, imò in aliquo ſenſus diſpar: ibi enim agitur de humanitate prout complectitur eſſentialia homini, quatenùs homo eſt: hîc de accidentibus, putà ætate & ſapientiâ. Si autem de authore quæſtio inſtituitur; locus ille vendicandus eſt ei, cui tam in verbis quam in ſenſu magis conſonat: at vtroque modo, à Nazianzeno diſſidet locus ille, vt iam euicimus: congruere autem ex vtraque parte cum Græco illo anonymo toties adducto, propriis oculis poterat vidiſſe Canus; vnde vitiationem loci benè aduerterat. Nec vnquam negauit aliquid non ita abſimile reperiri apud Nazianzenum: in quo, ex nimiâ præſidentiâ, fides Billij deſideratur, Pſeudo-Petri modeſtia.

Diſce ergò Petre non eſſe mirum, ſi aliquando, etiam ſummi viri dubia protulerint, acquieſcentes relationibus, quas recipiebat feſtino ac deuoto applauſu fides publica, ſed humana; quia in his nulli promiſſa eſt aſſiſten- *L. de Pont. Rom. c. 7. in reſp. ad dictum 4.* tia Spiritus S. vt declarat Bellarminus. Sed planè ridiculum, quod vlla Tibi fides habeatur toties hallucinanti, fingenti, mentienti. Cæterùm recordare eius quod ſcripſi-

ſti (in quo infrà, Te multoties mentitum conuincam ;) Cyriaços obducto velo ſuorum occultare defectus, dum procaciter irruunt in lapſus aliorum, cùm Te ipſo teſte, CanusS. Antoninj & Vincentij Beluacenſis,Sodalium ſuorum, oſcitantiam vt Tu dicis, populari trutinâ exagitet, acriúsque pectat. Quod idem præſtitiſſe ſtatim fateberis, Sybillanum Cyriacum erga Reuelationes S. Catharinæ Senenſis pariter Cyriacæ, vt Tuomet teſtimonio obſtruatur petulantiſſimum os Tuum. *Mendacium.*

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

In Combeſiſium & Braſichelem turbulenter irrùit.

S. *Anaſtaſium Sinaitam, Magnus Gregorius mirificè collaudauit; nec non VI. Synodus Actione 10. & Euagrius l. 4. Hiſt. Attamen F. Franciſcus Combefiſius, in Notis ad eius explanationem in Pſalm. 6. nec iſti parcit; & indebitæ prolixitatis eum arguens, & violati per aſſumenta ſua decori in narratione quadam de S. Ioanne Euangeliſtâ in reuocationem iuuenis ad bonam frugem intento. Sic placuit iſti Cyriaco perſtringere eximium Scriptorem, non alio fundamento, quam quia ita ſibi viſum; & quia Canus probatiſſima (ipſi quidem) Iudicij ſeuerioris idea, nihil tale crederet, ſi ei fuiſſet propoſitum. Scilicet, Canus eſt amuſſis ad quam dirigenda ſunt ſcripta Patrum; & quod ille improbaret, reiiciendum; quod admitteret, probatu dignum videri debet. Longè truculentius, & in Anaſtaſium, & in alios grauiſſimos Patres, in Patrum Bibliothecâ comprehenſos, egit, cùm eſſet Combefiſij Sodalis, F. Ioannes Maria Braſichelen, qui S. Anaſtaſium ſupra Deiphobum ſauciauit, timens innumeris locis, vbi non erat timor, illinenſque Margini eorum,* CAVTE LEGE; *quæ cautela ſi locis omnibus appingenda eſſet, in quibus improuidi poſſent occaſionem lapſus inuenire, etiam pleriſque locis Diuinæ Scripturæ eſſet appingenda. Vt quid ergò, Anaſtaſius & alij Patres Catholiciſſimi, quorum ſanæ doctrinæ adſtipulatur omnis retrò antiquitas, (pro aliis ad auertendam rudium prolapſionem in foueam s non ſit prorſus improbandum Monitoris ſtudium,) onerentur eo additamento Leuiathan, quæ vocantur inſermenti ſuſpicionem, loca verè azyma & quo ſugillentur indigna.* §. 48.

RESPONSIO.

NOn miror certè quod totiès inardeſcat perſonati Ludionis accenſa bilis in Combefiſium, qui ſæpè nugantis pueriles coercet ludos, obiecta Cani velut iudicis ſeuerioris ideâ. Diſplicet illi virtus, niſi ludicra, initoque cum Poetis ſimul ac Paganis irreligioſo fœdere, nec Deorum recipit ſine Momo concilium; nec prædilecti Euangeliſtæ effuſa erga peccatores charitas placet, niſi dum exponit, magna paruis temeret, commiſceatque ſacris profana ac ridicula. Quam Chryſoſtomus ſeruarat breuitatem in referendâ hiſtoriâ iuuenis perditi, ac ex Chriſtiano, Latronum ducis effecti, & à Ioanne Euangeliſta recepti, prolixioribus ex Euſebio deſcribit Anaſtaſius; adiunxitque circumſtantiam, quæ rem ipſam veritate nitentem, in falſi ſuſpicionem adducat, inquit Combefiſius, deprimatque grauitatem Apoſtoli, dum zelum eius extollit. Deſcribit enim D. Ioannem in extremâ ſenectute & propè centenarium, quaſi iuuenili ardore abreptum, aſcenſo equo, laxatis habenis, curſuque citatiſſimo proſecutum fugientem illum iuuenem: quod nec ætas ſenilis patitur, nec decet grauitatem Apoſtoli, nec veritati conſonum multis videatur. Licet etiam narratio rei congrueret, ſilendus fuerat Scriptori Chriſtiano ille volaticæ excurſionis apparatus. In eo autem Anaſtaſium nullatenùs vellicat Combefiſius, quia ille huiuſmodi hiſtoriam non condidit, ſed exſcripſit & recitauit ex Euſebio Cæſarienſi, viro, vt omnes ſciunt, hæretico. Non ergò vindicas virum Catholicum, S. Anaſtaſium, Petre, ſed Scriptorem à Fide transfugam; qui oblatam Tibi à Combefiſio caſtæ narrationis amuſſim, ac iudicij in ſcribendo ſeuerioris ideam, grata manu & inflexo poplite ſuſcipere debueras, qui es hiſtoricæ puritatis corruptor aſſiduus & profanus.

Nec minùs ingratus ac petulans erga Ioannem Mariam Braſichelem, qui ex præſcripto ſacræ Congregationis Indicis, in qua Patres Purpurati decernunt, Summuſque Pontifex calculo ſuo cuncta obſignat, loca ſuſpecta aut periculoſa in Bibliothecâ Patrum, occurrentia, inquirens, ne occaſio lapſus improuidis aut ignaris ingeratur, Margini illinens hæc verba CAVTE LEGE; præmonitos vo-

luit Lectores, quò faciliùs latentem ſæpè ſub floribus foueam aduerterent. Hæc religioſa ac prudens cautela Pſeudo-Petrum commouet; quaſi timeat ne caueant ſibi improuidi, decreſcatque hoc ſalubri Commonitorio, cadentium in errorem numerus, quo fit, vt exaſperatus extra modum, indices illos latentis præcipitij, vocet *additamentum Leuiathan*; ſeu artem diabolicam, quâ, vt loquitur, vocantur in fermenti ſuſpicionem imprudentes, præcaueturque imminens animarum ruina. Certè hoc ſalutari onere non grauantur, ſed ſubſiliunt Patres in Bibliothecâ contenti; imò gaudent ſi quid in eorum Lucubrationes, humanæ infirmitatis aut erroris irrepſerit, hoc innocuo ac neceſſario molimine declinari ac præcaueri. Nunquid in illâ Patrum Bibliothechâ leguntur opera Gennadij, Fauſti Rhegienſis, Fauſtini Preſbyteri, ac Marci Eremitæ, quorum fœlix exitus, ſcripta non ita pura; ſed ſæpè erroneâ fuligine reſperſa, & ideò præfixa vt plurimum eorum operibus Cenſura, admonet quale intus venenum lateat & illinitæ margini notæ, *Caute Lege*, foueam digito demonſtrant? Vnde P. Labbe nuperrimus Societatis Scriptor, benè docet cum Braſichellano, opus præfatum multas continere ſententias, à rectâ Fidei regulâ exorbitantes; ac proinde cautiſſimè ſemper ac acri iudicio legendum, propter ſentes & vepres errorum, in quos nonnunquam offendi poſſit. Laudanda ergò Braſichellana Cautela, quæ appoſitis ad marginem notis, amolitur lapſus animarum & ruinam, quam videtur optare Pſeudo-Petrus, dum præuertenti & depellenti eam Cyriaco, truculenter iraſcitur & inſurgit procaciùs, Thomas Maluenda eam ſuſceperat curam, ſed cum errante prælo multa extarent mendoſa, opus abſoluit Sodalis Braſichelen.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Cum Carthuſianis vult collidere Cyriacos.

S. Bruno Ordinis Carthuſienſis Inſtitutor, abſtinentiam à carnibus probauit; quæ vt in ſacro illo cœtu inuiolata perſeueraret, & artificiis molliculorum non pateret; legibus poſterorum in eo rigore decreta eſt, vt ne ad mortem quidem §. 49.

vitandam, fas eſſet carnes adhibere; ſuppetentibus aliis cibis, quibus depelli fames poſſet; ita vt non eſſet periculum mortis defectu cuiuſuis eſculenti incurrenda. Ad indemnitatem enim ſanctiſſimi inſtituti, potuiſſe ea ſepta apponi, quæ nullius me ticuloſitas pro longiori vitâ perſtringeret, rectè ſtatuunt præter Bartholomeum Ruremundanum, Richelium, Sutorium, cauſam ſuam agentes; Gerſo, Vaſquez, Hallus, Leſſius, Suarez, Aſor, & alij propè omnes: & inter Medicos, Arnaldus Villanouanus, qui in ipſo titulo ſui operis, profitetur ſe pro Carthuſianis, illud ſcribere contra Iacobitas. *Non eſt autem quod quis trans Pyrenæos, vel trans Alpes arbitretur,* Iacobitas *ab Arnaldo impugnatos, eſſe propaginem illam Eutichetis, cui à Colono Iacobo Syro Monophyſita,* Iacobitarum *denominatio eſt indita: Sed Iacobitæ iſti, non ſunt alij quam Cyriaci, à viâ Iacobæâ, quam Lutetiæ incolunt, denominati per vniuerſam Galliam,* Iacobitæ, *vel* Iacobæj. *Vnde Poeta priſcus Theodoricus Vallis-coloris in vitâ Vrbani IV. ad Anterum Cardinalem eiuſdem Vrbani nepotem, deſcribens Cardinales qui electioni dicti Pontificis, interfuerant, ſic cecinit apud Ferdinandum Vghellium, in Additione ad Ciaconium, in fine Innocentij IV.*

Totque Sacerdotes; genuiſſe Sabaudia primum,
Dicitur, Hugonem, qui Iacobita fuit.

Sabaudum *vocat, quia erat ex valle Barchinoneta, ditionis Sabaudicæ, vnde etiam Franciſcus de Mayronis oriundus erat, & alij inſignes viri prodierunt ex eadem Valle: ac nominatim, Hugo primus, tam multorum qui ex Ordine Iacobitarum (id eſt Cyriacorum,) aſſumpti poſtea ſunt ad purpuram. Hugonem, malè Mariana & alij plerique Hiſpani, deluſi viciniâ vocum, cenſuerunt eſſe Barchinonenſem in Coſetania, cùm fuerit Inalpinus ad Ebredunum, ibique hodie ſuperſunt reliquiæ Cœnobij ab ipſo Hugone ſuis Fratribus constructi; nec niſi anno 1628. militari licentiâ vaſtati. Iacobitæ ergò qui Ordinem Carthuſianorum impugnarunt, & ſoli ab Arnaldo Villanouano repellendi fuerunt, alij non ſunt, quam Cyriaci, de quorum obſeruantiâ erga S. Brunonem, & tot Sanctos, ex eius Laici defenſione liquet.*

RESPONSIO.

QVid venerandæ Carthuſiæ ſub ſpecie humanâ vitam excolentis Angelicam, profunda ſilentia, petulcâ

tulcâ libertate conturbas, Petre, qui ſilere non vis, nec ſcis loqui? Cur ſanctiſſimas perpetuæ à carnibus abſtinentiæ leges, illibatâ praxi firmatas, auſu irreligioſo & veſano *molliculorum artificio* conuellis, coactis è ſepulchro prodire ſcriptoribus, qui noua ſorte reparari ad vitam, ſingularem quam aliàs hac de re tenuere ſententiam, iteratò ventilent, vt poſſit inuſtæ ſibi calumniæ inuidiam depellere Prædicatorum Ordo, quem Tu collidere ſatagis cum PP. Carthuſianis, quos tanta veſtis & victus conſpiratio fœderauit? Certè nondum exſaturata mendicantium deturpatione, irreligioſa Tua Procacitas, Anachoreticæ imminet nunc quieti; tentatque, quibus non poteſt ſuadere eſum carnium, vanâ ſaltem quadam ſpei ac licentiæ eos imagine deludere; vt qui omnem infringendæ Abſtinentiæ ſpem fortiter abiecerant, reſumant infæliciter, irritante doctrinâ imbuti, quaſi ad aures cuiuſuis Solitarij Carthuſiam incolentis, cum ſerpente inſuſurres; Cur præcepit vobis Regula, ne carnem, etiam in caſu mortis, comederetis? Probant enim Cyriaci iniuſtum & irritum tale præceptum Hi ſunt *Iacobitæ qui Ordinem Carthuſianorum impugnarunt, & ſoli ab Arnaldo Villanouano repellendi fuerunt.* *Temario.*

Hæc Tu dicis, Pſeudo-Petre, ſed non probas; niſi dicere ſit probare, euadatque præſcripta veritas, calumnia frequens, mendacitas nuſquam interrupta. Quatuor hâc in parte agis, quorum conſonantia nulla: Propoſitam & probandam quæſtionem, ſeu intactam ſtatim dimittis: Iacobitarum nomen acriter exagitas: Vallis Barchinonetæ priuilegia impensè extollis: vindicas denique Hugonem Cardinalem Cyriacum, Italiæ, faciſque Inalpinum. Sed quo nexu hæc ſint inuicem compaginata; quantumue à ſcopo aliena, vident cæci, ipſique homines nondum nati iudicabunt. Ex eorum tamen indigeſtâ mole hæc coaleſcit Machina, hocue conficitur argumentum, nec aliud poteſt inde extrahi iuxta mentem Tuam, Tuiſque verbis ſigillatum. Arnaldus Villanouanus profeſſione Medicus dicit Iacobitas impugnare abſtinentiam Carthuſianorum: At hi Iacobitæ, ſunt ipſimet Cyriaci; Ergo ſoli Cyriaci impugnarunt abſtinentiam Carthuſianorum: *Vnde ſoli ab Arnaldo repellendi fuerunt.* En Tibi tuum argumentum, adeò debile ac morbidum, vt eguerit medico, tam materiâ

quam formâ vacillans & languidum. At quos affert Arnaldus huius impugnationis reos, opinioniſque abſtinentiam Carthuſiæ improbantis aſſertores? Quoſue Tumet Petre adducis? Neuter vllum. Quibus ratiunculis innititur Tui Æſculapij languens argutatio? Nullam profers. Vnicum ergo habes fidei Tuæ ſponſorem, virum Medicum; ipſumque nullo inſtructum argumento, nullo Authore fultum, qui nec aduerſarium Iacobitam ſiue Cyriacum proprio nomine obſignat vllum quem impetat. Verùm noſti-ne teſtem quem citas? Dabo Tibi genuinum ipſius ſpecimen ex Fernandez. [Arnaldus à Villanoua Medicus celebris Taraconenſis, cuius libri ſcaturientes erroribus, damnati fuere ab Inquiſitore Aragoniæ, Ioanne Lothgerio (Cyriaco.) Ita Eymericus Directorij q. 11. Diagus l. 3. c. 13. Scripſit contra eum Sanctius Beſaran (Cyriacus) Inquiſitor Generalis Aragoniæ, & alij vt in Hæreſiarcham.] Hæreticum damnatum à Dominicanis, teſtem producis in Dominicanos? Siccinè Theologica dogmata medicinalibus probas argumentis Authoris hæreſim ſapientis, ridicule Theologaſter? Cæterùm ſingula excutiamus; doque Tibi ferè omnium quæ à me ſunt opponenda, teſtem tuo iudicio irrefragabilem, Gabrielem Vaſquezium.* Scio enim Te percurrendis Authorum Tabellis aſſuetum, infœlici auſu ad excutiendos penitiores eorum ſenſus deuolaturum; vnde infirmitati Tuæ indulgens, hoc te onere liberabo.

* *An. 1316. concert. Prædicat.*

Tom. 1. in. 1. 2. diſp. 162. c. 1. 2. 3.

Aſſertores Sententiæ quam vellicas, triplici ordine diſtinguuntur. Aliqui dicunt, non ſolùm licitè poſſe, ſed etiam debere Religioſum quemlibet in infirmitate conſtitutum, veſci carnibus, ſi Medicorum iudicio, ſine illis ab ægritudine nequeat liberari. Ita Martinus de Magiſtris. *a* Ioannes Medina *b*. Almainus *c*. Dicunt alij Carthuſiano in periculo mortis ob ægritudinem conſtituto, licitum eſſe, imò neceſſarium, publicè abſtinere à carnibus propter ſcandalum. Ita Ioannes Gerſon. *d*. Ioannes Major. *e*. Hadrianus. *f*. Qui tamen ſecluſo ſcandalo licitè poſſe edi carnes docent, vt annotauit Vaſques, qui eos refert, ſicut & ſuperiores. Franciſcus de Victoriâ Cyriacus tertiam ingreditur viam *g*. atque; in caſu extremo non ſolum neceſſitatis (in quo omnes præfati conſentiunt) ſed & ægritudinis, licitum eſſe Carthuſiano carnibus veſci, alioquin

a *q. 3. de Abſtinent.*
b. *c. de Ieiunio q. vltima ad 4. argum.*
c. *in 4. diſt. 15. q. 2. in 3. propoſ. de dominio naturali.*
d *Tract. de Abſtinent. Alphab. 39. lit. O.*
e. *in 4. diſt. 38. q. 24.*
f. *quo lib. 1. a. 3. ad. 9. argument.*
g. *relect. de Temperant, c. 8.*

non eſſet conſtitutio tolerabilis & humana. Idem Filiutius, *h.* licere docet extra cœnobium conſtituto, ſi iudicio Medicorum eſus carnis valde ſalubris cenſeatur; Licere abſolutè citra ſcandalum. Tenent etiam Emmanuel Sa, Leſſius, k. Omnes itaque hi Authores 12. numero, inter quos vnus tantum Cyriacus, tres Societatis, reliqui Sacerdotes ſæculares, conueniunt in caſu ſummæ ægritudinis, licere Carthuſiano veſci carne ex præſcripto Medicorum, ſi ſine ſcandalo fiat. Quid ergo ſibi vult tua hæc conſecutio; Soli Cyriaci impugnarunt Ordinem Carthuſianorum: Si hoc impugnare eſt, nunquid & impugnarunt idem ſentientes, Martinus de Magiſtris, Almainus, Gerſon, Ioannes Major, Hadrianus, Ioannes Medina, Filiucius, Emmanuel Sa, Leſſius? Quâ ergo fiduciâ pro contrariâ opinione, citas Gerſonem & Leſſium, qui apertè contrà militant, vt ex eorum primâ inſpectione patet; ruitque tua ex Arnaldo Medico argutatio, cuius fundamentum vocat *Euaſionem* Gerſon. Imò contra quos Iacobitas, ſeu Cyriacos ſcripſit ille? Contra Victoriam qui ſolus huius Scholæ, citatur ab aduerſatiis, pro oppoſita opinione. At ille præceſſit hunc ferè centum annis. Viuebat enim Arnaldus an. 1316. ex Fernandez, & Gerſon interfuit Concilio Conſtantienſi quod celebratum eſt an. 1415. & Victoria multo tempore poſt Gerſonem.

h. *Tract. 29. in 5. præcep. q. 9. dicto. 2.*

i. *V. Religio n. 58.*

k. *d Iuſt & Iurel. 4. c. 4. dub. 2.*

Calumnia.

Impoſtura.

Iacobitas vis indicare dictos Cyriacos à viâ Iacobæa, quæ extat Pariſiis. Nomen hoc exagitas, nec times percelli Tuum, quia in tuto ſub laruâ latens. *Prælium itaque nominis eſt, & oditur in innocuis hominibus etiam innocuum nomen.* Æquiùs nos cum hoſte agemus. Parcamus nomini tuo, quia ignoto: videris tamen mihi, non abſimilis motum viciniâ, forte & nomine (alij iudicent) cuidam Aulico Michaelis Imperatoris, quem fideli penicillo adumbrauit ex Niceta, Scriptor ſocietatis Garaſſus, *Theophilus quidam homo ridiculus & hiſtrio.... Helluo ita publicè in Aulâ Regiá, ſuis omnibus nefandis impuritatibus & ſcurrilitatibus ſacra Myſteria imitatione quadam deludendo repreſentabat, vt ne impiiſſimi quidem Gentilium agere auſi ſint.* His delineatus coloribus, quæuis Scripturæ ſacræ loca, ridiculis ac ſcurrilibus rebus applicas: Sanctos irrides aut laceras; Deiparam iniurioſè traducis, vt duplici Senatusconſulto te flammis addicente conclamatur: in ipſum

Tert. Apol. 3.

Doctr. curioſa l. 1. ſect. 1.

Chriſtum impudiciſſimâ expoſitione blaſphemus, vt conſtabit infra §. 83. dum de Samaritanâ ſermo occurret; abſolutam animi & œconomiæ tuæ tabellam, apud Nicetam & Garaſſum inueniſti, latens, non ſub *Iacobita* aut *Iacobæi* titulo; ſed quidcumque voceris, ſub nomine fæculentiſſimi Scurræ.

At quid Tibi commune cum valle Barchinonetâ ditionis Sabaudicæ, cuius laudes, extra chorum longe ſaltitans, intempeſtiuo acroamate euentilas? Nunquid fortè oriundus ex aliquâ vallium Sabaudicarum, quæ adhuc ſordent profanis Vvaldenſium ac Albigenſium Hæreticorum reliquiis, quorum Patres D. Dominicus Cyriacorum ſeu Dominicanorum Inſtitutor, alijs ad fidem reductis, profligauit è Galliâ, ex tunc factos inalpinos? Hinc procul dubio ille quem à Deceſſoribus Tuis hæreditario iure & natiuo influxu excepiſti, in D. Dominici Ordinem & Alumnos eius, veſanus Liuor, furorque immenſus. Certè *loquela Tua manifeſtum Te fecit*, dum improuidè, Te è ſpecu Vallis-clauſæ oriundum ex nimio laudationis æſtu ſubindicaſti: Vallis inquam clauſæ Deo, veritati ac Religioni Catholicæ. Quidni ergo liceat mihi, de te Dominicanæ familiæ hoſte infenſiſſimo, Vallis (ſi coniectura non fallit) putidâ Albigenſium hæreticorum fæce ſordentis filio, ſentire idem, quod Chriſoſtomus de Traditore Iuda Iſcariote effatus eſt? *Quid mihi Tuam patriam dicis* & laudas? *Vtinam Te quoque neſcire licuiſſet*. Ideòne ſoli adhuc ſub errore gementis præconia intonabas, vt ex puditi fœtus miſerandâ ſorte matris infœlicitas innoteſceret? Cæterùm ex eodem ſinu natus Iacob amicus Dei & Eſau reprobus. Ex eadem infœlici valle, Petrus à Valle-clauſâ, homo perditiſſimus, tanquam ex ſpineto ſpina, & Hugo Cyriacus, purpurâ, doctrinâ ac pietate Eminentiſſimus, tanquam lilium è ſpinis & de vepribus flos erumpens, fulgenti micatu ſuo, gentilis ſui detegens infamiam, eamque configens, ipſis *ſolis lanceis*, vt cum Tertulliano loquar. Cum quo (mutato ſolo nomine Chriſtiani in Carthuſianum dicam; Carthuſianus *ſolâ & arida cute loricatus & contra vngulas corneus, præmiſſo iam ſanguinis & carnis ſucco, tanquam animæ impedimentis*.

De Pudic. c. 7.

L. de Ieiunio.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Exagitatas à Cyriacis reuelationes S. Birgittæ, falsò conclamat.

S. Birgitta Sueca, multis fuit reuelationibus clara; quas olim degeſſit in ſpiſſum volumen, probantibus Romanis pleriſque Pontificibus, nominatimque Bonifacio IX. poſt accuratam per præſtantes doctrina Theologos & Antiſtites, diſcuſſionem. Inuenti tamen ſunt quidam, Cyriaci, per quos Reuelationes illæ ſunt exagitatæ. Mouit eos præſertim, Reuelatio facta huic Sanctæ Viduæ, de B. Virginis præſeruatione à culpâ originali. Progreſſus verò vlteriùs Bartholomeus Sybillanus, non modo S. Brigidæ, ſed etiam S. Catharinæ Senenſis reuelationes, ad purè humanas cogitationes reuocauit; iis ex ſuo Henrico Haſſo argumentis adhibitis, Dec. 7. Peregr. qq. c. 3 ad 6. quibus omnium planè Sanctarum Mulierum Reuelationes, depreciandas eſſe, apertè habeatur. Inanitatem earum ratiuncularum, exſufflant Corduba l. 1. q. 44. Vaſq 3. Parad. 117. c. 6. & Martinus Delrio l. 4. Mag. c. 1. q. 3 ſec. 4. Ego non hæreo, contentus intendiſſe digitum in hanc Cyriacorum de Sanctis mulieribus oblocutionem. §. 50.

RESPONSIO.

DE Te dictum ſcito per Prophetas, repetito queſtu exclamantes: *Corruit veritas in plateis.* Et alibi, *Diminutæ ſunt veritates à filiis hominum.* Aut enim cruentâ manu veritatem confodis & enecas; aut ſaltem truncas, & aliqua ſui parte decurtatam traducis. Tale Tibi ingenitum eſt odium veritatis, vt duriùs habeatur à Pſeudo-Petro quam à Dæmone, qui quidem in veritate non ſtetit; in Te autem veritas non poteſt ſtare. Ille in exilium veritatem compulit, Tu veritatem morti addicis aut mutilationi, vnam eius faciem exertè producens, dum aliam veteratoriè diſſimulas. Reuelationes S. Birgittæ duplici attinguntur aſpectu. Poſſumus enim eas intueri circulante naturam earum oculo, nec vllatenùs ad externa deflectente obtutu: & iterùm foras exeuntes, quatenùs alterius cuiuſ-

dam Sancti illuſtrationibus æquo libramine coæquantur. Si de primo quæſtionis ſtatu inſtituatur ſermo; dic Petre, & nominatim profer Cyriacos, qui eas Reuelationes à Conciliis & Pontificibus approbatas vel tantillum exagitarint. Nullum planè producis, ita vt hoc illaqueatus ſilentio, impoſturæ arguaris. Non enim veros huius Diuæ Ariſtarchos tacuiſſes. ſi forent, qui ſuppoſititios venaris ac chimericos. Viſne Tibi Lector habeat fidem, qui fidem omnem toties eiuraſti: Indica mihi quem defendam, & à calumniâ vendicem Cyriacum, inofficioſe ex præoccupatâ actione Apologiſta; cùm nullum ſingulariter crimineris? Dabo ego tibi ex proprio nomine, & nomine perilluſtri, Scriptorem Cyriacum, Patrem Purpuratum, Ioannem à Turre-cremata, cui à Concilio Baſileenſi adhuc Oecumenico, commiſſum eſt Reuelationum S. Birgittæ examen. Librauit eas doctiſſimus ac ſapientiſſimus tunc Concilij Theologus, poſt Cardinalis, non populari aut adulante trutinâ (quæ tibi familiaris eſt) ſed æquo, ſeueriorique examine, nec minori erga Diuam affectu. Tulit tandem ſuum de iis iudicium; cui adeò detulit ſacra Synodus, vt eo referente, approbarit eas, vt claret ex præfixâ eiuſdem Cardinalis præfatis Reuelationibus relatione. Licèt autem quidam ex Cyriacis, comperiatur eas exagitaſſe; quid tum? cùm eiuſdem Ioannis teſtimonio, tot in eaſdem ora vndique conclamarent; ipſeque Baronius ſic inueniatur de iiſdem effatus; eoquod dicta Diua aſſerat precibus D. Gregorij Papæ, animam Traiani Imperatoris infidelis ab inferis liberatam & in ſublimem ſtatum tranſlatam. *Veneror quidem* (*vt par eſt*) *ſanctas ipſas* (Birgittam & Matildem) *ac colo; ſed de Reuelationibus ipſis factis, vel potiùs ipſis adſcriptis, ea duntaxat recipio, quæ Eccleſia recipit, quam ſcimus non potuiſſe iſta probare quæ ſunt adeò inter ſe pugnantia.* Quid ergò mirum, ſi quod ille reprobat tanquam alienum à veritate & à D. Birgittâ, aliquis ex Cyriacis exagitarit, cum tamen nullum huiuſmodi proferas?

Impoſtura.

An. 604. n. 60

L. 4. c. 13.

Verum quidem eſt; dum quidam non honori Sanctæ Viduæ, ſed ſuis indulgerent affectibus, Reuelationes eius cum Reuelationibus S. Catharinæ Senenſis, contentioſo & captioſo ſpiritu collidentes, Viduam & Virginem irreligioſo commiſere certamini; inſurrexerunt ſtatim inſulis,

doctrinâ & pietate præcellentes Cyriaci, vendicantes à compedibus veritatem, quam alij in iniuſtitiâ tenebant; non quia D. Birgittæ aduerſi; Abſit: Sed quia amici veritatis. De quibus cum inferiùs à Te ex compoſito Diatriba inſtituatur, impudentiſſime hominum, quid hoc loco anticipatâ garrulitate obtrudis, quod infra erit ſeueriùs excutiendum? Mirum ſanè! Omne malum, teſte Tertulliano, *timore aut pudore natura perfudit. Malefici geſtiunt latere, trepidant deprehenſi.* A Te natura vtrumque abſtulit, aut vitium. Infantes non timent, quia inexperti & aſſueti iis quæ ruborem incutiunt. Tu verò poſt tot horrendos lapſus, nefádaſque impoſturas, in quibus deprehenſus es, nec times adhuc, nec erubeſcis, nec pallet vultus Tuus, nec rubet, quia ſub ſcurrili laruâ vtramque copulaſti, infantilem imprudentiam & impudentiam anilem; vnde nec pallorem nec ruborem contrahit veteratoria ſupinitas. *Apol. 1.* *Impudentia.*

Cæterùm Sybillanum ſybillas Chriſtianas impetentem quid obiectas? Cyriacus eſt, veritati magis fauet, quàm veſti, nec S. Catharinæ reuelationes depreciat, vt Tu garris, ſed alto ſpiritu exſufflat leuiſſimas eorum ratiunculas, quos habuere præduces Corduba, Vaſquez, Delrius; quiuè mulierculatum quarumcumque euanidas cogitationes, oracula conclamant, dum eorum conatui fauent aut indulgent. Reclamat ille cum Baronio iam laudato. *Abeant igitur vana commenta, ſileant prorſus inanes fabulæ, ſepeliantur que æterno ſilentio* reuelationes improbatæ aut non approbatæ ab Eccleſiâ. Ad hunc enim lydium lapidem, quæcumque huiuſmodi non fuerint exagitata, primo flatu deſpuantur. Sunt vt plurimum mulieres, corde deuotæ, ſed naturâ debiles: verum putant quodcumquem illis pium videtur; & vt imaginatione multum pollent, non ita iudicio; deceptui & illuſionibus peruias probat experientia, quæ Tertullianum adegit vt diceret (muſcipulâ quam digito præmonſtrarat, ipſe fuit tandem capiendus) nullam vnquam extitiſſe hæreſim quæ mulierem non habuerit matrem aut adminiſtram; ex quo à primâ muliere inſufflatâ à ſerpente, proceſſit verbum exſtructorium mortis. Fuere tamen aliquæ mulieres quæ cæleſti perflatæ aurâ, vera cecinere. Datur enim triplex Reuelatio in orbe Fideli & Orthodoxo. Prophetalis, ſemper & vndique vera: qualis apud Iudæos in Debora & Anna propheti ſſa: de quibus *N. 61.*

dictum, *Filij & filiæ meæ prophetabunt*: alia pia, & nullâ ſuperſtitionis labe reſperſa, ſed non infallibilis; vt in Birgittâ, Matilde, Catharinâ Senenſi, Thereſiâ. Tertia denique, falſa & ſpuria, ex omni parte reprobanda, qualis in Priſcâ, Maximillâ, & Philumene, quæ fabellis ſuis magnum illum Tertullianum Montani inuoluit erroribus. His autem mulierculis ſpiritu erroris afflatis annectendus eſt Pſeudo-Petrus, è cuius ore loquitur, qui in corde eius reſidet, ſpiritus mendax.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

D. Xauerium à P. Monſtro vellicatum, iniuſtè queritur.

§. 51. S. *Franciſcus Xauerius, quia primus intulit fidem Euangelicam Iaponibus, & Apoſtolico ſpiritu immenſas regiones Indiarum Orientalium peragrauit, Ieſum Chriſtum annuncians; in quodam libro*, Iaponiorum Apoſtolus *cognominatus erat. F. Monſtrum, veluti harpyia illicò inuolauit in illud cognomen, & eraſum voluit. Sed non potuit obfirmari in ſententia; quia adfuit qui Decretalem vrbani VIII. de Xauerij Canoniſmo proferret; quâ vir Dei* Indiarum & Iaponum Apoſtolus, *ab ipſo Pontifice denominabatur in tam graui Diplomate. Nam eiuſmodi Diplomatum omnes apices, appendi in trutina quam exactiſſimè, nemo ignorat. Itaque aduertens F. Monſtrum, cui periculo, & muneri ſuum, & pinguem cenſum quo potiebatur, obieciſſet; ſi reſciretur in Aula, ipſum agere Correctorem Decretalium Pontificiarum, illicò veluti à preſſo Angue, retulit pedem. Et erat ſanè in eo facto, vel ignorantia, vel malignitas non vulgaris. Poterat enim, vel etiam debebat, homo eum locum occupans, non ignorare appellationem* Apoſtoli *in Dei Eccleſiâ, non arctari ad duodenarium primariorum Chriſti Diſcipulorum, quos eſſe antonomaſticè ac ſupereminenter Apoſtolos, nemo eat inficias. Excellenti tamen participatione eiuſdem muneris ac ſimilium laborum, ad alios quandoque diffuſum conſtat, nomen* Apoſtoli. *Putà ad eos qui primi alicubi Euangelium annunciarunt. Qua de cauſa S. Martialis* Lemouicenſium Apoſtolus, *renunciatus eſt, ex decreto quinque Conciliorum Gallicanorum, quibus ſuffragatus eſt Ioannes XX.*

RESPONSIO.

QVouſque tandem abutere perſonate Nebulo, patientiâ noſtrâ? *Qui à ſe ipſo loquitur, hic mendax eſt*, inquit Euangeliſta: Tu verò indefeſſo luctamine adulteratis Authorum ſcriptis ac ſenſu, à Temetipſo loqueris; Quid ergo mirum, ſi nuſquam exhauſta mendaciorum illuuies non detumeſcat? Mentiri eſt contra mentem ire & loqui, & hoc deuiantis animæ indicium: At mente penitùs cadere præ timore, (qui ſæpe eſt longus furor, ſicut ira eſt furor breuis) violati iudicij non leue argumentum. Varis vana terrori ſunt; curriculi motus, rotarum verſata facies, Leones redigit in caueam; Elephantos porcina vox terret: metuitur vmbra ab infantibus, & à feris rubens pinna: Ad primum ſpectri intuitum obriguere aliqui; alij mente ſoluti, ſicut & ſola *Monſtri* obuia ſpecies terrens, Pſeudo-Petrum dementauit. Vnde qui hucuſque commentis omnibus aſtruebat fallaciam; hic non fallit, exors ſui, niſi vt commenta ſua turpiter reuelet & prodat. Quò fit vt laſſata tot gerris & figmentis patientia, quæ repercutiendæ iniuriæ imminebat, mutato ex occaſione affectu, tenellâ miſeratione erga Te afficiatur, Petre; dum ſub lamentabili rerum tuarum apparatu, occurrit ſeduliùs intuenti, turbata in ſe memoria, luxata mens, deprauata voluptas, & ex his, plena naturæ rationalis euolutio Nil vanitati tribuo, pro veritate colluctans. Excidit Tibi certè memoria, & confuſæ rerum imagines, intra cerebelli Tui penitiores receſſus permixtim conuolutæ, mendacem vndequaque hiſtoriæ præſentis contextum expreſſere. Rem breui ſinceràque narratione ſubiicio. *Dementatio.*

Prouidentia diuina quæ hoſpiti aptat hoſpitium, vaſtam & omni Scientiarum genere expoliẽdam animam largitura P. Richardo Cyriaco, ac ſacri Palatij Magiſtro, vaſtam quoque parauerat domum, & amplum in prægrandi corpore. Caput. Hæc Capitis & Mentis portentoſa maieſtas, *Monſtri* illi nomen apud Sapiẽtes promeruerat. Ad primum huius nominis ſonum, concidit Petri dementatum caput. Cur ſic? Oblatus eſt Magiſtro S. Palatij liber, in quo D. Xauerius inſcribebatur, *primus Indiarum & Iaponiorum Apoſtolus.* Eradendum decreuit ille Titulum quia falſum,

nec Sancto gratum, qui veritate fruens, falſis offenditur Encomiis. Deletum eſt quod ſuperfluebat: conceſſa præli licentia: Religioſa concedentis collaudata prudentia. Hic genuinus Hiſtoriæ tenor; quem vt adulteraret, titulum dimidiauit Impoſtor Pſeudo-Petrus; eraſiſque his duabus

Falſatio. voculis, *primus Indiarum*, circa quas integer rei cardo voluebatur, tantum ſubiecit *Iaponiorum Apoſtolus*; arguens hac fœdâ interpolatione Richardium ſeu P. *Monſtrum*, ſupinæ ignorantiæ aut malignitatis, vt loquitur, non vulgaris; ſeu qui ignoraret nomen Apoſtoli non arctari ad duodenarium primæuæ inſtitutionis numerum, ſed porrigi & diffundi poſſe ad alios. Quaſi ignoraret vir inter doctiores ſui æui ſpectatiſſimus, D. D. Remigium & Auguſtinum Apoſtolos indigitari, illum Galliæ; Angliæ iſtum; licet longè ante Remigium floruerit Eccleſia Gallicana à Dyoniſio primum imbuta; & ante Auguſtinum Britannia primùm ad fidem conuerſa cum Rege ſuo Lucio per viros Apoſtolicos ad eam miſſos à Teleſphoro Pontifice.

Sed quid ipſe *Monſtrum* ſenſerit, de ore eius excerpamus in Opuſculo de Litaniis B. Virginis, ad illud *Regina Apoſtolorum*, cuius verba quia Italico expreſſa Idiomate, vt omnibus ſint peruia, latinitate donaui. [Non eſt ergo incredibile, numerum Apoſtolorum qui initiò ad duodenum erat limitatus, pro varietate ſæculorum ita excreuiſſe in cælo, vt qui vſque ad viginti quatuor erant tempore D. Ioannis, hoc noſtro ſæculo ita ſunt multiplicati, vt ſufficientem conficiendo regno numerum expleant. Stephanus dictus eſt Apoſtolus ab antiquis; Philippus Diaconus, Simon Epiſcopus Hieroſolymorum; Dyoniſius Areopagita, Martialis, Cephas, Gregorius Magnus, nomen Apoſtoli obtinent apud antiquos Scriptores.] Non ignorat ergo ad alios transfuſum nomen Apoſtoli, nec conſequenter ex hac parte D. Xauerio denegandum; ſed eraſum voluit prudenter, illudmet quod Tu quoque doloſè eraſiſti, vt Lectoribus illuderes, *primus Indiarum*. O non amoris, magis quam veritatis vis ignea, vbique ſe prodens atque emicans! Hoc ſit interim turbatæ ac perforatæ memoriæ ſpecimen non iniucundum.

Nunc ad apicem mentis conſcendamus, terebrati cerebelli patentes adhuc rimulas inſpecturi. Poterat-ne pellucidiùs eminere euoluti iudicii miſeranda ſtrages, quàm

Tuomet flatu euertere quæ ſtabilienda ſuſceperas, ac crudeli ſcalpello eradere de Albo Apoſtolorum D. Xauerium, cui tamen debueras Apoſtolicum aſſerere decus? Quod hoc diſcurſu euinco, præſuppoſitâ Philoſophicâ lege quam non ignoras, ſi tamen vel primis labris Logicales Summulas attigiſti, quæ docent hanc eſſe vim notæ copulantis, vt ad veritatem *copulatiuæ propoſitionis*, vtraque eius pars debeat vera conſiſtere; vnâque in falſitatem deuergente, ſubruit, integraque inuenitur falſa propoſitio copulatiua. Exemplo rem ſubiicio. Vt hæc vera ſit; Petrus & Paulus ambulant, debent ambo ambulare; altero enim tantillum quieſcente, falſa copula, falſa quoque enunciatio. Hoc dato; Tuo Te fune illaqueo Petre: Apoſtoli nomen inquis, quod antonomaſticè & ſupereminenter duodecim primis Chriſti diſcipulis competit; excellenti tamen participatione eiuſdem muneris, diffunditur ad eos qui *primi* Euangelium alicubi annunciauerunt, vt Martialis Lemovicenſibus. At ex tuo (ſi Chriſtianus es) & omnium fidelium infermentatorum conſenſu, D. Xauerius non prædicauit *primus* Euangelium in Indiis, quia D. Thomas Apoſtolus inuenitur ibi Chriſtum prædicaſſe, & ipſemet S. Franciſcus Xauerius dum eò appulit, reperit Chriſtianos (qui adhuc ſuperſunt,) nuncupatos *Chriſtianos S. Thomæ.* Prædicauerunt & longè ante illum in Chinenſi ſeu Synenſi regno & regionibus vicinis Auguſtiniani, Minoritæ, Dominicani, vt palam docent hiſtoriæ Orientalis Scriptores. Ergò ſecundum Te non eſſet Apoſtolus Indiarum; quod tamen Fideles omnes lubenter ei adſcribunt; falſaque aliunde eſſet hæc propoſitio, licèt etiam primus prædicarit Iaponiis: *D. Xauerius eſt Apoſtolus Indiarum & Iaponiorum*; quia ad falſitatem copulatiuæ, ſufficit quod alia eius pars à veritate abludat; vt hîc non eſt verum quòd Sanctus iſte, primus Indis Chriſtum annunciarit. Viden' quo Te abduxit laxæ mentis cæca procacitas? *Contradictio.*

At quomodo Tibi foret ratio humana ſuperſtes, qui non hominis, ſed feræ cor habes; cor inquam Harpyiæ? Inſtar enim Harpyiæ inuolas non in nomen ſolum P. *Monſtri*, ſed & in manus eius ac cenſum; quem putaſti pinguem. Fatigatus nautico labore Æneas, defertur ad portum, & cum Sociis ad calcem præcelſi montis, paratis cibis tentat famem depellere; volitant interim è ſpeluncâ viciniori, ro-

ſtris & vnguibus armatæ aues, prægrandes ac fæculentæ, *Harpyias* vocant Indigenæ, quæ nec voce nec enſe repelli ita poterant quin cuncta vorarent; nullum tamen impacti

Æn. l. 3. vulneris extabat veſtigium, quod Poëta eleganter cecinit.

Sed neque vim plumis vllam, nec vulnera tergo
Accipiunt; celerique fugâ ſub ſydera lapſæ,
Semeſam prædam, & veſtigia fœda relinquunt.

Hâc duplici illuſtrem prædâ, quis Te Harpyiam non credat, Pſeudo-Petre, qui roſtro, dente & vngue pinguem de manibus *Monſtri* cenſum voluiſſes ſubripere? Nec Te feriunt illati ictus: Apoſtolicum fulmen Roma in Te contorſit; bis Te Gallia vltricibus flammis tradidit, eſt tamen fœtentis Harpyiæ, triplici buſto adhuc pluma ſuperſtes, quarto Iuſtæ defenſionis huius incineranda igne.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Multa ſuſpicit improbanda, nihil attingit ridiculus Trico.

§. 52. *QVid mirum Cælites de quibus hactenus, adeò irreuerenter à Cyriacis habitos; cum ipſe S. Thomas Aquinas, qui pleriſque eorum eſt pro obiecto fatui amoris, (quali improuidos erga nonnullos Sanctos corripi aiebat Origines Homil. 25. in Lucam,) adeò à multis Cyriacis tractetur illaudabiliter? Præterea falſationes in eius operibus audaciſſimè factas à Coſma Morelles; Thoma Lemoſio, & alijs de quibus poſteà. Item dimitto ſuppoſitiones variarum lucubrationum, quas conſtat non eſſe S. Thomæ, à Fratribus tamen immiſſarum in S. Thomam, vel vt S. Thomæ volumina exereſcerent, & numerus tomorum in quos eius Opera digerebantur, eſſet auctior, ita vt Scoti volumina excederet; vel vt opera illa aliena, indigna ingenio S. Thomæ, tamen præfixo S. Thomæ nomine, eſſent vendibiliora, quod de commentario Petri Veronenſis, abs ſe primùm vulgato, & abſque veri authoris ignoratione, ſuppoſito S. Thomæ, faſſus eſt Hieronymo Vvielmio, Bartholomæus Spina, per quam infidelitatem multi furfures intruſi ſunt in Beati Thomæ ſiliginem, ac lectiſſimum pollinem contaminarunt, nominatimque opera Thomæ Anglici, qui dignus non erat ſoluere corrigiam S. Thomæ, tanquam Thomæ Angelici ſunt vendita-*

ta; deluſis quidem ſimplicibus, ſed S. Doctoris per ſpurios huiuſmodi fœtus in cuculum tranſmutati, non leui dehoneſtatione. Hæc à Cyriacis ipſis, in ipſum S. Thomam iniurioſè patrata, nunc dimitto; ſed alia attingo potiùs quam perſequor.

Illudque in primis, pleroſque eorum non ſapere ad ſobrietatem, profundendo voce ac ſcriptis laudationes inſulſas, quibus S. Thomas putidè extollitur ſupra omne quod dicitur doctum, ſtatuiturque regula Fidei, & Doctor à quo Romani Pontifices aliquid circa Doctrinam definiendo, (niſi errare velint) nequeant deſciſcere. Eas, inquam, & ſimiles auxeſes laudationum, conteſtor eſſe S. Thomæ iniurioſas, & in eius dehoneſtationem cedere. Sapienter enim admonebat Caſſianus l. 1. de Incarnat. c. 2. etiam eas laudationes putere ac probro eſſe, quibus affingitur alicui decus indebitum.

Auſim dicere hoc eſſe imitari linguam blaſphemantium; id eſt, interprete S. Gregorio l. 12. Moral. c. 14. ſpecie exhibendi honoris, contumeliam reuera irrogare. Quod fecere plerique Hæretici, (ait ibi S. Gregorius) ferentes blaſphema dogmata, vt diuino honori conſulerent; v. g. aſſerentes, Deum non niſi apparenter eſſe factum hominem, quaſi vera humanitatis ſuſceptio ei probro eſſet futura. Æque Petrus Chryſologus Serm. 109. admonet omnes hæreſes, blaſphemando & iniuriam Deo inferendo, velle videri Deum honorare ac obſequio demereri. Mira diſputatio! Deum deſtruit cum honorat, (aiebat author Epiſtolæ de vera Circumciſione Tom. 9. Hieronymi,) Manichæos & Arianos, adducens in exemplum dehoneſtationis & inhonorationis Dei, dum ſpeciem vanam eum honorantium præferunt. Haud ſecùs ergo iſti ampulloſi & malè conſulti veneratores S. Thomæ, non tàm S. Thomam extollunt, quàm deprimunt; non tàm colunt quam infamant; vanos ei Titulos quales attingebam, deferentes, qui verè non ſunt honori ac laudi, ſed iniuriæ ac probro.

RESPONSIO.

MAdidos adhuc & rore antelucano imbutos herbarum apices nondum ſol viuaciori radio deterſerat, cùm rei venaticæ imperitus quidam, iuuenilique ardore abreptus, impatiens horæ quâ incaleſcens terræ facies, faciliorem canibus præberet odoratum, abiit ſolus in campum, grata rerum varietate diſcriminatum. Hinc expoſita pla-

nicies erigitur in collem aſcenſu breuem & facilem; illinc curuatur in vallem compendioſo limite cinctam. Vineas per angulos quoque ſparſas interſecant rara ſyluæ naſcentis arbuſta, falceque meſſoriâ decurtatæ quæ interiacent ſegeſtes, faciles ac tutos recondendis leporibus, receſſus oſtentant; quos alluit leni ſuſurro decurrens riuulus. Hìc oculo ad prædam intento, luſtrat vndequaque inexpertus Tyro, an cuiuſdam feræ latitantis ſecretum cubile detegat; dumque rudem fallit aciem affinis rerum forma & color, leporemque rotans pupilla in proprio iacentem latibulo curioſè indagat, lepus eſt quodcumque videt. Sicque fallaci deluſus ſpecie rerum, hinc vt ſibi videtur, vnum comperit lepuſculum, recenti vel ſcrobe ſepultum; alterum, emenſo breui itinere introſpicit latentem ſub vmbraculo pampini: tertium indicant leui motiunculâ concuſſæ prope ripam amnis, arundines, multiplicique errore decepta mens ſub indocto artis venaticæ oculo, duodecim intra breue ſpatium, immoto affixos cubitui lepuſculos ſibi viſa eſt intueri.

Faſcinatus adulanti hoc ſpectaculo Bardus ille, vix ſe præ gaudio continet; reuocat ſine morâ pedem; citato gradu domum repetit, aperitque ſociis fœlicem prædæ inuadendæ apparatum. Vix deluſæ mentis fallentiſque oculi errores hiſtoricâ veritate adornauit, ſibi aliiſque ſyncerâ narratione obuelans fallaciam: rident omnes, inæquali conſilio, illi ſpe numeroſi leporis blandiente titillati: hi ex fabuloſo diſcurſu ridiculum ſuſpicati venatorem. Inſtat tamen ille rediturus ad fatalem agrum duodenâ meſſe fertilem. Interim Coquo imperat, vt ex tot breui capiendis leporibus, binos eoſque teneriores aptet in prandium; aſſumptoque ſinguli ſclopo ferreo comitantur euntem. Vix ingreſſus campum, ſociis digito locum indicat latentis feræ; nec mora, in capturam præceps, binâ aut trinâ rotatione peractâ, paratam intendit bombardam, & collimante oculo dum lepori globum intorquet imaginario (quem verum putat,) lapidem excutit, pauliſper ſub tenui herbarum contextu albicantem. Riſum quis teneat? Heu! exclamauit alter, cibum habemus ſolidiorem acuendiſque molaribus aptiſſimum! verùm datur venia inexperto. Tenditur ad ſecundum; circulato bis aut ter pampino, igneus immittitur globus, & importabilis ſtatim

fœtor erumpens, pro lepuſculo tumentem & horrendum exhibet bufonem, recenti ſanguine madidum. Effuſo riſu conclamant omnes, Hoc ne nos prædulci ferculo hodiè cibandos acciuiſti? Triſtis ille: ſed breuis rubor nouâ ſpe fugatur. Ad tertium properat, vbi colludente Zephyro in eius deceptionem, ſub tremulis ac nutantibus arundineti calamis propè oras fluuioli leniter alluentis, ratus latere prædam, lethale vulnus excipit & explicat, pro lepore, coaxatio frequens expirantis Ranæ: ſicque repetito vndecies luſu, ac toties iterato errore; tandem vltimo ictu pro lepuſculo eminentem ſed reconditam intra ſpiſſatas decuſſæ meſſis paleas, glebam terræ excutit, mille in partes igneo telo proſciſſam. Hoc Acroamate clauditur Scena, & communi riſu noui Venatoris excepta barditas, pro duodeno lepore, tot exiit exſufflatus cachinnis & oneratus ſcommatibus.

At quiſnam iſte bardus, populari ioco explodendus venator? Non dignoſces, laruatus incedit. Pſeudo-Petrus eſt, qui ipſo huius paragraphi aditu, ementito ardens zelo in Cyriacos tanquam Cælitum depretiatores, ipſique D. Thomæ multum irreuerentes, videtur locuturus aliquid grandius ore mortali. Magna præſumit, maiora pollicetur proterendis Dominicanis; nec leporum duodena cohors quam digito minaci indicat, euadet illæſa. Duodecim enim ipſis obtrudit, D. Thomæ iniurioſa, ſed nihil eorum probat; imò ſe nolle probare ſæpius conteſtatur, ſed volanti calamo indicata, & planè indiſcuſſa abiicit. Dicam nitidiùs, Ranas, bufones, lapides, terræ glebas & volitantes fumi globulos duodecim, pro totidem lepuſculis venditat. Primò queritur falſationes in operibus D. Thomæ factas à Coſma Morelles, ſed de his poſteà, nihil in præſentiarum acturus. 2. falſationis etiam inſimulat Leſmoſium; ſed hoc alteri probandum relinquit. 3. accuſat Cyriacos intruſiſſe multas lucubrationes in opera D. Thomæ, vt excreſcerent; ſed has ſuppoſitiones dimittit intactas. Thomiſtæ non intruſerunt, imò approbante Pio V. pariter Cyriaco ſepoſuere, diſtinctis characteribus ſpuria exſcribentes. 4. rationem dat præfatæ ſuppoſitionis, vt nimirùm his aſſumentis auctior factus D. Thomas, Scoti volumina excederet. Quo verò argumento, id probet alter, ipſe elinguis & mutus. Audi Tu qui inſenſatâ multum ſcri-

bendi prurigine laboras. D. Thomas non quantùm, ſed quam benè ſcriberet, attendit. Plus aliis ſcripſit; & licet pauciora dediſſet in lucem publicam; vnicâ vel ſummâ Theologicâ, cæteris Scholaſticis maior ſemper Aquinas. Integrum pueri corpus excedit vel vna Gigantis manus.

5. Turpiorem adhuc rationem adducit præfatæ intruſionis, lucrum nempe, quo indigna ingenio S. Thomæ opera cariùs venderentur, præfixo eis illius nomine, quod inquit falſus eſt Hieronymo Vvielmio Bartholomæus Spina, Cyriaco Cyriacus. Quo teſte? expectandus donec veniat. 6. Contaminatum his ſuppoſitionibus D. Thomam clamitat: at contaminationes iſtas diuinet qui voluerit, ipſe enim non indicat. 7. Queritur S. Thomam in *Cuculum* transſmutatum per ſpurios Thomæ Anglicani fœtus, ipſi adſcriptos, & per hoc dehoneſtatum: ſed dehoneſtationem non aperit. Sicnè ludicrâ & impiâ comparatione Sanctum traducis ac proſcindis Sacrilege Ludio? Octauò ait inſulſè laudari à ſuis eumdem Sanctum Doctorem. In quo? non oſtendit. 9. Iniurioſas auxeſes reiicit, quibus regulam Fidei eum Cyriaci indigitant: ſed Pontificum verbis, qui hoc ei detulerunt, non occurrit. 10. Ait D. Thomam ſtatui à ſuis regulam & menſuram Pontificum in definiendis rebus Fidei; ſed aliis hoc probandum remittit. 11. Dicit has S. Thomæ laudes blaſphemas eſſe in Deum: nec tamen hanc blaſphemiam Blaſphemus ipſe oſtendit, leuiculo ſaltem argumento, quo ingeſta probet. 12. Inhonorari ait S. Thomam à Cyriacis, dum eum laudant, quia vanos ei titulos deferunt; ſed pro oſtendendâ hâc vanitate, nec verbum; ſicque, fumo, vento, Ranis, Bufonibus, cauillis, ſtrophis, mendaciis, conuiciis, calumniis, piaculis, blaſphemiis paſcit Lectores, nihil planè exagitans eorum quæ adducit. Sub ementito erga D. Thomam zelo, quem habet pro obiecto fatui & rabioſi odii, verum & inueteratum nutriens furorem, ampullatus Trico & profanus Sanctorum encomiaſtes, non extollit eum, ſed deprimit; non colit, ſed infamat, falſos ei titulos deferens, dum vario furſure ſordentem, contaminatum, cuculatum, fatuique amoris idolum, ſcurrili ac ſacrilego ore proclamat. Magnitudine ſuâ ſtat D. Thomas, nec maior fit dum augetur, ſupinamque Tuam, ne dicam bruteſcentem inſcitiam caſtigabit Poſſeuinus, dum docebit Te paſſim, quod Te excepto omnes

Impietas.

ſciunt:

ſciunt: nullum ferè extare grauem Scriptorem, maximè ex Patribus & Doctoribus Eccleſiæ, cuius operibus non ſint admixta aliena. Nec turpitudinis lucri arguit Cyriacos, ſicut alios exagitat famoſus ille *Hypparchus* quem Tu forte noſti, putide Impoſtor, qui Te putidiùs extollis ſupra omne quod eſt doctum, pium, ſanctum, omnibus doctrinâ, pietate ac religione, cum ſis longè inferior.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Sotum falsò allegat contra Prædeterminationem.

AD hac Dominicus Soto 3. Phyſ. q. 1. art. 2. concl. 5. ſtatuit, aliquos qui ſe Thomiſtas *dicunt, & non ſunt, anxiè quæſitis quibuſdam locis S.* Thomæ*, contendere ex Sancti Doctoris mente, in potentiâ agente eſſe aliquem actum primum diſtinctum à ſubſtantia & potentiâ operatiuâ innatâ. Hos Soto ait eſſe iniurioſos S.* Thomæ*, nec aliud ſatagere, quàm vt eum obſcurent, & reddant inuiſum. Antoninus Reginaldus qui ſe* Compoſitorem *dixit, & verè eſt* Compoſitor*, quia fictores & figulos compoſitores dicimus, vt S. Gregorius notauit; mendacii damnauit hanc Soti allegationem; eò quòd ne pilus quidem eius habeatur apud Sotum. Sed condonandum eſt homini Luſcioſo, quem tunc deficiebant perſpicilia. Diſertè enim Soto, ſiuè in agentibus neceſſariis, ſiuè in liberis, (vt patet ex loco S.* Thomæ *de potentiis humanis, quem in rem ſuam profert,) omnia illa agentium auctaria ad operandum tranſeunter immiſſa, qualia admittunt Cyriaci Prædeterminatores, agnoſcit eſſe iniurioſa S. Doctori, & eum dehoneſtare, ac infamare apud alios.* §. 53.

RESPONSIO.

FAteri ſe cæcum; in non vidente, eſt ſanitas mentis in corpore ægro. Fateri ſe cæcum; in vidente, eſt ægritudo mentis, in corpore ſano. Profiteri ſe videntem; in cæco, eſt duplex ægritudo: Inſanitas corporis, & inſania mentis. Hæc eſt ſtatio Tua Petre. Vis Antoninum Reginaldum Cyriacum, fateri ſe cæcum, cum clarè videat; & Tu velles videri clarè videns, cum ſis cæcus. Vt

hoc clarè pateat Tibi dupliciter cæco, mente & corpore, cum Tua Te perſpicilia defecerint, aut per ea nihil videas; Scito duos poſſe concipi motus in causâ ſecundâ; vnum qui à Creatore fluat in creaturam, impellens eam ad agendum & applicans; qui Thomiſtis, *Prædeterminatio* dicitur. Alterum, qui à creatura ortus, tendit in effectum, in ea tamen receptus, & vocatur actio, in agente exiſtens. Sotus loco à Te laudato, vltimum ablegat, tanquam iniurioſum D. Thomæ, vt potè qui eum obſcuret & reddat inuiſum. F. Antoninus Reginaldus contendit Sotum ibi nihil de primo, ſeu de Prædeterminatione locutum; ſed de ſecundo, videlicet de actione manante à causâ ſecundâ, & in eâ tanquam in ſubiecto receptâ, quam expungit. Tu verò de primo, ſeu de Prædeterminatione, obfirmatè ſuſtines, condonandumque Reginaldo aſſeris, tanquam homini Luſcioſo quem tunc deficerent perſpicilia. Num hallucinaris?

Hallucinatio.

Sotum exſcribo, vt ex eius verbis, authoris Mens, tanquam regula & iudex cauſæ, à Lectoribus colligatur. [Quinta propoſitio. In agente nihil aliud eſt, quam agens ipſum & virtus agendi. Hanc concluſionem addiderim propter aliquos Thomiſtas, qui putant in igne v. g. quando calefacit, præter formam ſubſtantialem & calorem, qui eſt virtus calefaciendi, eſſe adhuc neſcio quam entitatem abſolutam, quæ eſt productio actiua caloris, & eſt fundamentum relationis agentis. Quam opinionem videtur impugnare Scotus, & quicquid ſit de eius argumentis, exiſtimo certè nihil eſſe prorſus in igne, præter formam & calorem, quo calefacit. 1. quia Ariſtoteles hic expreſſè diſputat, vtrùm actio ſit in agente (attende Petre) & reſpondet quod non, niſi in paſſo. Neque aliam prorſus actionem ponit, à quâ agens denominetur, præter motum qui eſt in paſſo ab agente.] Et infrà. [Vnde quando S. Thomas ait operationem eſſe actum potentiæ operatiuæ, non vult dicere, talem actum diſtingui ab agente & eius virtute; ſed quòd illa eſt perfectio & proprius finis potentiæ operatiuæ; ſicut ædificatoris eſt ædificare; non tamen quod ædificare ſit alia entitas, quam domum facere... Non ignoro pleroſque Thomiſtas perſcrutari authoritates S. Thomæ, quibus entitates iſtas multiplicent, nihil aliud profectò facien-

In 4. d. 17. q. 1.

1. p. q. 54. a. 3.

tes, quàm grauiſſimum Philoſophum obſcurum atque adeò inuiſum reddere.] Hæc Sotus ibi.

Audiſti Petre agi ibi de operatione creaturæ, quam aliqui thomiſtæ volunt recipi in agente, quod explodit Sotus poſt D. Thomam: non autem agitur ibi de operatione Dei in creaturâ, qualis eſt prædeterminatio. Non eſt ibi ſermo de operatione, ſeu entitate immiſſâ, vt Tugartis, in cauſam ſecundam; ſed de operatione & entitate emiſſâ à cauſâ ſecundâ in effectum. quidni ergo F. Antoninus Reginaldus, meritò damnauit mendacii hanc Soti allegationem à Te adductam in exploſionem Prædeterminationis, de qua nec apex? quid ni Te *Compoſitorem* dicamus? Et vere es *Compoſitor*, quia fictores & figulos compoſitores dicimus. Sed condonandum homini non tantum luſcioſo quem defecerint perſpicilia; verùm etiam cæco ad mendacia nato, mendaciis conſuendis aſſueto; & ex ea parte vix libero, quippe qui penè brutorum more, ad vnum in ſpecie ſit determinatus, putà ad mentiendum. Potes dum loqueris petre, Te hoc vel illo liberare mendacio; omni, non potes: ſi loquendum, mentiendum Hanc Tibi pudendam neceſſitatem impoſuit, mutara in naturam, fingendi aſſuetudo. Aſſuetudini enim dum non reſiſtitur, fit natura, inquit Auguſtinus, at vbi natura, ibi neceſſitas. Miserandę ſortis funeſta imago! aut ſilendum, aut mentiendum. Imò nec cum vera dices, tibi fides adhibenda, veritatem nuſquam proferre longâ experientiâ conuicto. Adegit Te ergo non libertas, ſed neceſſitas, dum celeberrimo, eoque duplici mendacio hunc paragraphum obſignaſti. Primùm eſt, quod ais, Sotum in loco adducto, diſertè locutum de agentibus tàm neceſſariis quàm liberis, vt nimirùm hâc ampliatione Lectores ſeducente, Prædeterminationem qua voluntas humana & libera applicatur, dolosè expungeres, cum nec vllum ibi de libertate aut agentibus liberis veſtigium habeatur. Secundum verò, in eo quod ſubiicis, hoc parere ex loco S. Thomæ de potentiis humanis, quem in rem ſuam profert Sotus: locus enim ille loquitur de potentiâ in communi: & in particulari de potentiâ Angelicâ: de humanis potentiis, nec verbum. Veruntamen claudendus erat mendaciis Paragraphus, qui mendacio inceperat. Dicis enim Sotum ſtatuere aliquos

Impoſtura.

Mendacium. 2.

1. p. q. 54. a. 3.

Thomiſtas contendere ex S. Doctoris mente, in potentiâ agente eſſe aliquem actum *primum* diſtinctum à ſubſtantiâ & potentiâ operatiuâ innatâ; cùm nil ibi dicat de actu primo, imò agit ex profeſſo vt euici, de operatione creaturę, quæ eſt actus ſecundus ex omnium aſſenſu. Mendax es Petre ab initio, & mendax eris vſque in finem & vltrà. Vtere in poſterum ſalubri hoc Amuleto aduerſus tale Scotema; nil ſcribas. Hàc viâ, fatigata Lectorum patientia reſpirabit, otioſæ erunt carnificum manus, mutumque infame programma.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Valdenſem calumnioſè adducit contra D. Thomam & Thomiſtas.

§. 54. *THomas item Valdenſis, Scriptor grauiſſimus, Tomo 1. Doctrinâ. cap. 28. conclamat contra quoſdam, qui affingunt S. Thomæ ſua commenta, de libertate humana per reſpectiuam neceſſitatem impedita; hoc eſt per æternas Prædefinitiones, & eis ſubiunctas Præmotiones diuinas, humanæ voluntati ineluctabiles, ſpoliata ſua vertibilitate in vtramuis partem. Queritur ergò Valdenſis*, hos, (*vt vocat*,) Magiſtros ſine omni neceſſitate neceſſarios, *abiectâ* antiquâ Eccleſię doctrinâ & formoſiore, & veriore, *luctari cum argumento de concedenda voluntati omnimodâ vertibilitate, ſi libera eſt; ſicut luctabatur Iacob cum Angelo: nec abſiſtere illâ vanâ fatigatione in eludendâ inexpedibili ipſis difficultate, quouſque emarcuerit neruus in femore, & ſuâ ipſorum reſponſione ſuccumbant. Et quia videbat, Cyriacos cum quibus (tacito licet nomine) agebat, emendicare ſubobſcura quadam D. Thomæ loca ad elidendam (quaſi ex eius ſenſu) vertibilitatem vtroque flexilem liberæ voluntatis, conteſtatur ipſe è contrario; S. Thomam clariſſimo ore dicere contrarium; & hanc (vt arbitratur,) Prædeſtinatianæ hæreſi collactaneam Doctrinam, non patitur affingi S. Thomæ, cenſens eam eſſe illi ignominioſam. Varia ſanè, pro ea voluntatis vertibilitate, per nihil à Deo admotum temerata, ex S. Thoma addenſauit Bellarminus in Recognitione libri 4. de Gratia & libero Arbitrio ad caput 14. Ex quibus putat, Prædeterminationes diuinas, ada-*

mantinas humanæ libertati ineluctabiles, à S. Thoma fuiſſe proſcriptas; nec illius honori conſulere, qui malè detortis D. Thomæ locis, quæ pro talibus Prædeterminationibus ferreis allegant, armant Caluinianos; inter quos Ameſius & Ferrius; verbi puri & non diluti pincernæ apud Batauos & Gallos haud obſcuri, conceptis verbis tradiderunt, quæ Aluares & Symmiſtæ tanquam D. Thomæ placita producunt, planè ſua & Magiſtri ſui Caluini *ſenſa eſſe. Id quod firmauit Synagoga eorum pariter potantium, collecta Dordraci, approbans gratiam irreſiſtibilem, & bruto Anathemate feriens eos qui dixerint, humanam libertatem poſſe abiicere tactum & excitationem Dei quæ effectum ſortitur. Quem eſſe S.* Thomæ *& Thomiſtarum nouorum ſenſum, ſibi paſſim gratulantur Batauiac Geneuates Theologaſtri. Non ex alia pharetra, petiere tela Ianſeniani, quos propterea F. Ioannes Baptiſta de* Marinis, *Magiſter ſummus Ordinis, ſuis Pariſienſibus impensè commendabat, tanquam veris S. Thomæ aſſeclis; ac ne damnarentur, egit quantâ potuit ſollicitudine, cauſatus, damnandum cum eis fore S. Thomam, (ſcilicet.) Eum autem fructum diligentiæ ac laboris tulit, vt ſe ac ſuos, fuliginis Ianſenianæ exortes non eſſe demonſtraret. In aliis pleriſque materiis & Philoſophicis & Theologicis, iidem plus iuſto liberales Thomiſtæ, dum nimium adhæreſcunt aliquorum verborum cortici, & quod ſemel tanquam merum à D.* Thoma *propinatum combiberunt; tenaciſsimè retinent, non mediocriter S. Thomæ luminibus offecerunt. Exempla proximè ſignabo. Hæc igitur eſt Scriptorum Cyriacorum erga Sanctos Cœlites obſeruantia, pro qua ſi libris eorum debetur immunitas, verendum eſt ne Hagiomachi, id ad ſuam cauſam trahant, & ſe immunes quoque eſſe debere conteſtentur.*

RESPONSIO.

Concreta hyberno frigore, geluque rigente facie terræ, nulla ſerpentum vis timenda. Replicato in varios circulos corpore, venenum viſceribus impactum gerunt, ſed non exerunt foras; externo retuſum algore, inſitum manet & elanguens internum virus, manumque tractantis patitur illæſam. At vbi primos Veris radios ſenſere complicati angues, explicant ſe; factus eſt recenti igniculo, liberior exitus; præceps erumpit vene-

num, & apertâ venenatis cuſpidibus viâ, latè ſe effundunt, vibrantque cum flatu lethale telum. Velitatio fuit huc vſque ac præludium, quodcumque tentauit perſonatus miles, non pugna: ludere potuit, non lædere imbellis pugil, ridendaque potiùs quam timenda ſpicula, quæ debilis & tremula manus contorſit. Frigebant in illo omnia; frigidæ voces, frigidiora argumenta, frigidiſſima mendacia; quia ingenitâ nugantis infirmitate obriguerant in eo omnes affectus & ictus. At nouo perfuſus Sole ſerpens incaluit, ebullitque domeſticum virus, authoritate & viuido afflatum ſpiritu Thomæ Vvaldenſis, viri Religioſiſſimi ac inter pręcipuos rei literariæ Antiſtites, illuſtri ſede locandi. Quod itaque huc vſque aperto Marte non obtinuit, hoc nunc inſidioſâ arte molitur, tanti viri armis ac nomine loricatus, in vltimam Cyriacorum ſtragem; maximè cum Thomæ Vvaldenſis obuelatus clypeo, ac Thomæ Aquinatis vindex, in Thomiſtas præliaturus exurgat. Queritur inquit, pro Thoma Thomas: pro Aquinate, Vvaldenſis: Doctrinam Angelicam turpiter à Suis traductam, & apud domeſticos nactam hoſtes, qui virginem fœdè conſtuprent, denudatâ voluntate humanâ, & per æternas Prædefinitiones, eiſque ſuppoſitas Præmotiones, verſatili in vtramque partem volubilitate ſpoliatâ. Hic quæſtionis nodus, hæc querelę materies.

Triplicem in hunc euentum aptat Machinam, accitis vndequaque, etiam ex hoſtium acie copiis, vt in occaſu huius ſuę Diatribæ, occumbant ſimul & omnia Cyriacorum munimenta, ablataque ſit proſtratis, omnis reſurgendi ſpes & facultas. Verùm antequàm imminentes exitio noſtro ſclopi detonent, ſignumque pugnæ imperetur, anticipatâ liberalitate demus Petro duo momenta, quibus inſiſtit, tertium poſteà excuſſuri.

Conclamat & meritò Vvaldenſis, magni vir nominis, (de quo Sixtus Senenſis in ſuâ Bibliothecâ ſcripſit, ipſum grauiſſima in lucem dediſſe volumina) adulterari à quibuſdam illibatam D. Thomæ Doctrinam, qui ei affingunt (vt Tu ſpurio Gloſſemate imponis, Pręedefinitiones & Præmotiones ferreas,) neceſſitatem quandam agendi quæ non ſit penes hominem, ſed extra poteſtatem hominis & omninò penès Deum. Damus etiam & vltrò

concedimus præfatam neceſſitatem, quæ voluntatis humanę vertibilitatem abſumat, Angelico Pręceptori (ſicut & Scholæ eius) iniurioſam, exoſam, imo & ignotam. At argutationes Tuæ defecerunt in tertio ſigno; dumque hîc agitur de Mente Vvaldenſis, quo nomine aut charactere prænotentur illi Doctrinę Angelicæ corruptores, ſeueriore trutinâ penſitandum. Luctabitur Iacob cum Angelo, nec abſiſtet vanâ fatigatione, veraque contuſione nerui, donec qui repertus fuerit nefandæ adulterationis Author occumbat aut abſcedat. Quos ergo notauit Vvaldenſis? Reſpondes, Cyriacos cum quibus (tacito licet nomine) agebat ille. Imponis certè: agebat enim ille ex deſtinato contra Huſſitas, ac Vvicleſitas, Luthero ac Caluino præludentes, vt fatetur P. Annatus Tract. de Scientia media. Cumque tunc temporis eſſent in Angliâ viri grauiſſimi ac doctiſſimi, qui in præfatorum errores & dogmata videbantur propendere, nondum tamen Transfugæ; dolens queritur vir Orthodoxus ac Religioſus Vvaldenſis, eos, quorum prudenter reticet nomen, turpiter inclinari in partes eorum, quorum error eſt de amiſſâ libertate & neceſſitate inductâ. Non attingit igitur Cyriacos: Primus enim ex eorum Scholâ, vt Tu met ipſe ſæpè confeſſus es, qui de his Prædefinitionibus & Præmotionibus nondum ventilatis, quia Pelagianus turbo Eccleſiam Dei concuſſurus, nondum reuixerat; datâ operâ ſcripſit, fuit Banneſius, quem Vvaldenſis multis annis præceſſit. In alterius ergo Scholæ viros ſtringebat ille calamum. Emarcuit itaque, Petre, neruus Tuus in femore, & vana in onerandis hâc calumniâ Cyriacis fatigatio, propriâ Te reſponſione obrutum ac ſuccumbentem demonſtrat. Quid ages? Auxiliares aduocas copias; dic cum illâ rabioſâ muliere,

Calumnia.

Diſp. 4. §. 2.

Flectere ſi nequeo Superos, Acheronta mouebo.

Negante ſuppetitias mihi Vvaldenſe, viro Catholico cuius me vmbone fraudulenter obtexeram; deuolabo ad Transfugarum exercitus, & triplex Hæreticorum agmen in Cyriacos, ſeu incatenatæ & per Prædefinitiones ac Præmotiones euerſę libertatis reos, cogam & armabo. Hoc itaque ſit iuſtę arietationis initium.

Prędeſtinatianæ hæreſi collactaneam Doctrinam, eo-

que nomine à D Thoma proſcriptam, probant Prædeterminationes illæ adamantinæ ac ferreæ Præmotiones humanæ libertati ineluctabiles, quas hianti ore concrepant Cyriaci. Quis loquitur Petre? Reſpondes, Vvaldenſis. Verus an fictus? Vox iſta, vox Iacob; manus autem, manus Eſau. Aduerto Inſidias. Vt honeſtiori titulo poſſis in auxilium Tuum euocare Hæreticos, qui Te Catholicum profiteris, nec nihil minus ſis quàm quod profiteris; Hæreticis accenſes Cyriacos, vt clauo clauum retundas, adminiſtrentque Tibi arma veri Semipelagiani, vt fictos Prædeſtinatianos impugnes ac traducas. Carioſa ſunt hæc arma, & Hæreticâ vetuſtate putrida: rancida ſunt hæc Argumenta à Fauſto Rhegienſe & Semi-Pelagianis in D. Auguſtinum vibrata per calumniam. D. enim Proſper in Epiſtola ad Auguſtinum, recenſens præcipuas contra eiuſdem Auguſtini Doctrinam, Maſſilienſium querimonias, ait conqueſtos, *ſub Prædeſtinationis nomine fatalem quamdam neceſſitatem induci* ab eo. Et in Epiſt. ad Rufinum in fine. *Ea*, inquit, *quæ de Fato iactitant, neque ipſum quidem onerant* (Sanctum Auguſtinum) *in cuius libris copioſiſſimè huiuſmodi deſtruuntur errores.* Idem conſtat ex Fauſto, vbi Doctrinam Auguſtini impugnans, ſic ait: *Sub pietatis fronte, gentilitatis malum, & inter Gratiæ vocabulum, abſconditum erit fatale decretum.* Et cap. 12. *Recedat hinc originalis definitio, vel fatalis.* Idem conſtat ex Auguſtino. Siccinè, Petre, inito cum Transfugis fœdere, Orthodoxos impetis armis Hæreticorum? Audi D. Thomam quid de hoc ab Hæreticis obtruſo ſenſerit. Vbi quærit an Fatum ſit immobile. *Fatum ſecundum conſiderationem cauſarum ſecundarum, mobile eſt; ſed ſecundùm quod ſubeſt Diuinæ prouidentiæ, immobilitatem ſortitur, non quidem abſolutæ neceſſitatis, ſed conditionatæ, ſecundùm quòd dicimus hanc conditionalem eſſe veram, Si Deus præſciuit hoc futurum, erit. Vnde cum Boëtius dixiſſet, Fati ſeriem eſſe mobilem; poſt pauca ſubdit: Quæ tamen ab immobili prouidentiæ proficiſcatur exordiis, ipſamque immutabilem eſſe neceſſe eſt.* Quid facies, Petre, contrito hoc telo?

L. 11. de lib. arb. c. 4.

L. 1. ad Bonif. c. 5. & 6.

1. p. q. 116. a. 3.

Excuſſâ veſte Prædeſtinatianorum, quæ non benè quadrabat Cyriacis, nouo Caluiniſtarum Rigidorum (vt vocant) pallio eos induis, affingens Aluareſio & ſodalibus,

affinitatem cum Ameſio & Ferrio de Schola Caluini, verbi puri & non diluti pincernis. Fingis, Petre, hæcque affinitas, commentum eſt; ideò compactum, vt tuto poſſis & arte ſubdolâ in Caluiniſtas Rigidos gratis aduocatos, prouocare ſeu cauſæ tuæ patronos, Caluiniſtas Molles, quos Arminianos vocant, Pelagiano furfure non parùm maculatos. Molliorem profeſſus vitam, molli innutritus palæſtræ, Molles quoque Caluiniſtas adducis patronos, pro decretis mollibus, blandiculis & delicatis, in ferrea vt fingis, adamantina & inflexibilia inſurgentes. Quid ergo? non vales Scholam Catholicam armis Orthodoxorum impetere, vt Tibi non ſolùm confugiendum ſit ad figmẽta exoleta; quibus Thomiſtas Caluinianis accenſes; ſed etiam ad Arminianos Transfugas & Hæreticos, qui adhuc ſub Caluino & pro Caluino cõtra Eccleſiam Catholicam militant? Miſerande ſenex, cui nec Ratio nec Religio ſuffragantur; Caluiniſtica cui tantum, eaque mollis Turma ſuccurrit? Certè præſtat non eſſe impunitum hoc perduellionis crimen. Audi ergo, & vt verbo à Te cuſo in Temetipſum vtar, excipe de ore P. Annati Societatis Scriptoris ſalubre hoc capitilauium, quod Tibi, contra afflictos Cyriacis Rigidos Caluiniſtas, Arminianorum, ſeu Mollium Caluiniſtarum arma mutuanti optimè congruit. [Tales Patronos (mi Fratelle) tali cauſæ acceſſiſſe res erat eiuſmodi, de qua partis alterius defenſores minimè oporteret eſſe ſollicitos: gaudendum illi potiùs fuit, Aduerſariorum copias hoc ſupplemento auctiores factas. Nam cum in omni fœderum genere, fides Hæreticorum meritò ſuſpicienda ſit; neque vnquam tutò credatur iis hominibus, qui Deo credere noluerunt; in hoc certè bello Theologorum, adeò ſunt periculoſa eorum auxilia, nihil vt metuendum ſit magis, quàm ne cum illis, vel cauſæ communione, vel armorum ſocietate coniunctus eſſe videare,] Quapropter Tuum certè erat, non aduocare, ſed procul abigere Fauſtum & Arminianos, atque inuolare in degeneres Veſpas, quę ſe Apum agminibus vltrò miſcent. His hâc in parte adſtipulantur Iulianus, Cæleſtius, aliique eiuſdem furfuris viri, qui Magiſtri ſui Pelagii ſenſa tuentur. Id quod firmauit Synagoga eorum pariter *compotantium* & deuiorum Maſſiliæ collecta, exſufflans primam

Calumnia.

Tract. de ſcient. med. diſp. 1. c. 1.

Gratiam, & bruto Anathemate feriens eos qui dixerint; Initium Fidei & Salutis non eſſe ab homine; naturamque non à ſe, ſed à Gratiâ moueri ad bonum. Diſce ſemel, petulantiſſime Gerro, quantum D. Thomas ac Thomiſtæ omnes à Caluino & Caluiniſtis diſtent, à nuperrimo Societatis Scriptore Stephano Deſchamps. [Glorientur licet Ianſeniani tot ſe nuperi dogmatis patronos habere, quot Phyſicæ Prædeterminationis defenſores extiterant; verè tamen mihi videor eſſe dicturus, nullos huic Doctrinæ infenſiores reperiri, quàm qui poſt natam Caluini hæreſim ex S. Dominici ordine, aliiſque eiuſdem Sacramenti Theologis, maioris eruditionis & ingenii laude floruerunt.] Adducitque ſigillatim eos & eorum dicta.

L. 2. de hæreſ. Ianſen. diſp. 6. c. 9.

Diſce ergo in delirũ caput Tuum, relapſum eſſe quod ſacrilegâ mordacitate, præcedenti Paragrapho, D. Thomæ impegeras ſcõma; quem ex Angelo & Angelico Doctore, ridiculâ Metamorphoſi mutatum inducebas in *Cuculum*, qui aliena oua ſuffuratus, fouet tanquam ſua. Verè furax Cuculus Pſeudo-petrus, qui de ſuo cerebello nihil educens prçter ineptias & commenta, alienis ouis incubat: Et ſicut ſunt oua quædam, quæ non pullos, ſed ſerpentes concipiunt & produnt; ſic grauidum triplici angue ouum protulit in Cyriacos, acturus ſub ementito habitu feralis *Cuculus*. Prædeſtinatianos dixit; & impetit eos armis Semipelagianorum: Caluiniſtis rigidis eos accenſet; & tela contorquet emendicata à Caluiniſtis Mollibus ſeu Arminianis Denique eos Ianſeniſtas indigitat, accuſatque ſummum Ordinis Prędicatorum Magiſtrum R. P. Marinum; D. Thomam & Thomiſtas Ianſenianâ fuligine aſperſiſſe, Improuidâ, inquit, illâ ſollicitudine, quâ Romæ egit vt non damnarentur Ianſeniani, ne eodem fulmine quateretur D. Thomas. Fuerunt item Ianſeniſtę Cyriacis Pariſienſibus, tanquam collactanei, verique Aquinatis aſſeclæ. At qui ſint iſti Ianſeniſtæ, non dicis. Bone Deus! quis in D Thomam & in Orthodoxam eius Scholam hęc effutire purulento ore præſumeret, niſi Hæreticæ factionis Prodromus, qui ſerpentino nutritus lacte ac dæmoniaco afflatus ſpiritu, in Sanctum tot euomuit propudia, totque fabricatus eſt commenta & conuicia in Generalem totius Ordinis Præpoſitum, licentiâ

Irreligio.

damnabili ac libertate hæreticâ.

Ediſſerat nobis iam citatus Stephanus Deſchamps Societatis Author, è quâ pharetrâ telum hoc deprompſeris, quo Ianſenianis aſſocias Cyriacos, & ipſemet hanc commentitiam affinitatem expungat. L. enim 2. de Hæreſi Ianſenianâ ſic rem explicat; excutiens illud Tridentini vbi dicitur, quòd homo motus à DEO, *poteſt diſſentire ſe velit*; [Quàm inuidioſè, inquit, noui dogmatis fautores queruntur per Ianſenii latus vniuerſam S. Dominici familiam peti! Quàm importunè iactant eamdem eſſe vtriuſque cauſam, nec illum Tridentinę Synodi fulminibus percuti poſſe; quin iiſdem *Phyſicæ Prædeterminationis* aſſertores omnes amburantur? Hoc in Circulis apud Imperitos, & Mulierculas deblaterant: hoc in publicis Doctorum concertationibus vrgent acerrimè, hoc in Libellis, quos tam frequentes emittunt in lucem, magno verborum apparatu ac pompâ, cum omnibus expoſtulant. At iſtud tamen falſitatem omnem ſuperat, & ab iis cum ſtomacho ridetur, quibus vtraque opinio nota eſt, atque perſpecta.] Ad Te Petre, ergo contra Cyriacos quiritantem, poſſunt dirigi hęc verba Auguſtini contra Semipelagianos quieum Hæreticum Manichæum appellabant. *Quid*, inquit, *nomen dilanire niteris meum, & Ambroſium facis tacito eius nomine Manichæum?* Et L. 2. contra duas Epiſtolas Pelagii, loquens de Pelagianis ait. *Nihil aliud nituntur, niſi vt hâc horribili hæreſi* (ſcilicet Manichęorum) *obiectâ, cuius ſe aduerſarios confingunt, lateant inimici Gratiæ ſub laude naturæ.* Hæc collegit D. Proſper in Carmine de Ingratis. Attende, Petre, nùm Tua in Cyriacos querela, ſit eadem, quæ Semipelagianorum quos deſcribit, in Auguſtinum.

Diſp. 3. c. 5.

L. 1. c. 4. Contra Iulian.

C. 1.

C. 26. 27.

Hic vanam inſano profertis corde querelam,
Omne opus Arbitrij ſublatum vociferantes. &c.

Et c. 28. *Hoc itaque Arbitrium cum ſanat Gratia, tolli*
Dicitis, & perimi vitâ aſpirante putatis.
Quid mirùm, rabido ſi corde Phreneticus æger
Morbum amat, & pellit Medicum? &c.

Cæterùm aduertat Lector ſolertiam Petri, qui reſtaurando cordi & reficiendis viribus in fine laborioſæ huius Concertationis, prouidit ſibi propinari optimum merum: & ne potanti, alii inuideant, inſtituit compota

tionem publicam cum amicis ſuis Dordrecanis, Batauiæ Proceribus. Mira res, digna tanto authore! initium dedit huic Libello famoſo, meretrix: medium, compotatio: finem dabunt plenę cuppæ vini, vt dignoſcatur his notulis & triplici hoc ſpecimine, oriundus non longè à finibus Heluetiorum, nec moribus diſpar, latens ſub laruâ Nebulo. Cęterum ſi plura requiras in expunctionem prędictæ Calumniæ Tuę, Petre, conſule Petrum Labat nuperrimum Scriptorem ex Scholâ Thomiſticâ, qui in Tractatu de Prędeſtinatione & de Gratiâ, petulantiam Tuam acriùs compeſcet.

QVARTA REFLEXIO.

An Cyriacorum, ſeu Dominicanorum Doctrina ſit ſolida.

SOL ſpectatorem non habet niſi cum deficit; nemo obſeruat Lunam niſi laborantem, inquit Seneca. Radiantis ſine nube Solis, dum mediam cæli occupat ſedem, reuerenda maieſtas, non tamen intuenda. Effrænem inſpecturi audaciam, debilitas propria temperat; & repercutit ac caſtigat limitatam aciem immenſus fulgor. *Sæpè* inquit Chryſoſtomus: *fulgido cæli globo delectatus oculus, ad ſpectaculum oppoſiti è regione luminis, ſe ſe violenter intendit; & licet ſentiat aciem ſuam imparem eſſe radiorum certamini, deſiderio tamen illius pulcherrimi luminis intuendi, libẽter inacceſſibili radiantis orbis reluctatur coruſco.* Verùm qui pauidos blandâ luce allicit & fouet oculos; frangit etiam & hebetat audaces ſplendore nimio. Hinc contra importabiles Solis micatus contentioſa inire certamina recuſat verberata acies, gaudetq; nebuloſo veſtitum tegmine intueri. Illius enim mitigata vacitas, totam ſe trementi ocello ingerit; contueturque ac notat cuncta Orbis pellucidi miracula, penitioreſque primæuæ claritatis receſſus peruadit, leni ac perblando obtutu pupilla. Quò fit, vt Sol ſpectatorem

l. 7. q. 1. nat. c. 1.

Hom. 8. de laudib. Pauli.

non habeat niſi cum deficit, quia niſi velatâ facie non audet Moyſes Dominici vultus ſuſtinere ſplendores; nec mortalis acies Solis micantes aſpectus ferre, niſi permeabili Eclypſis reticulo temperentur. Non occurritur itaque deficienti Planetæ, luctuoſo compaſſionis affectu, ſed hilari curioſitatis impetu, contuendis ſplendoribus quos caliginoſum velamen dum abſcondit, prodit. Veluti dum rediuiuo funere hæres ipſe ſui Phœnix, poſtquam natalia buſta conglomerans, feſtiuum intrat ignem, circumſtant eum nobiliſſimæ regionis aues, Regemque dum ſollicitæ obſeruant, proprium funus exequentem, pulchrior ille, fulgentiuſque ſcintillat in collo aurum, & nouo fulgore radiant pennę mox arſurę, mortis iam circumdatæ inſtantibus vmbris.

Cætera Aſtrorum cohors, aliis obſidetur tenebris, quæ maculatum ſuadent ignaris globum ex eâ parte, quâ pleniori lumine perfunduntur. Cùm enim radiis obiecta ſolaribus, plus excipiant lucis vbi materia tenuior, nulluſque luminoſis ſpiculis obiectus obex: nec aliunde obtutui noſtro pateant, niſi ſolida, quæ lucem retundunt & remittunt ad nos: ſic lucidiores ſyderum tractus, obſcuri videntur & adulterinâ opacitate nigricantes, quia tenuiores ac peruii; cùm ſolidiores ac craſſi, ex repercuſſione luminis, ſcintillent ac longè nitidiùs inclareſcant. Quò fit apud Imperitos, vt maculatum cenſeatur Lunæ corpus, & ex eâ parte obſcurum, vbi radiorum affluxus copioſior; reputanturque maculæ, immenſi ſplendores. Maculatum credere ſolem, amentium eſt: maculatam Lunam, Imperitorum; ac Sapientum riſum meretur vterque error. D. Thomam Theologici Orbis Solem fatentur omnes qui lucem non odêre, nec tenebrarum ſunt amantes: vnde & poſt mortem Sole amictus apparuit. Maculas affingere illi, quem iuxta Pontificum Oracula, quicumque habuere Doctrinæ ducem, nunquam inuenti ſunt à veritatis tramite deuiaſſe; cuiuſque Lucubrationes Chriſtus ipſe de cruce pendens ter approbatione ſuâ obſignauit, ſecretam impietatem redolet, publicamque amentiam. Lunæ vero corpus, ſeu Scholam Thomiſticam, maculis infuſcare; ruſticannm vitium, error popularis. Maculas enim putant Plebeii & Indocti, immenſos lucis illibatæ ſplendores, ad quos luſcioſa & de-

bilis pupilla caligat. Huius generis ſunt Theoremata illa quæ ex Angelicâ Doctrinâ collegit Pſeudo-Petrus Pædotribes paganus, Solem impetiturus & Lunam, ex craſſâ ignorantiâ & inueterato liuore, quo obcæcatus, maculas arbitratur, lucidiora veritatis oracula. Hinc fit, vt dum omni vento Doctrinæ circumfertur fanaticus Nebulo, Cyriacos arguat & ſubſannet, quòd veluti Polypi D. Thomæ adhæreant, veritatis Magiſtro. Etenim ſimilis pecoribus, quæ auerſo à ſole & cælo capite, terræ & luto continuè incumbunt; pecuinus iſte Blatero, D. Thomæ aduerſus & infenſus, nec Solem nec Lunam videt, media die caligat; garritque in Sanctos & ſacratiora Theologiæ placita, Theologaſter verè miſerandus: velut vnus ex illis Phariſæis qui magnificantes fimbrias ſuas, & dilatantes philacteria, rebelles incarnatæ Luci, Chriſtum eiuſque Doctrinam calumnioſè traducebant. Exerecitò Petre, quæ ex Elucidario, Romæ & in Hiſpaniâ damnato exſcripſiſti.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Multa placita Thomiſtica appetit, nullum euertit.

§. 55. *QVæ euincant Doctrinam Cyriacorum ſæpenumero deſtitui ſoliditate, proferri poſſent omnino multa. Nunc dabo duntaxat nonnulla ſpecimina, nec dilatabo Philacteria aut magnificabo fimbrias, ſed obiter pauca attingam, quæ communiter apud omnes Cyriacos ſunt rata, vel ſingillatim à primariis eorum Magiſtris traduntur. Ordiar à prioribus, quæ continentur placitis quibuſdam ſiue Theologicis, ſiue Philoſophicis, quibus ipſi vt Polypi ſaxis, adhæreſcunt; quia putant eſſe tradita à D. Thomâ, pro cuius vel minimo dicto ſunt inter eos, (vt ſupra retuli) qui parati eſſent ſubire Martyrium. Extra eorum tamen Scholam, propoſitiones nunc appendendæ, habentur inanes, & reiiciuntur, quia D D. nullius addicti iurare in verba Magiſtri; nec paſſi eum ſeruilem & (vt Seneca appellat) pecuinum ſpiritum, quo aliqui velut muta pecora in ſentiendo feruntur, quæ cum manifeſta ratione pugnare vident, abiiciunt; nec volunt ſicut aues Oſcines recinere abſque intelligentia, quæ prius cantata, nec penetrata inaudiuerint.*

DIATRIBA 4.

Specimen Placitorum Theologicorum omnibus Cyriacis Probatorum, quia putant ea eſſe S. Thomæ.

Res futura, tam nunc, non tantum obiectiuè, ſed etiam realiter coexiſtit Deo in æternitate. Ex. 1. p. q. 14. art. 13. Reſponſio: Si res futuras, ab æterno productas putes, verborum cortice illaqueatus es; ſaperes autem ſi in menſurâ propriâ Dei, æternitati quæ eſt menſura eius, realiter actu coexiſtentes intelligeres. Vt video ſuperant hęc captum animulæ Tuæ. Diſce ergo Theologici Lycei nouitiole, à Boetio, æternitatem duplici hoc charactere inſigniri: Infinita eſt, & indiuiſibilis: beneficio infinitatis, ambit omne tempus, omniaque ſæcula & quæcumque in illis oriuntur, claudit & inuoluit: vt indiuiſibilis, ſine morâ aut ſucceſſione vllâ, omnia ſimul tempora concludit hocque nomine quæcumque nobis ſunt futura, Deo præſentialiter & realiter coexiſtunt. Idque ratione æternitatis, quâ menſuratur eſſe & oculus eius. Subſcribunt Granados, Molina, Toſtatus, Ægidius Romanus.

Dari poteſt ens aliquod extra Deum, quod non poteſt non eſſe; & eſt planè neceſſarium. Ex 2. contra gentes c. 30. Reſponſio. Pura & fœtens Impoſtura; nihil tale loco citato: loquitur enim ibi D. Thomas de Creaturis quæ ex ſe ſunt taliter incorruptibiles, quod nullum ab intrinſeco habent principium ſuæ corruptionis, quales ſunt Angeli, qui hoc titulo dicuntur ſimpliciter & abſolutè habere neceſſitatem exiſtendi. Sicut autem à Deo liberè agente, ſpiritus illi eruti ſunt de nihilo; ita ab eo, de eſſe ad nihilum relaxatione liberrimâ poſſunt detrudi, ſeu quod idem ſonat; non poſſunt corrumpi à ſeipſis; poſſunt tamen annihilari à Deo. Audi ergò, Falſator impudorate, quid ibi S. Præceptor concludat. *Sic igitur in rebus creatis ineſt potentia ad non eſſe, ſed Creatori ineſt potentia vt illis det eſſe, vel eis deſinat eſſe influere, cum non ex neceſſitate naturæ agat ad rerum productionem, ſed ex voluntate, vt oſtenſum eſt.* Quid dices ad Albertinum Societatis Scriptorem qui diſp. 1. de Ente & Eſſentia, dicit eſſentias rerum ab æterno ante exiſtentiam, habere Eſſe intrinſecum actuale, abſolutum, reale; idque à parte Rei extra Intellectum diuinum: Quære ab eo, num illud Eſſe reale actuale ſic neceſſarium.

Falſatio.

4. 1. concl. 1. & 2.

Pater & Filius (ex S. Thoma in 1. diſt. 11. art. 4.

dici poſſunt duo; Spiratores. Contrarium definiuit Gregorius X. in Concilio Lugdunenſi. Reſponſio. Oblitus es indicare qua quæſtione. Volo iuuare memoriam Tuam, ſignando quod omiſeras, 1. *q.* ſimulque docere Te quod ignoras. Valdè differunt hæc duo quæſita; an Pater & Filius ſint vnicum principium Spiritus S. & vnicâ ſpiratione ipſum ſpirent: & vltrà inquirere, vtrum poſſint dici duo Spiratores. De primo conſtanter docuit D. Thomas, eſſe vnicum ſpirandi principium, & etiam vnicam Spirationem, etiam vbi dixit eſſe duos Spiratores, putà loco iam laudato; vbi id iuxta omnes eſſe dicendum docuit. Et hoc eſt quod definiuit Concilium Lugdunenſe, vt habetur in cap. vnico de Summa Trinitate, in 6. ſcilicet *Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio, non tanquam ex duobus principiis, ſed tanquam ex vno: non duabus Spirationibus, ſed vnicâ.* Sentit itaque idem quod Concilium definiuit. An vero ſint dicendi vnus Spirator Pater & Filius, vel duo Spiratores, Synodus nihil definiuit; ſed id per conſequentiam & diſcurſum à Theologis deducitur: Dependet enim ex propoſitione opinabili an *ly Spirator* habeat modum nominis Adiectiui vel Subſtantiui; & ex regulâ Dialecticâ; an Subſtantiua ſignificantia operationem, ſumant vnitatem ab vnitate operationis, vel ab vnitate perſonæ, ſeu ſuppoſiti. Loco allegato ex 1. Sent. ſecutus eſt opinionem quæ eſt multorum, vt fatetur 1. p. Quòd Spirator habet ſe ſicut nomen Adiectiuum, & ita ſunt plures Spiratores quia ſunt plures perſonæ, ſicut & plures ſpirantes. Hoc autem retractauit ibidem exiſtimans quod melius dicatur nomen *Spirator*, ſubſtantiuum, ſicut *ly principium*, *ly Deus.* Sicut ergò Pater & Filius non ſunt plura principia, ſic nec plures Spiratores. Nec retractauit oppoſitam ſententiam tanquam erroneam, ſed vt minùs veram; nec Molina *a.* nec Suares *b.* notant eam vllâ Cenſurâ.

In 1 d.7.q.1. a.4. & d.29. q.unica a. 4.

q. 36. a. 4.

a.1.p.q.36.a. 4. 6. 10. de Trin.c.6.n.3.

Dici poteſt abſque hæreſi, Iſte homo cœpit eſſe Deus, *&* Deus cœpit eſſe iſte homo, *cum S. Thoma in 3. diſt. 6. q. 2.* Reſponſio. Turbatæ & emotæ mentis non poteſt exhiberi illuſtrius ſpecimen. Locus enim quem citas ex 3. Sent. Diſt. 6. q. 2. nihil planè de iis quæ à Te adducuntur, attingit. Si dicas lapſum Typographi eſſe, qui apponere debuerat Diſt. 7. q. 2. art. 1. & 2. vbi tractantur illæ

duæ

duæ propoſitiones; *Deus factus eſt homo, homo factus eſt Deus*; non euadis, quia in illis non reperitur dictum à D. Thomâ, quòd illa poſſint dici abſque Hæreſi, quod tamen vis tuæ argutationis continet, ſi vlla eſt. Habetur autem diſt. 6 q. 1. art 3. vbi quærit an Deus aſſumpſerit hominem. Miſerande Senex, tot Lapſus, Mendacia, Impoſturas, in vnicam lineam conieciſti, vt D. Thomæ gloriam poſſis infuſcare? Reducam itaque Te in rectum iter, à quo vel ſtolidè vel malignè, aut quod verius eſt, vtroque modo deuiaſti. Loco à Te citando & intento ex Diſt. 6. q. 1. art. 3. opinionem affert m Ita capita complectentem, vt ipſemet indicat initio præfatæ Diſtinctionis, ad vnum autem caput ipſe ſe coarctat prædicto Articulo nempe ad vnionem inter Deum & hominem, quam Dioſcorus volebat accidentalem, vt Tunicæ ad Corpus; Neſtorius per aggregationem, vt lapis vnitur lapidi in aceruo: Alii per accidens aliquod, vt iuſtus vnitur Deo per gratiam & charitatem: Concluditque opinionem quorumdam, qui nullam prædictarum Vnionum (quæ omnes ſunt hæreticæ) ponebant, non eſſe ex ea parte Hæreticam; erat tamen impertinens & inintelligibilis De aliis autem opinionibus nihil ibi tunc egit, vt patet ex illis verbis, *Sciendum tamen quod prima opinio nullum prædictorum modorum Vnionis ponebat; vnde non eſt hæretica* Benè autem egit de illis 3. p. vbi dicit illam opinionem (de qua ibi) eſſe erroneam & incidere in opinionem Neſtorii, qui duas in Chriſto Perſonas & Hypoſtaſes agnoſcebat; & quia ponit Verbum aſſumpſiſſe hominem ſeu Perſonam Humanam. Et hoc quantum ad illam partem, an Deus aſſumpſerit Hominem. Quantum verò ad id quod Diſtinctione 7. q. 2. art. 1. & 2. *Deus factus eſt homo; homo factus eſt Deus*, docet iſtas propoſitiones, ſecundum diuerſos ſenſus, aliquando veras, aliquando falſas: vtrum autem Hæreticæ ſint, aut erroneæ, nihil ibi planè; vt Tu putidè mentitus es. *q. 2. a. 6.* *Mendacium.*

Deus in eadem ſpecie, non poteſt producere plura Indiuidua Angelica: ſed quilibet Angelus conſtituit ſpeciem ſuam particularem: Ex S. Thoma 1. p. q 50. art. 4 Reſponſio. Diſtinctio purè Indiuidualis non poteſt peti aliunde quam à materiâ; quę quia non poteſt reperiri in Angelis, nec ipſi poſſunt ſolo numero diſtingui: Ergo quilibet ſuam

conſtituit ſpeciem, nec aliter poteſt fieri. Subſcribit Granados. Diſtingui autem omnes de facto, multi Patres docent. Hæc non percipis, Petre, quia ſunt ſupra captum, Tuum; Ora Dominum & dabit Tibi intellectum, vt videas Diem.

Non poteſt Deus, de potentiâ abſolutâ, ſeparare albedinem à ſubiecto, & conſeruare in eodem ſubiecto Reſponſio. Tricaris Nebulo; non poteſt ſeparare à ſubiecto & conſeruare in ſubiecto: vis implicantia, ſeparare & non ſeparare? Poteſt Deus ſeparare à ſubiecto albedinem & conſeruare eam ſic ſeparatam actu, modo aptitudinem ad ſubiectum non amittat. Neſcis ignoratiſſime, non ex actuali ſed aptitudinali inhærentiâ. accidentia indiuiduari à ſubiecto?

Non poteſt Deus aſſumere inſtrumentum Creationis. Reſponſio. Quid verius? verùm opinio oppoſita eſt probabilis.

Angelus in primo inſtanti, non potuit peccare. Reſponſio. In primo ſui eſſe quo res ponuntur extra cauſas, cum nondum ſint ſui compotes, ſubque manu opificis voluantur; non cenſentur etiam plenè ſui eſſe iuris, nec conſequenter culpabiles, ſi alieno flatu impulſæ, à debito tramite abludant. Vnde ſi in primo illo momento quo de nihilo exit Angelus, peccaret; non ipſi, ſeu nondum ſatis expedito; ſed Deo creanti & mouenti imputaretur deuiatio. Hæc Tibi Petre immunitas obtigit præ Angelis, putà Apoſtatis; quod inexeuſabili malitiâ peccaſti in primo & à primo Tui laboris crepuſculo, quia ab initio & in finem mendax.

Angelus eſt in loco non per ſuam ſubſtantiam, vel per ſuum vbi, ſed per ſuam operationem 1. *p. q.* 8. *art.* 7. & *q.* 52. & 53. *Et in* 2. *diſt.* 37. *q* 3. *art.* 1. Reſponſio. Ex Ariſtotele 8. Phyſicorum c. 5. & ex D. Thoma ibidem; duplex tantum eſt contactus; vnus propriè dictus, qui eſt quantitatis molis, ſeu dimenſiuæ; alter improprius & metaphoricus, qui eſt à quantitate virtutis, nempe operatio virtualiter tranſiens. Angeli autem cum ſint immateriales & incorporei, locum corporeum per quantitatem molis & contactu propriè dicto tangere non poſſunt: Ergò illum ſolùm tangunt cõtactu virtutis, qui fit per operationem virtualiter tranſeuntem, vel per paſſionem quando locus eſt illi præternaturalis & violentus; vt dum virtute diuinâ alligantur alicui loco.

Plures Angeli non poſſunt eſſe in eodem loco. Ex 1. *p. q.* 52. *art.* 3. Reſponſio. Intellige de loco adæquato : cùm enim non ſint in loco niſi per operationem , ſintque omnes diuerſi ſpecie ; operatio ſequitur eſſe , nec eadem poteſt eſſe commenſurata duobus, quia non ſunt duo æqualis virtutis : nec conſequenter vnus locus formalis (qui in operatione conſiſtit) commenſuratur ambobus. Fallor; Angeli erroris , mendacii , calumniæ & nugacitatis, ſimul reſident in Tuo cerebello , tanquam in loco connaturali.

Habitus Charitatis non intenditur per actus æquales , multo minùs per remiſſiores Reſponſio. Quid mirum ? nunquid non debet Cauſa , ſuperior & potentior eſſe effectu producendo ? Forma non recipitur niſi iuxta gradum diſpoſitionis. Ita Suarez.

Habitus Charitatis elicit vltimam diſpoſitionem ad Iuſtificationem. Reſponſio. Idem actus Charitatis , qui eſt vltima diſpoſitio ad habitum charitatis , & ad ipſam iuſtificationem extra Sacramentum , procedit effectiuè ab ipſa Charitate , tanquam à principio proximo ; & à Gratiâ tanquam à radicali. Timeo , Petre , ne hæc turbent caput Tuum , craſſioribus aſſuetum Eſculentis.

Peccatum veniale eſt in ſenſualitate. Reſponſio. Ex vnione ſenſitiuæ partis cum rationali , deriuatur in eam imperfecta libertas , ſufficiens ad peccatum imperfectum , quale eſt veniale : ſicut cogitatiua ex coniunctione ad intellectum , diſcurrit circa ſingularia.

Præcisè in primo diluculo vſus rationis , homo niſi conuertatur ad Deum peccat mortaliter Reſponſio. Priùs deliberandum eſt de fine quàm de mediis , quia media non appetuntur niſi ex amore finis; vltimus finis hominis eſt Deus, Cum igitur incipit homo hominem agere , debet agere propter finem ; præſtituere ſibi finem vltimum , ad quem omnes actiones ſuas dirigat ; & ſi in hoc deficiens inueniatur ; turpiter . & in re inſignis momenti , à qua pendet ſalus , homo déeſt officio ſuo, vnde peccat grauiter, ſeu mortaliter. Durum Tibi , Petre conuerti ad Dominum ? Si huc vſque terga vertiſti amabiliſſimo fini ; vtinam ſaltem in vltimo vitæ inſtanti conuertaris ad Dominum , ſi Tibi non contigit conuerti in primo. Non placent Tibi hæc Dogmata Chriſtiana diuinæ dilectioni

colludentia. Accipe ſaltem ab Ethnico diſciplinam, quæ Tibi, ſi capax es, ruborem inurat. Audi Senecam Tibi vitæ rationalis & Chriſtianæ regulas præſcribentem.

Ep. 71. [Scire debet quid petat ille qui ſagittã vult mittere. Errant Conſilia, quia non habent quo dirigantur. Ignoranti quem portum petat, nulli ſuus ventus eſt; non diſponet ſingula, niſi cui iam vitæ ſumma propoſita eſt. Ideò peccamus, quia de partibus vitæ deliberamus, de totâ nemo.]

Primum adulti peccatum, non poteſt eſſe veniale. Reſponſio. Quam intricatus es! Loquerisnè de homine in ſtatu innocentiæ? ſic vera propoſitio. Si de Adulto, in hoc ſtatu, & iam conuerſo ad Deum in primo inſtanti vſus rationis, falſa; nec vnquam admiſſa à S. Thomâ: ſi autem intelligatur de primo illo vſu rationis, vera: quia ſi tunc non conuertatur, erit peccatum mortale.

Qui ſordet peccato mortali, etiam ſi occulto, peccat mortaliter ſi alii impendat correctionem. Reſponſio. D. Thomas dicit probabilem videri illam opinionem, quæ dicit quod Peccator qui ex officio corrigit delinquentes, peccat; quia indignè vtitur officio. Tamen alibi ad oppoſitam ſententiam declinat, & ſic vltimò decernit; *Si Peccator corripiat cum humilitate delinquentem, non peccat; nec ſibi nouam condemnationem acquirit, licet per hoc in conſcientiâ ſuâ, vel ſaltem Fratris, condemnabilem ſe oſtendat pro peccato præterito.* Standumque huic vltimæ determinationi; quam confirmat.

In 4. d. 19. q. 2. a. q. 2. 2.
2. 2. q. 33. a. 5.
1. 60. a. 2. ad 3.

Omnia verba vulgata forma ſecundæ Conſecrationis, ſunt de eſſentia; Ita vt non fiat conſecratio, ſi ea tantum verba dicantur, Hic eſt calix ſanguinis mei. *Ex S. Thoma 3. p. q. 78. art. 3. Dicere contrarium, Bartholomæus Spina damnat hæreſeos.* Reſponſio. Falſa & falſata ſunt hæc omnia. Nec enim D. Thomas ibi dicit omnia verba ſecundæ Conſecrationis eſſe de eſſentiâ formæ; minùs docet, non fieri Conſecrationem, ſi ea tantum verba dicantur; *Hic eſt calix ſanguinis mei.* Imò contrarium aſſerit. Audi ergo Impoſtor effrons, quid ille dixerit. Docet illa verba omnia eſſe de ſubſtantiâ ſeu integritate formæ; non dicit autem eſſe de eſſentiâ: illa enim ſolùm ſunt eſſentialia, quibus perficitur & fit Sacramentum. At S. Præceptor ibi ait. *Dicendum eſt ergò quòd omnia prædicta verba* (noui & æterni Te-

Falſatio.

ſtamenti) *ſunt de ſubſtantia formæ, ſed per prima verba cum dicitur*, Hic eſt calix ſanguinis mei, *ſignificatur ipſa conuerſio vini in Sanguinem*, (Ergo-nè Petre non fit Conſecratio ?) *eo modo quo dictum eſt in conſecratione panis: per verba autem ſequentia deſignatur virtus Sanguinis effuſi.* Manus de ſubſtantiâ & integritate hominis eſt, non tamen de eſſentiâ: quia ſublatâ manu ſubſiſtit homo verus, licèt non integer. Fatendum quidem nomen Subſtantiæ, aliquando ſumi, etiam à D. Thomâ, pro eſſentiâ rei: ſed hoc loco, luce euidentius eſt accipi pro Integritate, prout Integritas ab eſſentiâ diſtinguitur. Ait enim expreſsè: *Ea quæ ſequuntur, ſunt quædam determinationes prædicati, id eſt Sanguinis Chriſti, vnde pertinent ad integritatem eiuſdem locutionis.* Non dicit autem pertinere ad eſſentiam locutionis nec Rei.

Benedictio panis & vini non eſt actio peculiaris, præuia Conſecrationi Reſponſio. Materia hæc, etiam hodie eſt opinabilis D. Thomas elegit eam ſententiam, quod Benedictio Chriſti non fuerit aliud quam Conſecratio. Alexander, Marſilius, Durandus, Hugo Cardinalis, Lyranus, Valentiâ, *a* Henriches, *b* Thomiſtæ multi eâdem gradiuntur viâ. Conſecratio apud Scriptores & alios dicitur Benedictio. *Calix benedictionis cui benedicimus, nonnè communicatio ſanguinis Chriſti eſt* ? Nec alia poni poteſt facta Benedictio à Chriſto quam Conſecratio.

a tom. 4. diſp. 6. q. 6. p. 1.
b l. 8 de Euchariſt. c. 16.
1. Cor. 10.
3. p. q. 50. a. 5.
Impoſtura.

Corpus Chriſti viuum, eſt planè diuerſum à mortuo. Reſponſio. Nec vnquam imponendi finis, Petre? Contrarium omninò eius quod ei affingis, docet ibi D. Thomas, & concludit quòd ſimpliciter & abſolutè fuit idem numero Chriſti corpus viuum & mortuum. *Dicitur enim eſſe aliquid idem numero ſimpliciter, quia eſt Suppoſito idem: Corpus autem Chriſti viuum & mortuum, fuit Suppoſito idem*; Nempe ſuppoſito & Hypoſtaſi Verbi. Non fuit autem totaliter idem, eò quòd corpus quod deſinit eſſe viuum, non totaliter idem remaneat.

Chriſtus non exiſtit niſi per exiſtentiam increatam Reſponſio. Vnius perſonæ, vnicum tantum eſt eſſe, ſeu exiſtentia: in Chriſto eſt vna tantum Perſona, nempe Perſona Verbi, nec vlla Hypoſtaſis aut Perſona humana, vt Fides docet; Ergò vnicæ huius Perſonæ, vnicum tantum eſſe, vnica exiſtentia. Perſona eſt ſimpliciter Diuina; Ergò

& Diuinum eius eſſe, Diuina exiſtentia: Quid autem mirum, ſi duæ Naturæ quæ terminâtur vnâ Perſonâ & ſubſiſtunt vnâ Hypoſtaſi, exiſtant etiam vnicâ exiſtentiâ? Maximè cum exiſtentia ſit vltima actualitas rei. Hoc D.
3.p.q.17.a.2. Thomæ oraculum habetur in Summâ.

Abſque Profeſſione ſolemni, nemo poteſt eſſe verus Religioſus. Contrarium definiuit Gregorius XIII. Reſponſio. Verum eſt S. Thomam, docuiſſe non cenſeri verum Religioſum abſque Profeſſione ſolemni: At ex deciſione Gregorii XIII. in Bulla, *Aſcendente Domino*, & ex aliis Pontificibus, vota ſimplicia faciunt verè Religioſum in ſacrâ Societatis Ieſu religione? Locutus eſt D. Thomas de voto ſimplici, præcisè ex naturâ ſuâ ſpectato, non verò ex adiecto Decreto Sedis Apoſtolicæ, ſeu acceptatione ſpeciali Eccleſiæ, quâ illud acceptat ad conſtituendum Religioſum, nondum autem acceptarat tempore D. Thomæ, vt patet ex cap. *Religioſo* §. *quamuis* de ſententiâ Excommunicationis in 6. vbi dicitur ſic: *Quamuis autem is qui Religionem ingreditur, Religioſus cum effectu cenſeri non poſſit, donec ſit tacitè vel expreſsè profeſſus.* Loquendo ergò ſecundùm ius antiquum, vt locutus eſt S. Doctor, non fiebat Religioſus niſi Profeſſione & voto ſolemni iuxta concordem ſententiam Iuriſ-peritorum & Summiſtarum, vt aduertit Azor.

2.2.q.186.a.2.ad.1.q.184.a.4.quod lib.1.a.14.ad.1.opuſc.18.c.16.

l.11. in c.24.q.3.

Dominium eſt indiſpenſabiliter incompoſſibile cum vero ſtatu Religioſo: Et hoc quoque à Gregorio XIII. reprobatum eſt. Reſponſio. Gregorius XIII. in Bulla, *Aſcendente Domino*, dicit quod in Religioſis votorum ſimplicium in Societate, remanet dominium, etſi non vſus bonorum: At D. Thomas quando loquitur de voto paupertatis, ſolùm loquitur de voto ſolemni, & non ſolùm ad Religionem, ſed etiam ad Profeſſionem ſpectante. Vnde hæc obiectio, eſt mera nugatio.

Papa non poteſt diſpenſare in matrimonio rato. Contrarium habet vſus Eccleſiæ. Reſponſio. Probabilis vtraque opinio; Pontifices autem qui inuenti ſunt diſpenſaſſe, ſecuti ſunt opinionem probabilem.

Papa non poteſt diſpenſare in voto ſolemni, quia ſolemnitas eſt de iure diuino, non autem ex conſtitutione Eccleſiæ. Contrarium definiuit Boniſacius VIII. Reſponſio. Hæc difficultas ſatis intricata, ſic vt puto, breui & clarè expeditur.

D. Thomas in Summâ dicit quòd *ſolemnitas Voti attenditur ſecundùm aliquam ſpiritualem Benedictionem, vel Conſecrationem, quæ ex inſtitutione Apoſtolorum adhibetur in profeſſione certæ regulæ, ſecundo gradu poſt ſuſceptionem ſacri Ordinis.* At Pontifices, Bonifacius VIII. in cap. vnico de voto & voti redemptione in 6. & Gregorius XIII. in Bullâ, *Aſcendente Domino*, dicunt quod *voti ſolemnitas ex ſola conſtitutione Eccleſiæ eſt inuenta.* Quomodo hæc concordabunt; maximè cum D. Thomas adiungat, Conſecrationem in quâ conſiſtit ſolemnitas, emanaſſe à ſtatuto Apoſtolorum; & quòd debitum Caſtitatis in Religioſo profeſſo, obliget de iure diuino, & ex naturâ ſuâ annexum ſit eius voto ſolemni, non verò voto ordinis? Vnde in 4. diſt. 38. q. 3. & in Additionibus part. 3. q. 53. art. 2. impugnat eos qui dicebant Votum Religionis dirimere Matrimonium, ſolum ex inſtituto Eccleſiæ, vt Votum Ordinis dirimit; Quia, inquit, ſic Eccleſia poſſet reuocare; quod putat falſum. Pro conciliatione, Primò ſupponenda duplex ſolemnitas: ſubſtantialis ſeu eſſentialis, quæ conſiſtit in traditione & acceptatione Eccleſiæ: accidentalis, quæ in aliquâ ceremoniâ exteriori aut benedictione. 2, in voto Ordinis homo mancipat ſe Deo ad ſeruiendum eius cultui, deinde Eccleſia per adiectum ſtatutum obligat ad caſtitatem: Religioſus autem mancipat ſe quantùm ad ſeruiendum Deo, obediendum, caſtè viuendum; & Eccleſia acceptat iuxta regulam approbatam. Iam ſic concordant. Pontifices dicunt ſolemnitatem eſſe ex ſolâ inſtitutione Eccleſiæ. D. Thomas idem dicit, non ſolum de ſolemnitate accidentali, ſed & aliqualiter de ſubſtantiali, in quantum ſtatutum Apoſtolorum circa vota, & regulas probatas, quæ eam ſolemnitatem ingrediuntur, ſunt de iure poſitiuo & Eccleſiaſtico. Traditio autem & acceptatio diuina in quibus apex ſolemnitatis ſubſtantialis conſiſtit, ſunt de iure diuino: Vnde poteſt Papa diſpenſare in caſtitate Ordinis, quia adiecta eſt voto, per nouum ſtatutum; non autem in caſtitate Religioſi, quia intrinſeca & eſſentialis eſt voto ſic acceptato, per quod Religioſus tranſit in Ius & Dominium Diuinum, in quo non poteſt diſ-

2. 2. q. 88. a. 7.

penſari; & in quo poſita eſt ſolemnitas formaliter eſſentialis.

Eſt irregularis qui occidit alium, vitam ſuam tuendo cum moderamine inculpatæ tutelæ. Reſponſio. Hoc ſentit D. Thomas & ſic ſentiebat tunc Eccleſia; vt patet ex Decreto Nicolai Papæ, quod ibi in argumento 3. adducit D. Thomas: hoc verò ius antiquum correxit Eccleſia, & reuocauit hanc Irregularitatem in Clementinâ vnicâ de Homicidio. Non potuit itaque negare hanc incurri Irregularitatem, cùm ſuo tempore nondum eſſet ablata, per Eccleſiam ſed ſtabilita: loquitur enim ibi Pontifex de omni homicidio, & ſic intelligebatur tempore S. Thomæ; vt videre eſt apud Bannem loco adducto ex D. Thomâ *a* & apud Valentiam. *b*

2. 2. q. 64. a. 7.

a 2. 2.
b tom. 3. d. 5. q. 8. p. 4.

Virtutes morales (demptâ Prudentiâ & Iuſtitiâ) ſunt tantum in appetitu ſenſitiuo. Reſponſio. Ex coniunctione partis ſenſitiuæ cum rationali, conceditur illi priuilegium continendi Temperantiam & Fortitudinem quæ verſantur circa Senſibilia.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

A Theologicis deuolat ad Philoſophica, vbique ridiculus.

Specimen placitorum Philoſophicorum Cyriacis probatorum, alibi exploſorum.

§. 56. *Materia priuſquam illi Forma aduentat, non habet exiſtentiam. S. Thomas 1. p. q. 4. art. 1.* Reſponſio. Veriſſima Theſis, redditurque ibi ratio; quia quod eſt in potentiâ debet reduci in actum (nempe exiſtentiæ) per id quod eſt actu, & quod habens in ſe exiſtentiam, communicat eam materiæ.

Implicat dari Materiam abſque Formâ. F. Ioannes Butauant in Theſibus. Ex S. Thomâ Reſponſio. Quid veriùs? Dari enim materiam, hoc eſt, exiſtere materiam; poſſetne autem exiſtere materia ſine formâ, à quâ re

cipit omnem exiſtentiam quam poſſidet?

Implicat dari aliam terram. ex 1. *p.* q 47. *art. vltimo.* Reſponſio. Mera calumnia quæ patebit ex verbis D. Thomæ loco citato. *Dicendum quod mundus conſtat ex totâ ſuâ materiâ, non eſt enim poſſibile eſſe aliam terram quàm iſtam, quia omnis terra ferretur naturaliter ad hoc medium vbicumque eſſet; & idem eſt de aliis corporibus quæ ſunt partes mundi*, vbi nec verbum, quo indicetur Deum non poſſe creare aliam terram. Quòd enim dicit, *non eſt poſſibile &c* intelligit non eſſe poſſibile naturaliter, vt patet ex ſubiectâ probatione, quia ferretur *naturaliter ad medium.* Dicendo enim *naturaliter*, ſatis indicat, quòd ſupernaturaliter & ex aliâ prouidentiâ, aliud poſſet fieri. Nec enim D. Thomas inquirit in ordine ad potentiam Dei abſolutam; ſed de facto, an ſit tantùm vnus mundus, aut vna terra, de potentiâ enim abſolutâ, nemo dubitare poteſt alios mundos & alias terras eſſe poſſibiles. *Calumnia.*

Zona torrida eſt prorſus intolerabilis. Ex S. Thomâ 1. *p.* q. 101. *art.* 2. *ad* 2. Reſponſio. Non legiſti D. Thomam Petre, ſed ex alio exſcripſiſti, alias poſuiſſes ad 4. non verò ad 2. tibique planum foret, D. Thomam non ſuam ibi, ſed Ariſtotelis promere ſententiam circa habitationem, vel inhabitationem ſub Zonâ Æquinoctiali, dicitque videri probabiliùs cum Ariſtotele eſſe inhabitalem. Opinationi autem illi non adhæret, imò videtur ab eâ recedere, cùm ſubdit, *quicquid de hoc ſit* (En quomodo non adhæret) *credendum eſt Paradiſum eſſe in loco temperatiſſimo ſub Æquinoctiali.* Vide quod non improbat illam Zonam eſſe temperatiſſimam, & conſequenter habitabilem) *vel alibi.* Nondum autem nauigationes monſtrauerant Æquinoctialem habitari; quam etiam Virgilius poſt Ariſtotelem inhabitabilem æſtu, crediderat.

Impoſsible eſt duo Accidentia eiuſdem rationis, ineſſe ſimul eidem ſubiecto. Ex S. *Thoma* 1. *p.* q. 94. *art.* 3. & 12. q. 63. *art.* 4. Reſponſio. Quid clarius ac certiùs? Cùm enim Accidentia indiuiduentur à ſubiecto, non poſſunt eſſe duo eiuſdem ſpeciei, vbi eſt vnum tantum ſubiectum indiuiduans. Verùm Pſeudo-Petre abuteris nimiùm patientiâ Lectoris; duplex enim illa citatio ex S. Thoma, eſt omninò falſa; nec de propoſitâ quæſtione verbum. In *Falſatio.*

prima enim quæritur, vtrùm primus homo habuerit ſcientiam omnium; in 2. verò, vtrùm virtus acquiſita ſit eiuſdem ſpeciei cum infusâ; Quid autem hæc habent commune cum vnitate vel multiplicitate accidentium eiuſdem ſpeciei in eodem ſubiecto? Admone eos qui ad Te mittunt Schedulas; vt religioſiùs in poſterùm conſulant fidei ſuæ & honori Tuo.

Impoſsibile eſt dari plures albedines, à ſubſtantiis ſeparatas. Ex 1. p. 47. art. vltimo Reſponſio. Duplex falſitas, rei & citationis. Rei quidem; numquam enim dixit D. Thomas non poſſe conſeruari à Deo plures albedines extra ſubiectum, quia in eius ſententiâ, accidentia non indiuiduantur ab inhærentia actuali, ſed aptitudinali, & ab ordine ad ſubiectum; vnde duæ erunt albedines ſeparatæ, ſi ad duo ſubiecta ordinem dicant. Falſæ etiam citationis reus teneris, quia nec ibi apex de re quæſitâ; imò nec poteſt haberi; quia ibi quæritur vtrùm vnus ſit mundus: quid autem hoc ad indiuiduationem Accidentium, aut ſeparabilitatem à ſubiectis? vnde adiutores tuos, malæ fidei inſimulo. De Te autem tremule Senex, vix habeo quod conquerar. Adeò enim D. Thomam, Sanctos Patres, Philoſophos non noſti, neque quicquam cum iis conſuetudinis habuiſti, vt quicquid in eos peccas, quod creberrimum ac penè perpetuùm eſt; magis temeritati natiuæ & promiſcuæ hebetudini, quam meditato contemptui aut deceptioni deſtinatæ tribuendum videatur.

Falſatio. 2.

Intenſio qualitatis non fit per additionem nouæ entitatis: ſed per maiorem radicationem præiacentis; ac veluti penitiorem infixionem, tanquam claui malleo adacti, in eodem ſubiecto. S. Thom. in 2. diſt. 34 art. 5. & diſt. 42. q. 1. art. 1. Reſponſio. Duræ ceruici Pſeudo-Petri, infigendi eſſent claui tanquam malleo adacti, vt ex impreſſione & penitiori infixione veritatis, foras pelleretur infanda illa mendaciorum eluuies, quibus ſcatet & exundat debile Caput: diſceretque non additione partis ad partem, ſed maiori radicatione, augeri Qualitates. Quomodo enim multitudo partium in vno ſubiecto, cum ab vnitate ſubiecti petatur vnitas qualitatum & accidentium? Certè aptiùs ſcriberes malleo aut remo, quàm calamo.

Quantitas recipitur in toto compoſito: an etiam in anima ra-

tionali, compoſitum humanum conſtituente? Reſponſio. Quid veriùs, recipi quantitatem & accidentia in toto compoſito, quod omnibus ſubſtat? Nihil etiam ſtolidius, quàm Quantitatem recipi in anima rationali, quæ non eſt totum, ſed pars totius. Vis ſcire in quâ animâ recipiatur Quantitas? In animâ materiatâ, (vt Tuo verbo vtar) craſſâ, ſpiſſâ, hebete & terreſtri, ſicut Tuâ.

Brutorum anima ſunt indiuiſibiles æquè ac anima rationalis. Reſponſio. Imponis, nec ideò locum vllum aſſignas. Animæ imperfectorum animalium diuiduntur & ſubſiſtunt poſt diuiſionem, non ita perfectorum animæ.

Abſque Quantitate Subſtantia caret partibus entitatiuis. F. Ioannes Butauant in Concluſionibus ex S. Thoma. Reſponſio. Cum diuiſio petatur à Quantitate, eritne diuiſio & multitudo partium, vbi non eſt Quantitas? Audin' hominum ſubtiliſſime?

Principium Indiuiduationis eſt materia, eique adiungitur multiplicabilitas indiuidualis Reſponſio. Vnitas ſpecifica eſt à formâ; vnde quæ conueniunt in formâ ſpecificâ, non diuiduntur, nec multiplicantur niſi per materiam.

Cæli non ſunt alij ad alios contigui; ſed inter eos datur ſpatium diuiſibile. S. Thomas in 2. diſt. 2. q. 2. art. 2. ad 5. Reſponſio. Ibi S. Doctor affert ſolutionem quorumdam qui dixerunt, in cœlo formandam eſſe vocem à Beatis per confractionem ipſius cœli, ad quam explicandam vtitur quorumdam Aſtrologorum exemplo, qui inter duas Sphæras quæ non poſſunt ſcindi, ponunt aliquod ſpatium repletum corpore diuiſibili; cum in iſto ſpatio ſit motus planetarum ſecundum motum Epicicli Vbi nec approbat nec reprobat illam opinionem, ſed vtitur illâ in Exemplum; imò in fine articuli, ponens quod cælum Empyreum non ſcinditur per motum Beati, concludit; *Quid autem de his verum ſit, incertum; quia nec Fide determinatur, nec ratione probatur.* Hîc iudicium ſuum non profert, ſed ſuſpendit, vt ens illo exemplo; ſed in aliis locis expreſſè & ex propriâ mente negat aliquod ſpatium inter Sphæras cæleſtes, vt in 2. de Cælo. *Corpora caleſtium Sphærarum ſe inuicem tangunt & ſunt continua, id eſt immediate ſibi inuicem coniuncta, nec eſt aliquod corpus intermedium quod ſuppleat vacuitatem Sphærarum, vt quidam ponunt; ſequeretur enim illa corpora eſſe otioſa, cùm non habeant* Lect. 5. in Fin.

C. 10. *motum circularem.* Videatur etiam 12. Math. vbi ex Ariſtotele excludit illam Aſtrologorum opinionem de corpore interſecante Sphæras.

Non ſunt pluſquam decem Cæli. Idem in 2. diſt. 14. art. 1. Reſponſio. Malè citaſti art. 1. Ibi enim nihil de numero cęlorum. Benè art. 4. vbi D. Thomas Rabani mentem explicat de numero cælorum ab eo aſſignato. Differit itaque S. Doctor ibi de numero cælorum, iuxta id quod ſucceſſu temporis comprobatum fuit.

Implicat vnum corpus eſſe circumſcriptiuè in duobus locis. Ex S. *Thoma in* 1. *diſt.* 37. *q.* 3. *art.* 2. *& in* 4. *diſt.* 10. *art.* 1. *ad* 5. Reſponſio. Deus bone! Tam citò redis ad vomitum? duo loca adducis, & in vtroque imponis D. Thomæ. In primo enim quærit vtrum Angelus poſſit eſſe in pluribus locis; in 2. autem quòd Chriſti corpus eſt circumſcriptiuè tantum in cælo & non alibi: in neutro autem dixit implicare vnum corpus eſſe circumſcriptiuè in duobus locis; vt ſic conſtanter mendax appareas. Theſim autem non ibi, ſed alibi docet D. Thomas, & veriſſimam eſſe euidenter demonſtrant contradictiones quæ ſequuntur ex poſitione circumſcriptiuâ vnius corporis ſimul in pluribus locis. Putaſnè poſſe fieri vt ſimul idem homo currat & ſedeat, mortuus ſit & viuus?

Mendacium.

In generatione & corruptione fit reſolutio vſque ad materiam primam Reſponſio. Quid rationi conformiùs quam vt deficiente ſubiecto, ſubruant quæcumque illi innituntur? Cum itaque Totum ſit ſubiectum accidentium, illudque deficiat in corruptione ſubſtantiali, perire ſimul debent accidentia omnia ruente ſubiecto.

Eſſentia & exiſtentia, diſtinguuntur realiter Reſponſio. Potentia diſtinguitur realiter à ſuo effectu, comparatur autem eſſentia ad exiſtentiam, velut potentia ad effectum.

Motu cælorum ceſſante, omnia ſublunaria ceſſarent. Reſponſio. Primum in vno quoque genere eſt menſura & cauſa cæterorum; ſicque motus inferiorum pendet à motu primi mobilis.

Habitus Scientiæ eſt ſimplex qualitas, & tamen intenditur. Reſponſio. Intenditur, non per additionem partis ad partem, quæ contrarietur ſimplicitati; ſed per maiorem radicationem & extenſionem.

*Hæc ſat ſunto pro ſpecimine doctrinæ malè materiatæ, cui omnes communiter Cyriaci adhærere debeant; cùm ſint effata D. Thomæ, quem illi habent pro Deo Doctrinæ Theologicæ ac Philoſophicæ, æquè ac Secundinus vocabat Auguſtinum Deum Eloquentiæ.*Reſponſio. Hæc ſat ſunto pro ſpecimine Senis laruati *malè materiati*, quem omnes communiter Cyriaci ſpernere debeant velut leuiſſinæ armaturæ hoſtem ridiculum; Lectores ſubſannare debent, tanquam Impoſtorem aſſiduum; tota Reſpublica Chriſtiana proſcribere, ſeu Ludionem impium, rationis exortem & Religionis inimicum: quem viri litterati pro Deo Theologiæ ac Philoſophiæ non habebunt, ſicut Cyriaci habent S. Thomam, nec pro Deo Eloquentiæ Oratores & Grammatici, ſicut Secundinus vocabat Auguſtinum. Habebitur autem ab omnibus, malè materiatus Nebulo, veluti ſimulachrum ignorantiæ, Dæmon mendacii, Myſta impietatis; numen Apulei, cui nomen foret, *Aſinus Aureus*, niſi plumbeum veſana ſupinitas comprobaſſet.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Campanellam infœliciter & inſulsè exagitat.

VEnio ad Aſſertiones quibuſdam Cyriacis ſingulares; nec adducam Durandum aut Catharinum, qui maluerunt ſegreges eſſe: vnde apud alios Cyriacos non bene audiunt: ſed eis Cenotaphium ſtatuerunt, ritu Pythagoreorum, In Magiſtri deſertores. Exiſtimo quod Cyriaci, æquè eiurabunt F. Thomam Campanellam, quia tametſi viſus ſit per aliquod tempus Cymbalum mundi, tamen reuera eſt ignorantiſſimus; ita vt ne ipſos quidem terminos, ſiue Philoſophicos, ſiue Theologicos intelligat; Sententias autem inuehit non modo à S. Thomâ, ſed etiam à ſenſu cuiuſuis ſani hominis adeò abhorrentes, vt deſipere potiùs videatur quam diſſerere. Hæreſes craſſæ, in eius libris tam multæ & tam inexcuſabiles occurrunt, vt mirum ſit, adeò pinguem Scriptorem ſuperioribus annis inuenire potuiſſe laudatores. Etiam Poëſim attingit; ſed adeò infœliciter, vt Tyrones in prima Grammatices, Proſodiam ligula dimetientes, non cantillent puerilius. Verùm Scriptorem *adeò ſtrumoſum, quem non dubito à ſuis Cyriacis eiurandum tanquam* §. 57.

ſegregem, ne omnia eius opera cogar exſcribere, malo prorſus præteritum. Cæterorum itaque nonnullorum, quos Cyriaci pro ſuis in Doctrina Magnatibus habent, paucas è multis Doctrinales gemmas ſublego.

RESPONSIO.

LIbrum in publicam lucem emiſit, cui Titulus. *De ſenſu rerum*, frater Thomas Campanella Cytiacus, verè iuxta proprium nomen Campana reſonans & Cymbalum orbis literarii. Hoc ſingulari opuſculo intendit Author rebus omnibus ſcintillam cognitionis infundere, quam *Senſum* vocat; quo iubare, non ſolum quæ communi conſenſu, intellectu vigent, vt Angeli: ratione, vt Homines: imaginatione, vt Animalia: ſed & Plantæ, Arbores, Lapilli & cuiuſuis Ordinis licèt infimi, Creaturæ, velut interiori radiolo ipſas illuſtrante, proficua ſibi agnoſcerent, fugarentque, aut fugerent inimica. Certè non imperitum nec inſanũ, aut ſtrumoſum Scriptorem qualem Tu ipſum ſcurrili procacitate indigitas, oſtendit huius Theſeos grauis & acuminata probatio. Diſtributis enim in quinque varios Naturæ ſuggeſtus, Entibus: Deo, Angelis, Hominibus, Animalibus cęteriſque inferioris notæ; tot etiam gradus volendi ſeu appetendi occurrunt, inæquali maieſtate fulgentes. Volunt Deus, Angeli & Homines: concupiſcunt Animalia; plantæ appetunt ſuccum, lapides centrum. Eſt autem voluntatis genus quoddam, omnis appetitus. Inuenitur itaque in quintuplici illo Amphitheatri ſuggeſtu, vera aut vmbratilis quædam voluntatis imago; habetque in quouis eorum voluntas de ſe cæca, domeſticum & affixum ſubiecto lumen, quo duce, aduerſa fugit, & in optata prorumpit, cuiuſque appetitus. In Deo, immenſo lumine ducitur voluntas infinita; in Angelo, intellectio ſeu lux plenè defæcata, puriſſimę voluntati prælucet; in Homine, ratio illuſtrat arbitrium; Imaginatio animalium, animalem illuminat & ducit appetitum. Quidni ergo eadem planè lege, inquit; cum in plantâ, paleâ, Lapide, inſit vmbratile quoddam voluntatis ſpecimen, appetitus & inclinatio erga proficua ſicut & horror ac fuga contrariorum, non etiam inſitum agnoſcatur propor-

tionatum lumen, radiolus quidam appetitui compar, quo inclinatio de ſe cæca, ducatur ad amica, deuitatis contrariis? Sic elatâ mente, altoque ſpiritu diſcurrebat Campanella, quem Tu ignorantiſſimum, & ſtrumoſum Scriptorem pueriliter cantillantem, denique deſipientem, congenitâ Tibi modeſtiâ proclamaſti.

Hoc itaque Campanæ, ſeu Campanellæ ſonitu excitatæ omnis generis Creaturę, accurrerunt vndequaque, vt ex illo mirabili *Senſu* quem ſingulis reſpergebat; quælibet pro modulo ſuo, ſibi vel particulam aſſumeret. Tu ſolus ab hâc publicâ Campanellæ ſingulis Senſum impertientis, liberalitate fuiſti excluſus, ſicque ſine ſenſu & ratione ſubſtitiſti Petre à Valle-Clauſa. Vnde nam hoc? Num quia Vallis-Clauſa excipere non poterat Cãpanę ſonum? Fortè, qui Durandum & Catharinum à Cyriacis ſegreges nequiter palpat; & ipſe ſegrex à ſuis, extra rationalis ſenſus orbitam, in quâ Campanellæ vox intonuerat, conſtitit. Aureſne certè oblongas Apuleius iugali ſuo obturarat, ne audiret? Audierat equidem Campanæ tinnitum prouocantis ad *Senſus* participationem: ſed Clauſæ-Vallis clauſus carcer prohibuit ne ad epotandum qui ſingulis infundebatur, Senſum, excurreret. Quo factum eſt, vt & ſiccata mens, omni planè ſenſus ac cognitionis radiuſculo, diuino, Angelico, humano, animali ac naturali deſtituta, langueſcat. Probatio facillima. Nullus enim Tibi Petre, diuinorum ſenſus ineſt, qui diuina rides & ludicrè traducis. Angelicæ puritatis omnem ſenſum, ipſo libelli Tui aditu ſpurciſſima vox eliminauit, dum in Præfatiunculâ, furtiuos amplexus iunioris viduæ vterum tumefacientes (Tua ſunt verba) laſciuiens & impura manus deſcripſit, Lectorum oculis exponendos. Quid vltra? Adeò Te omni rationis humanæ ſenſu expertem demonſtrat hicce Paragraphus, vt ignarum, putidum, inſanum & hæreticum ſcriptorem putes Te poſſe probare Lectoribus; virum omni literaturâ apprimè imbutum, Doctiſſimorum, encomiis celebratum, Oraculum olim curiæ Romanæ, poſt Gallicæ; nullo adducto vel leui ſpecimine næuorum quos ei impingis. Vis ne Tibi fides habeatur qui toties Fidem eiuraſti? hoc certè euerſæ aut nunquam impertitæ rationis perceſebre argumentum. Qui de Grammaticâ; Rhetoricâ, Politi-

câ, Arithmeticâ, Geometriâ, Aſtronomiâ, Logicâ, Phyſicâ, Methaphyſicâ, Morali, Medicinâ, Theologiâ (& quod in illo vnicum & ſingulare videtur) *de omni ſcibili*, ſcripſit terminos; Theologiæ & Philoſophiæ non intelligit? Barde quis hoc credet, niſi Tui ſimilis, mentis inops?

Verùm an ſaltem præditus es ſenſu animali? Videris certè, quia non guſtas Diuina; *Animalis enim homo non percipit ea quæ Dei ſunt.* At innatâ imaginatione & ingenito ſenſu, canes allatrant fures domum ingreſſos, & dominum à ſomno, prouido clamore excitant vt attendat rei ſuæ. Eodem ſenſu equus dum de nocte præcipitio appropinquat, præſentit & frendenti ore, pede retracto, violentâque totius corporis commotione, ſeſſorem admonet imminentis periculi. Hic ſenſus caninus: hæc cogitatio ſeu apprehenſio equina; Tu ſtupidior equo, inſenſibilior cane, nec furem, nec foueam oſtendis Lectoribus, cum præſentias. Dicis enim tam pinguem Scriptorem qui deſipere potius videatur quam diſſerere, Campanellam intelligis, craſſas, innumeras & inexcuſabiles planè hæreſes ſcriptis ſuis inieciſſe; nec vllam producis aut indicas, vt viri Catholici, operum eius auidi, pedem reuocent nec oculis hauriant latens venenum.

Super eſt ergò tantum vt experiamur, an Tibi ſaltem inſit radiolus ille, qui ſenſus naturalis, ſeu naturæ dicitur; cuius beneficio vt indicat Hieronymus, [creaturæ omnes ſentiunt Creatorem: non errore hæreticorum, qui dicunt omnia eſſe animantia; ſed Maieſtate Conditoris, quæ enim apud nos inſenſibilia, illi ſenſibilia ſunt. Agnouit mare creatorē &c.] Petre ſentiſnè Creatorem, quem Lapides, arbuſta, paleæ, omnia deniq; ſentiunt? Certè non ſentis, dum inhonoras: inhonoras autem, cùm matrem eius & amicos Cælites impio ore conſpurcas, vt duplex Senatus conſultum, Te tanquam læſæ diuinæ Maieſtatis reum flammis adiudicans, comprobauit. Sentiſ nè Redemptorem tuum, & omnium, quem mox Diatriba 5 (horret mens proferre) ad vltimum impudicitiæ propudium traduxiſti erga Samaritanam? Iaces itaque in infimo rerum gradu; & tamen infra omnia deuolutus, vis de omnibus quaſi ſuperior iudicare? Ideo forſan in Campanellam debaccharis, quòd dùm omnibus

L. 1. in c. 8. Math.

ſenſum

ſenſum infudit ille, in Opuſc. *de ſenſu rerum*; Tibi nec leuiſſima guttula obtigit; aut certè quia in mirabili illo Opere quod inſcribitur, *Atheiſmus triumphatus*, de Te in anteceſſum, triumphum egit, diuina nec ſentiente nec agnoſcente.

Vnum ſupereſt purgandum. Dum enim qui nec prima Theologiæ aut Philoſophiæ elementa hauſiſti, Poëſim adeò infœliciter auſus es attingere, tam Latino quam Vernaculo idiomate (quod mox conſtabit) vt Tyrones in primâ Grammatices, Proſodiam ligula dimetientes, non cantillent puerilius, nec ridiculiùs deſipiant, ignarum Poëſeos indigitaſti Campanellam, Debueras certè aliqua ruditatis eius in arte Poeticâ, adducere ſpecimina. In quo ampliſſimum de tua barditate exhibuiſti argumentũ. Ille enim metricè nihil compoſuit, præter Horoſcopum potètiſſimi Regis noſtri Ludouici XIV. quem heroico carmine ſcriptum, obtulit ſapientiſſimo & Triumphatori eius Parenti, Ludouico Iuſto. Qua de re eſt aliquid prælibandum, cuius ego Teſtis oculatus extiti. Geniale Poema ſub nomine Horoſcopi, in quo quæ nunc fœliciter experimur, prædilecti Delphini miracula, velut præſagâ mente edixerat; Regius Parens legendum dedit quibuſdam Viris rei literariæ operam nauantibus, queis non placent niſi Domeſtica. Reuoluto die, dum Opuſculum redditur Principi, interrogati num aliquid illime occurreret? Reſpondere; in primo Operis veſtigio lapſum ſe aduertiſſe non mediocrem, dum Poeta Delphinum alloquens, ſic exorſus fuerat ſecundum verſum; *Portentoſe puer.* Innuentes hâc cenſurâ, *Portenti* vocabulum non niſi malo omine obſignari. Rex Authoris eruditionem eximiam, affectumque eius erga ſe ſingularem, multiplici experimento probatum conteſtatus, pro ipſo perorauit, nec inconſultò hâc voce vſum. Totius rei narrationem, è caſtello, S. Germani, vbi Curia aderat, miſit Pariſios ad Campanellam, qui præſens adfuerat D. de Chaumont Bibliothecæ Regiæ Præfectus. Ille ſtatim Horoſcopi & Poëſeos ſuæ Apologiam me præſente aggreditur, eâdem nocte abſoluit; probanſque ex Varrone, Virgilio ſimilibuſque rei Latinæ primariis Antiſtitibus, *portentum* frequentiùs in bonam & optimam partem, quam in malam accipi; tranſmittit ad eumdem Bibliothecarium, vt offerret æquiſſimo Principi, qui Ariſtar-

S

chos Imperitiæ & liuoris conuictos, oblatâ Apologiâ confuſos reddidit & elingues. Sile & Tu Petre, neſcio enim quo infœlici fato, quoties Tua mouetur lingua, toties pes labitur, cadis aut cæſpitas, & fluens è ſtrumis animi virus, inficit quæcumque ore vel manu attingis.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Caietanum calumnioſè notat, nihil probans.

§. 58. *CÆterorum itaque nonnullorum, quos Cyriaci pro ſuis in Doctrinâ Magnatibus habent, paucas e multis Doctrinales gemmas ſublego. Thomas de Vio Caietanus inter Thomiſtas Coryphens, ſcatet Doctrinis non modo parùm ſolidis, ſed etiam apertâ materiali hæreſi ſordentibus. Dico* materiali hæreſi, *quia aliqua reproba Propoſitiones à Caietano traditæ, nondum tunc erant damnatæ: in aliis bona fides, & perpetua cum Romanâ Eccleſiâ coniunctio, potuit eum à formali hæreſi excuſare, vt propterea non ſatis conſultò Gabriel Prateolus ſequutus Alphonſum à Caſtro, locum Caietano dederit inter Hæreticos. Fuiſſe tamen pleraque eius pronunciata, materialiter hæretica, nemo eat inficias. Videſis errorum Caietani plenam meſſem apud Catharinum, iuſto volumine in ſex Libros diſtributo. Eam meſſem ſub vnum conſpectum obiicit in calce operis. Echius quoque, ad calcem locorum ſuorum communium, vltra centum reproba doctrinæ tubera, ex Caietano eruta, propoſuit. Quàm verò peruersè ac periculosè Scripturas expoſuerit Caietanus, latè & concinne rhetoricando monſtrat Canus l. 7. de Locis c. 3.* pag. mihi 446. *Ne linum fumigans extinguere velle videar, nihil ſigillatim adduco.*

RESPONSIO.

BEne conſulis tuis rebus, Pſeudo-Petre, dum ad ditandam inopiam animi Tui, è multis Cyriacis & in orbe literario Magnatibus, Doctrinales gemmas ſublegis. Verùm ſordet ſemper, etiam ſub coruſcantibus gemmis indocta & impolita ruſticitas. Triplici Te immunitate donatum fatigata Lectorum patientia huc vſque comprobauit. Vniuerſalis Criminatio, nullo fulta Aduerſariorum lapſu:

effuſa quiduis blaterandi in Cyriacos temeritas, nihil vnquam probans: ad nutum fingendi ac imponendi vaga licentia, genuinus indolis Tuæ character. Aduerſus triplicem hanc petulantis animi Laſciuiam, trina mihi quoque exceptio conceditur, paribus enim armis decertamus.

Fidem Tuam nullo teſte obſignatam exſufflare, vox publica iubet: at nihil ſingulatim purgabo, dum nihil ſingulatim notas; mendacemque inſcribo, vbicumque ab æmulis aut hoſtibus Cyriacorum, in Cyriacos emendicas teſtimonium. Triſulco hoc vmbone retunditur futilis licet agglomeratus, Petri in Caietanum aſſultus. Immenſam errorum ſegetem Purpurato Patri audax meſſor affingit, *Doctrinis non modo parum ſolidis, ſed etiam apertis materiali hæreſi ſordentibus ſcatentem* Ex illâ autem vaſtiſſimâ errorum illuuie quam obtendit, vagâ contentus imagine, velut ſpectro volatili, nullum ſingulari notâ deſignat errorem, commentus prægrandem ſine vlla arbore ſyluam; numeroſum ſine quouis milite exercitum; & vniuerſalem abſque vno ſaltem indiuiduo, naturam. Hæc ridenda Ludionis immunitas: cui obuians, nihil in particulari propugno, quia nihil ille ſingulare inuadit, exſuffloque vagam criminationem vago riſu, ac contemptu effuſo. Nec dum ſatis: Multa garrit & effutit procaci libertate, infuſcando Eccleſiæ Principi imminens; ſed nihil probat; quaſi Nebuloni toties mendacii & impoſturæ conuicto, fidem aliquam adhiberi patiatur Chriſtiana prudentia, dum carioſæ fidei cautionem non exhibet. At, inquies, teſtem adhibet Catharinum. Teſtem vocas Transfugam & hoſtem? Qua lege eius ſtabit fides, probabiturque teſtimonium in Cyriacos, qui à Cyriacis ſegrex & Transfuga, in hoſtium partes publicâ defectione deuolauit? Aut in Caietanum, qui integro volumine hoſtilem calamum ſtrinxit in eum? Nec quis audiendum cenſebit Echium, dum producit, vt ais, vltra centum reprobæ Doctrinæ tubera ex Caietano eruta, dic veriùs, ex Catharino exſcripta; ac proinde pari exceptione retundenda; parique facilitate purganda, ac illa quæ Tu abſque numero, Theologiæ ac Philoſophiæ Thomiſticæ placita, erroribus infarta ac ſordidantia, ipſo huius Diatribæ veſtibulo inſcripſeras; lapidi Lydio applicata ac ſyncero ventilata examine, inuenta ſunt pura, ſolida, probata terræ, purgata ſeptuplum. Mendacem itaque & euan-

Puerilitas.

Stupiditas.

dum comprobat exundans in Caietanum ſine inductione, ſine ratione, ſine teſte probato, fingendi licentia multum procax, parum religioſa

Nec iniuriam minuit fucata charitas, vindicatura à Grabrielis Prateoli ac Alphonſi à Caſtro effræni petulantiâ, eum, quem Cani pariter Cyriaci acris eloquentia ſugillat. Siquidem Canus Sodalem admonet vt corrigat; Tu ementito affectu & crudeli pietate palpas vt trucides; ſuntque Caietano dulciora vulnera amici, quam oſcula inimici. Mihi etiam dum eius Apologiam texo, optandum foret vt deſcenderes ad ſingula; & quæ à Te ſigillatim obtruderentur, facilè purgaturus, linum fumigans extinguerem, contunderetque impotentem Blateronis audaciam, Religioſa libertas. Si quid interim iuſtâ inurendum notâ occurreret, damnarem vtique; elueretque feſtinâ ac feſtiuâ manu ipſemet Caietanus, hâc glorioſâ Auguſtini demiſſione, antiquos ſuos lapſus reuocantis, *Errare poſſum, non tamen ero hæreticus* Deuiantem calamum ad Eccleſiæ amuſſim pronâ feſtinatione reducerem; homo ſum; nihil humani à me alienum puto. Quouſque igitur, Petre, errorem aliquem digito indicante ſignaueris in ſcriptis eius, nihil defendam vbi nihil videbo impulſum; vagæque criminationi, nullum habenti niſi hoſtile patrocinium, opponam purgationem publicam ac generalem duorum teſtium, vt puto, Tibi probatiſſimorum Syngraphâ obſignatam; quâ Societatis ſcriptor Poſſeuinus, euagante per ſingulas eius dotes encomio, hoc poſteritati reliquit Caietani celebre Elogium; ac ſimul æternum Tuæ nugacitatis ac calumniæ programma, in apparatu ſacro V. Thomas de Vio Caietanus. Quod exſcribo nullâ ſuppreſſâ voculâ, aut apice immutato.

Thomas de Vio, ſiue Vius (vt habet Sixtus Senenſis) Cardinalis tituli S. Sixti, Ordinis Prædicatorum, natione Italus, Patriâ Caietanus, eiuſdemque vrbis Epiſcopus; vir tàm vitæ ſanctimoniâ, quam ingenii præſtantia illuſtris, ſubtiliſſimus Dialecticus, admirabilis Philoſophus, Theologus incomparabilis, & inter eruditiſſimos doctiſſimi ſui ſæculi longè eruditiſſimus; An. 30. ætatis ſuæ, propter ſingularem morum & doctrinæ excellentiam, octauus Magiſter Generalis Ordinis ſui Romæ electus eſt & poſt aliquot annos in collegium Cardinalium à Leone X. Pontifice aſſumptus. Mox in Germaniam cum

Legationis munere miſſus ad compeſcendos profanos rumores, quos Martinus Lutherus Illebienſis, nouus Hæreſiarcha apud Germanos excitauerat. Inde verò reuerſus, iterùm ab Adriano Pontifice Maximo legatus in Pannoniam mittitur, cum ingenti pecuniarum vi, ad comparandas copias aduerſus Solymanum Turcarum Imperatorem, Pannoniam infeſtis armis inuadere molientem. Reuocatus deinde à Clemente VII. Pont. M. Romam rediit; vbi captâ & incenſâ vrbe, ab hoſtibus captus; quinque millium aureorum pretio ſe ab eorum manibus redemit. Nec multò poſt cum Clemens Summus Pont. in grauiſſimam & à Medicis deploratam ægritudinem incidiſſet, ipſeque grauiſſimè ægrotare cœpit, quaſi (Audin' Petre? *) ſe imminenti Pontificatûs oneri ſurripere vellet, ad quod communi omnium expectatione, votiſque vocabatur, ac morte ſua Pontificis mortem præuenit. Felicem Deo animam reddit 4. Idus Auguſti, ætatis ſuæ 66.* Hoc perilluſtre Poſſeuini elogium paucioribus complexus eſt Cardinalis Bellarminus in l. de Scriptoribus Eccleſ. ad annum 1500. ſic ſcribens. *Thomas de Vio, Patria Caietanus, vir fuit ſummi ingenii, nec minoris pietatis.* Ergò-ne Petre, ſic maculas virum tantâ vitæ ſanctimoniâ, & doctrinæ ſuper excedente præſtantiâ fulgentem, vt communi omnium expectatione & votis, ad Pontificatum vocaretur? Voluiſſet-nè etiã Eccleſia Doctorem tot erroribus obſitum, quales Tu vagâ improperatione ei affingis, præficere Throno Apoſtolico, qui eſt ſedes veritatis? *Tace ergò & obmuteſce*, ſicut Dæmoni dictum eſt à Chriſto.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Calumniatur I. de Neapoli & D. Catharinam circa viſionem beatam.

IOannes de Neapoli, ablegauit à Chriſto intellectionem creatam; cenſens eum Res cognouiſſe, per ſolam cognitionem diuinam; qui eſt error exploratus, & iiſdem refutandus argumentis, quibus ab Eccleſia exciſus eſt error Monothelitarum. Videſis Valentiam 3. p. d. 1. Suarem tom. 1. 3. p. d. 24. ſect. 1. Leſſium l. 2. de ſummo bono c. 2. Dolendum verò eſt ſanctam Virginem Catharinam Senenſem ab aliquo malè ſoli- §. 59.

de Cyriaco hauſiſſe eam reprobam Doctrinam, vt patet ex eius Orat. 17.

RESPONSIO.

Dicis Petre Ioannem de Neapoli ablegaſſe à Chriſto intellectionem cieatam, cenſens eum res cognouiſſe per ſolam cognitionem diuinam. Nego ipſe, hæc eum effatum. Cui noſtrum aquieſcet Lector? Tibi incumbit cura probationis, deeſtque facultas; quam intra religioſi ſilentii leges non cohibuiſſet effiænis in Cyriacos ſæuiendi procacitas, ſi ſuppeteret. Iuuat itaque imbellem hoc onere leuare; aſſumoque Tuam, in Te acturus, perſonam. Extrica Te ſi potes hoc dilemmate. Aut dogma illud erroneum quod impingis Ioanni de Neapoli Cyriaco, in eius ſcriptis reperiſti, aut apud alios Scriptores, ipſum eiuſmodi lapſus inſimulantes? Si apud ipſum; cur Librum, Caput libri, Paragraphum aut Sectionem non ſignaſti, vt breui ſub Lectoris aſpectum veniret? Vis omnia eius opera euoluat, inquirendæ huic propoſitioni attentus? Quid putas diceret vir nobilis venationi addictus, ruſtico indicanti illi leporem; ſi indigitanti domino locum vbi cubet & recumbat fera; vt indagante cane, huius rei perito; dum latentem, aut ſeſe citato curſu proripientem è latibulo ſuo, globo ferreo impetat: reſpondeat alter: Iacet intra magnam illam ſyluam, quæ per centum ſtadia protenditur, nullâ indicatâ ſingulari ac certâ ſede? Vtor tecum Petre hac ſimilitudine canis, quem de cane, caninis moꝛſibus, latratibus caninis audiui frequentius agentem, ſeu peritiſſimum venatorem. Numquid non ſeueriori exceptum pœnâ procul amandaret? Eia, inquit; quo me labore oneras? Vis vt infinitos penè prægrandis ſyluæ tractus, cane indagante percurram, adoriendo lepuſculo, quem palmaris ſedes continet? Stolidior adhuc certè Pſeudo-Petrus, qui Lectores vellet adigere ad euoluenda per puncta & apices minutim, duo iuſta volumina propoſitiunculæ inueniendæ cauſâ. Si eam propriis oculis apud Authorem legerat, nullo labore poterat, indicante digito ſignare locum, Librum, Caput; ſicque ſemper & toties euerſa eius fides, hoc ſaltem fulcro conſiſteret, deprehendereturque ſemel verax. Si autem non è fonte, vt veri-ſimilius; ſed è canali aquam hau-

Impoſtura.

ſit ; nec mentem Ioannis de Neapoli niſi ex ſcriptis aliorum , ſe exſpiſcatum fatetur ; debuit illos adducere vt veritas pateſceret.

Dices ; Adduxit ipſe Valentiam , Suarem Leſſium Verum eſt ; adduxit eos , vt oppoſitæ ſententiæ aſſertores, ſed apud quos de præfato Ioanne Neapolitano , nulla prorſus mentio. Valentia quidem Tui in hoc ſimilis , vagè illum citat, nec ſignat locum. Imò dicit neminem , excepto Ioanne de Neapoli , hoc tenuiſſe ; cum tot alij à Capreolo & aliis , citentur huius opinionis Authores, ex quo nullius eſt ponderis nutans & mendax Valentiæ authoritas. Leſſius pro ea opinatione citat ſolũ Hugonem à ſancto Victore : Suares præter illum , adiicit Ioannem de Ripa Pariſienſem , non Neapolitanum , qualis Cyriacus ille , quem Tu exagitas , in quo fortè deceptus es poſt Valentiam. Hæc autem cauſa illuſionis Tibi condonandæ , quod famâ publicâ acceperis Neapolim prope *Ripam* maris ſitam, quo factum eſt , vt Ioannem de Ripâ cum Ioanne de Neapoli , præ mira cerebelli Tui turbatione confuderis. Capreolus *Stoliditas.* præter citatos, Hugonem & Ioannem de Ripâ , addidit Adamum quemdam , huius opinionis ſectatorem , quæ tempore Gregorij Ariminenſis vigebat ; cujus omnes aſſertores affert idem Gregorius , nec tamen Ioannis de Neapoli meminit. Cum ergò placitum hoc erroneum, nec in ſcriptis præfati Ioannis ipſe legeris , alias non tacuiſſes ; nec apud vllum Scriptorem, Te excepto , & Valentiâ vagè citante , inſimulatus inueniatur ; conſequens fit vt animulæ Tuæ ſimilibus ſtrophis ac impoſturis innutritæ , celebre commentum inſcribatur. Quod infando ſacrilegio duplex effectum eſt , dum D. Catharinam Senenſem reprobâ hac doctrinâ profnus aſpergis , indicans in probationem calumniæ , orationem eius. Octo enim tantum capita reperiuntur de Methodo ſeruanda in Oratione , & in nullo , de præfato errore vel verbulum. In contextu au- *Calumnia.* tem Orationum , decima ſeptima quam Tu notas , hæc tantum habet verba Diuæ ad Patrem Æternum directa: *Illuminas eos in ſapientiâ Filij Tui.* Hoc ne innuit eos videre per increatam cognitionem verbi ? Numquid non Paulus de Christo loquens ait , *factus eſt nobis ſapientia?* Miſerere ergò animæ Tuæ , adeò ſtolidè & ſacrilegè deſipientis. Illuminat nos Pater in ſapientiâ Filij , tanquam

cauſâ, non formali, ſed exemplati, effectiuâ & meritoriâ illuminationis noſtræ: ſicque venit intelligendus Apoſtolus: Verùm quid in Ioannem de Neapoli & D. Catharinam ſic procax & mendax oggannis, vt eos notes errore ex præfatâ doctrinâ, cuius aſſertores dicit & probat quatuor Scriptores Societatis, Franciſcus Bonæ Spei Carmelita. *a* Hi ſunt, Petrus Hurtado, *b* Peres, *c* Arriaga, *d* docentes animam Chriſti per ſcientiam increatam potuiſſe reddi formaliter ſcientem. Quibus (inquit auctor) adſtipulatur Theophilus Raynaudus. *e* Quid ergò amiciſſimum Theophilum erroris damnat Petrus à Valleclauſâ?

a Tract. 1 de Deo vno diſp. 4. de Viſio. dub. 3.
b 3. p. diſp. 53. ſect 3.
c 3. p. d. 21. ſect. 2.
d 3. p. d. 36. ſect. 1. n. 2.
e l. 4. de Chriſto. ſect. 1. c. 6. n. 122

Dicam ergò Tibi, Senex Lymphate, ac impie Cenſor D. Catharinæ, & Ioannis de Neapoli, quod vtrique ex ſenioribus Suſannæ accuſatoribus, obtruſit. Daniel: *Inueterate dierum malorum; ſemen Chanaan & non Iuda, ſpecies, decepit Te, & concupiſcentia ſubuertit cor Tuum.* Veſanus furor, quo in Dominicanos æſtuas, incantauit oculos Tuos, mente iam ſubuersâ. Quæ illa *ſpecies* deceptrix? Dicam ſtatim. In Cognitione, duo quæ diſtinguenda erant, implicas & confundis, actionem vitalem & terminum eius, qui *ſpecies* expreſſa dicitur. Hæc *ſpecies* Te decepit. Si enim apud Scriptorem aliquem è Scholâ Thomiſticâ legiſti vnquam, non creatâ ſed increatâ formâ, aut ſpeculo, aut imagine, aut ſpecie, Sanctos contueri Deum in Beatitudine, ridiculâ æquiuocatione pro termino cognitionis, ipſam cognitionis eſſentiam interpretatus, increatam intellexiſti cognitionem; cum Cyriaci intelligant ſpeciem increatam: quia enim iuxta principia Thomiſtica & vera, in viſione beatâ nullus producitur nec produci poteſt ab intellectu creato (qualis eſt intellectus humanus Chriſti) terminus ſuæ cognitionis, ſeu ſpecies expreſſa; ſed Deus ipſe ſupplet per ſe ipſum vicem ſpeciei expreſſæ, ſicut & impreſſæ; Ideò non per creatam, ſed per increatam ſpeciem (quam alij, vt dixi, formam, formulam, ſpeculum, aliquando etiam intellectionem vocant, non formaliter, ſed terminatiuè,) vident Deum. Hæc forſitan hallucinatio decepit Te, & ſubuertit cor tuum, vt Ioannem de Neapoli & ipſam D. Catharinam Senenſem in cælis regnantem cum Deo, venenato flatu ſacrilegè conſpurcares. Cuius ſacrilegij vindices flammæ

duplici Parlamenti decreto ſumpſere pœnam de inhonoratâ & calumnioſé traductâ à Te Diuâ Catharinâ nominatim & expreſſis verbis. Quod autem de intellectu creato abſolutè diximus, etiam de animâ Chriſti venit intelligendum.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Capreolum ignorantiſſimè arguit, circa viſionem beatam.

IOannes Capreolus vocatur anima D. Thomæ; *nec eſt inter Proletarios, apud Cyriacos; ſed tenet gradum Senatorium. Is tamen in 4. diſt. 49. q. 4. ad* 1. *Scoti contra 2. concluſionem & ad tertium Aureoli contra eamdem, de viſione beatifica admodum præpoſterè philoſophatur, diſtinguens in actu viſionis, ſubſtantiam actus prodeuntem ab intellectu; & formam addititiam (ratione cuius ſolius eſt beatitudo) à Deo ſolo efficienter cauſatam. Quo abſurdo philoſophandi modo, viſio prout beans formaliter hominem, non eſſet quid vitale: & ſubſtantia intellectionis Deum attingentis, non eſſet quid ſupernaturale. Meſſem ergò errorum in his paucis Capreoli dictis colligere liceret, ſi vacaret. Videſis Suarem tract.* 1. *l* 2. *& Vaſquem* 1. *p. diſp.* 47. *Alios* Capreoli *huius tranſultus, circa Prædeſtinationem & Gratiam, exhibebit Index vniuerſalis ad libros Cyriacorum.* §. 60.

RESPONSIO.

DÆmon indefeſſo conatu animas impetit, neglecto corporum laniatu. In hac tamen palæſtrâ, Spiritus nequam Tibi vltrò palmam cedit. Illi enim conceſſum eſt in animas adhuc carne mortali veſtitas, tela ſua contorquere; cùm Tu diuulsâ cælorum compage, effractiſque Empyrei muris, Cælites & cum Deo regnantes Diuorum animas, gigantea reſtouans certamina, aperto marte impugnaturus collimes. *Anima eſt D. Thomæ*, inquis, Capreolus & ſupra Proletarium Cyriacorum agmen, alto inſidens throno, vir Senatorius. Hoc Ordinis Senatorij illuſtre decus infuſcare; & hanc cælitem animam atrâ

reſpergere fuligine, gratiſſima Tibi eſt probroſi triumphi materies. Duplicis enim lapſus reum clamitas Capreolum, geminoque hoc concluſum carcere ad 1. Scoti & ad 3. Aureoli; hinc diſtinguentem in actu viſionis beatæ, ſubſtantiam actus prodeuntem ab intellectu, & formam addititiam, (ratione cuius ſolius eſt Beatitudo,) à Deo ſolo efficienter cauſatam: illinc quaſi conſecutione ex illo præfato deductâ, ſtatuentem illum Viſionis actum, quo formaliter beatur homo, non eſſe quid vitale, ſubſtantiamque intellectionis Deum attingentis, non ingredi ſphæram ſupernaturalis ordinis. Ex quo feraci agro, quem duplex hic riuus alluit, immenſam errorum meſſem, ſi vacaret, nuſquam laſſanda manus, inquis, poſſet colligere; ſed hanc vniuerſalis Index ſeruat Capreolo obiiciendam congruo tempore. Inſtat certè opportunum tempus.

Accede ergo Capreole & depoſitam Senatoris veſtem, quâ Te Petrus induerat, ſumat ipſe, de Te iudicium prolaturus. Verùm inauditus non damnaberis: licebit coram tam æquo Iudice verba quibus Te ipſum illaqueaſti (vt præſumitur) exſcribere, loco à Pſeudo-Petro laudato ad 1. Scoti, vt videat Lector quæ ſit illa forma addititia à ſolo Deo effecta, & diſtincta ab actu Viſionis. *Ad primum Scoti, contra 2. concluſionem dicitur; quòd lumen gloria neceſſarium eſt ad hoc, quòd intellectus creatus videat Deum per eſſentiam; & tale lumen diſtinctum ab actu viſionis, requiritur propter duo. 1. Ad recipiendum non quidem ipſam viſionem, qua eſt actus ſecundus: ſed ad recipiendum Diuinam eſſentiam per modum forma intellectualis in intellectu poſſibili, quaſi diſpoſitio præuia ad actum primum. 2. Tale lumen requiritur ad eliciendum actum viſionis.* Forma itaque illa addititia ad viſionem, eſt ipſum lumen gloriæ diſponens intellectum ad ſuſcipiendum Deum, prout exercet vicem ſpeciei impreſſæ, &, vt loquuntur, eſt principium *quo*, elicitiuum viſionis. Quid in hâc Capreoli doctrinâ præpoſterum aut abſonum annotaſti, hominum acutiſſime? Terruit Te fortè, defœcatis Theologiæ notionibus imperuium & inexpertum, forma illa addititia; & recordatus Gigantomachiæ, putaſti impoſitum monti Oſſæ Pelionem, vt de cælo deturbaretur Iupiter? Confortare & diſce nihil aliud formulâ illâ ſuperadditâ ſignari quàm lumen gloriæ. Vis nè cum Beguinis & Be-

gardis hæreticis, (qui Delphinatu & Prouinciâ exploſi in Inalpinis vallibus Nyſſam vſque protenſis, vbi Tibi natale ſolum, fixere ſedem;) velut Paternorum dogmatum hæres, excludere à beatitudine lumen Gloriæ, & aptare viſioni beatificæ intellectum humanum, ſolis naturæ viribus fretum? Hoc igitur afflatus ſpiritu *Beguineo*, purpuram viri Senatorij flatu Tuo palleſcentem, ſordidaſti. Hoc Begardico-pelagianum intorſiſti fulmen in *animam D. Thomæ*. Iudicet æquus Lector, num lymphati ac funditùs dementati cerebelli, euidentius illi ſpecimen vnquam occurrerit. Inter enim duo extrema æquè ſordentia poſitus, quò ſe vertat non inuenit miſerandus Theologaſter. Adigitur fateri ſe Hæreticum, dum neceſſarium negat lumen Gloriæ ad intuitionem beatificam; aut certè ad vltimum amentiæ gradum eſt deiectus, præpoſteræ doctrinæ inſimulans Capreolum, eoquod docuerit quod communiter docent omnes Theologi, ipſeque Petrus fatetur. Videſis Petre, Suarem, Vaſquem, Bellarminum & omnes Societatis ſcriptores, qui hanc formulam Viſioni ſuperadditam, ſeu lumen Gloriæ ab eâ diſtinctum, vno ore profitentur. Meritò certè, Senatorio inſignitum charactere pronunciaras Capreolum, tanquam ſupremo iure laturum in te ſententiam comprobatæ ignauiæ ac ſtoliditatis Tuæ.

Error.

Amentia.

Grandinat adhuc acrius in caput Tuum, alter locus à Te adductus ad 3. Aureoli. Dum enim velut abſurdè philoſophantem criminaris Capreolum; Tu met abſurdè, ridiculè, miſerrimè, probroſè, non dico philoſopharis, ſed oſcitas, cæſpitas, nugaris & ſolemniter deſipis. Ad hoc euincendum ſufficit ipſiſſima Capreoli verba exſcribere, vt collata verbis Tuis, quibus eum culpas; impudentiam Tuam obruant & eleuent barditatem. Sequeretur, inquis, iuxta Capreoli Philoſophiam & doctrinam, *Viſionem prout formaliter beat hominem, non eſſe quid vitale; & ſubſtantiam intellectionis Deum attingentis, non eſſe quid ſupernaturale*. Hæc Tu: Quid ille ibidem? *Ad 3. dicitur quod viſio beatifica in quantum beatifica, a ſolo Deo eſt, & non ab intellectu agente vel poſſibili: Sed nihil prohibet quin alio modo, ſit ab intellectu poſſibili, vt ſuperius dictum fuit.* Iam collato pede verba verbis reſpondeant, vt mirabilis illa conſecutio Tua innoteſcat. Capreolus dixit in duobus illis

locis, quos, cum tu copulaueris, nolo diuellere. Viſio beatifica, vt beatifica, à ſolo Deo eſt: infers; Ergò ſecundùm Capreolum, Intellectio, ſeu Viſio vt attingit
Barditas. Deum, non eſſet ſupernaturalis. Proh! quæ ſequela! Eſt beatifica; Ergò non eſt ſupernaturalis. Hoc nemo inferet, niſi Pelagianus aut Begardus. Efficitur à lumine gloriæ, & à Deo ſolo eſt; Ergò non eſt ſupernaturalis? Certè Bardus es & amens. Dixit 2. Capreolus; Lumen gloriæ requiritur ad eliciendum actum viſionis, quæ fit ab intellectu creato: Infers tu; Igitur iuxta Capreoli doctrinam, Viſio prout formaliter beans hominem non eſſet quid vitale. Eſt elicita à lumine gloriæ: Ergo non eſt formaliter beans hominem. Nec Triobolaris Theologus hoc negabit; Fit ab intellectu creato; Ergò non eſt quid vitale. Amentis eſt hæc conſecutio. Argumentum reduco ad leges. Illud eſt vitale quod exit ab intellectu creato: Atqui Viſio, quæ elicitur à lumine gloriæ, & eo titulo eſt formaliter beans hominem, exit ab intellectu creato: Ergò
Contradictio Viſio, quâ formaliter beans hominem, eſt quid vitale: Hâcque ratione, conſecutio Tua deſtruit quod intendebas; aſtruit quod tentaras conuellere; & factus propudium omnibus, proprio te enſe iugulaſti. Quid ergo errorum meſſem, in Capreolo inani iactatione quæritas, & te collecturum ſpoponderas, ſi vacaret? Vacat & vacabit diu, nos oſtendere in futili ſcriptiunculâ Tuâ, tot errorum meſſem, quot apicum; & immenſam mendaciorum, næniarum, nugacitatum ac blaſphemiarum ſegetem. Quid probroſiùs latrunculo, funeſtum quo illaqueetur, texente funem? Quid verò amentiùs Scriptore, iiſdem quibus in hoſtem vtitur armis, ſe ipſum præfocante? Hoc tibi contigit Trico ridicule, dum cæco marte aggreſſus es Capreolum, quem doctiſſimum Profeſſorem & egregium
An. 1143.*n.* doctrinæ S. Thomæ defenſorem nuncupat Spondanus. Tu
10. verò proletarij infœlix munus obibis, pauperrimus parens tot infœlicium liberorum & librorum, quos vel infame programma toties ſuſpendit Romæ, vel Gallicus ignis conſumpſit. Cæterùm hanc à me illibatæ fidei accipe ſponſionem: recantatum pluriès Indicem vniuerſalem ad libros Cyriacorum, in quo carpendus iterùm denunciatur Capreolus; vix in lucem editum, pleno ac citato gradu inſequetur Elucidarium generale Vallis-clauſæ; apertoque

abyſſi puteo exundabunt Locuſtæ doctrinales, Bufones politici, in morali immorigerè coaxantes Ranæ, cæteraque tuæ Vallis monſtra & portenta, multiplici configenda Anathemate.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Ferrarienſem debiliſſimè impetit circa ſpecies Sacramentales.

FRanciſcus de Syluestris, cognomento Ferrarienſis, ad 4. contra Gentes c. 66. tenet quando ex ſpeciebus ſacramentalibus putrefactis generantur vermes, manere quantitatem ſpecierum cum ſolâ ſubſtantiali formâ vermis adueniente; nullam autem ibi materiam primam reperiri: atque adeo exiſtimat vermes illos differre ſpecie à cæteris vermibus. Quod ſe habere putat ex D. Thoma ibi, & ex 3. p. q. 77. art. 5. & in 4. d. 12 q. 1. art. 2. §. 61.

RESPONSIO.

DOleo certè miſertus Tui, dum tanto & inutili labore conſumeris! Non eget Reſpublica Chriſtiana, vt profana manus ſubiiciciat eius oculis Theoremata Thomiſtica, quippe quæ puriſſimo hoc lacte gratulabunda nutritur. Sed commune omnium votum erat, vt aut Cyriacorum placita non adduceres, aut impugnares, qui ex deſtinato doctrinæ Thomiſticæ hoſtis perſonam ſuſtines, non diſcipuli. Dixerat Author quem incautè aggrederis, *Loco citato.* ſoluens difficultatem, dum ex corruptis ſpeciebus Sacramenti v. g. generantur vermes. *Dicendum quòd ſicut in ipſa Conſecratione, ſubſtantia Panis in corpus Chriſti miraculosè conuertitur, ità miraculosè accidentibus confertur quod ſubſiſtant, quod eſt proprium Subſtantiæ, & conſequenter quod omnia poſſint facere & pati, quæ ſubſtantia poſſet ſi adeſſet, & hoc ſine nouo miraculo.* Quaſi diceret. Sicut forma vermis poterat educi de materia, poterit & ibi educi de quantitate, quæ ex vi primi miraculi ſubit vicem materiæ. Contra hæc ringis Petre? Scio communem Thomiſtarum ſententiam eſſe poſt ſanctum Doctorem, in illâ

hypotheſi, quantitatem conuerti in totum compoſitum, ſeu in materiam & formam cinerum: maximâ tamen gaudet probabilitate hæc Ferrarienſis opinio, habetque non leue fundamentum in verbis D. Thomæ. Debueras itaque nouo incaleſcere æſtu, fortioraque contorquere tela congreſſurus cum hoſte, inter Theologos acutiſſimo. At auderet congredi Pigmæus aduerſus Gigantem? Voluit ſemel incauta vulpes pugnare cum leone, ſed ſtatim diſcerpta, pœnam luit vltimæ temeritatis.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Mordet Canum quantum ad Stephanum, Matrimonium & gaudium Chriſti.

§. 62. MElchior Canus l. 2. de Locis c. 18. pag. 169. *ait S. Stephanum in eâ præclarâ diſſertatione quam Lucas deſcripſit Actorum 7. confudiſſe & miſcuiſſe nonnulla; in quibuſdam item leuiculis erraſſe per lapſum memoriæ; nec plus in eo locutum eſſe Spiritum Sanctum, (quo plenus fuiſſe à Luca dicitur,) quam in Sancto Ambroſio. Idem Canus Matrimonia ſolis nutibus contracta, negat eſſe Sacramenta, l. 8. de locis c. 5.* pag. 479. *Verum Sacramenti Matrimonij miniſtrum affirmat Canus eſſe Parochum; quem doctè id defendere, ait perpetuus eius adorator Combefiſius, ad orationem Damaſceni in Conſtantinum Caballinum n. 8. ex quo habetur; Matrimonia abſque Parocho clandeſtinè contracta, in locis in quibus decretum Concilij Tridentini caſſans ea matrimonia, non eſt promulgatum, inualida eſſe, cum deſit verus Matrimonij miniſter; hoc tamem ab eodem Concilio, intorto anathemate, confoditur. Chriſti voluntatem, idem Canus l. 12. de Locis c. 14. tempore Paſſionis caruiſſe gaudio beatifico viſionem conſequente, aſſeruit licenter de more, nec ſatis attendendo, eodem iure fingi poſſe, Chriſtum eo tempore caruiſſe viſione beatâ. Alia in hoc Caninum placitum vrgent Suares tom 1. 3. p. d. 38. ſect. 3. Vaſques 3. d. 73. Raguſa t. 1. 3. p. d. 84. & Iuſtinia. 1. Petri 4. V. 1. n. 4.*

RESPONSIO.

SI quid fidei & aſſenſus extorquet Ephemeridum præjudicata veritas; nati ſub ingruentibus æſtuantis caniculæ flammis humani fœtus, timent ſummopere canes, horrentque ſecreto naturæ magiſterio, caninos latratus; dùm morſibus peruij, exitiale ſibi putant è cælis defluere fatum. Certè pari Te ſorte, Petre, naſcentem excepit ardens iubar, vt probant erumpentes affatim è cerebello Tuo flammæ, fatuique ignis globuli, ac reciprocantes torridæ mentis æſtus; quo fit vt ad ipſum canis ſeu Cani nomen, pes titubet, nutet caput, totaque horrore inſolito ſtupeat ac contremiſcat membrorum compago, dum Cani voces, ſeu (vt pro innatâ Tibi modeſtia loqueris,) *canina placita*, clamoreſque Canini, Echo referente, perſonant. Fingis enim arte nouâ ac colludente termino, ex Cano canem, trahiſque de ſacro ore toties Chriſti ſanguine rubenti, latratus caninos. Fallor; iuſta Tibi grauiſque tremendi ratio ad primum Cani ſeu canis aſpectum, cuius molari dente toties diſcerptus, nouo adhuc funeri deſtinaris.

Reparato enim in propriam perniciem certamine, triplici armatus telo impetis Melchiorem. Primum quidem euanidum & inutile, quia iam in fruſta conſciſſum: fuſiſſimè ſi quidem purgata fuit, ſummâ Tui ludificatione §. 41. calumnia, qua vellicatum à Cano D. Stephanum inſulsè querebaris. Cur ergò recoctam iam crambem, iteratò obtrudis? Nec fœlicior certè ſuſceptus pro Matrimonio alter conatus. Communior Doctorum ſententia, fateor, tenet ipſoſmet contrahentes eſſe miniſtros huius Sacramenti; aliâ tamen viâ, licet minùs tritâ, ſecurâ tamen ſibi incedendum putauit Author, arbitratus eam cæteris certiorem, aſſerenſque coniugium inter Chriſtianos non eſſe Sacramentum, niſi à verò Eccleſiæ Miniſtro ſeu Sacerdote conferatur, cuius verba inquit, ſunt forma Sacramentalis Connubij. Ex quo concludit, poſt Scotum, Matrimonia quæ ſolis nutibus contrahuntur, non eſſe Sacramenta. Duces huius ſententiæ habet Guillelmum Pariſienſem, item Patres Concilij Colonienſis. *L. de Sacr. tr. de Matr c. 9. q. 1.*

Ratio eius præcipua hoc argumento declaratur. Sacra-

mentum Matrimonii non eſt tantùm ſignum rei ſacræ, ſed etiam opus publicum Religionis, vt & cætera Sacramentâ nouæ legis; ſicut omnes fatentur: At opus publicum Religionis debet exerceri à Miniſtris Eccleſiæ; qui à Chriſto ex officio ſuo, ad hoc ſunt deputati: Ergò Matrimonium vt ſit Sacramentum debet conferri à Miniſtro Eccleſiæ, ſeu à Sacerdote. Confirmat authoritate multorum Pontificum ac Conciliorum; & hinc infert clandeſtina Matrimonia, ſeu quæ non fiebant in facie Eccleſiæ, à Miniſtro ſacro ante Concilium Tridentinum, fuiſſe quidem coniugia vera & firma, quia erant contractus ciuiles: rata, quia inter Chriſtianos: non tamen Sacramenta, quia non miniſtrata à Sacerdote; nec etiam ſoliti erant coniuges ſic clandeſtinè contrahentes, intendere formaliter, nec virtualiter, facere quod facit, Eccleſia, ſine qua intentione non perficitur Sacramentum; & hoc ſenſu ſequacem habet Combefiſium. Ex quibus barditas Tua & inſulſa conſecutio clareſcit, quâ infers ex Cani Doctrina ſequi, clandeſtina Matrimonia in locis, vbi Concilium Tridentinum non eſt promulgatum eſſe inualida; imò validiſſima oſtendit Canus ac rata, ſed tantum negat eſſe Sacramenta defectu ſacri Miniſtri. Pro eâdem ſententiâ, præter præfatos, citat Societatis Scriptor Coninckus-a Eſtium b Syluium. c Si itaque in hoc, à tramite communiori aliquantulum declinauit Canus, multos & graues habet excurſus ſui Duces & Aſſeclas.

a diſp. 24. de matr. d. 3.
b in 4. d. 26. §. x. 11.
c in ſup d. Th. q. 42. a. 2. q. 1.

Recedunt & in eadem materiâ à trito itinere, Sanches, a & Ægidius Coninckus, b quos refert Martinonus c eiuſdem cum illis Societatis Author. Docent enim nullum omnino eſſe Matrimonium, etiam in ratione contractus ciuilis inter Chriſtianos, niſi ſimul ſit Sacramentum; cùm tamen cæteri communiter apud Vaſquem teneant, poſſe aliquando contrahere Chriſtianos ciuiliter Matrimonium, licet non ſacramentaliter; ita vt ratio Sacramenti poſſit ſeparari à contractu ciuili, & à vero, valido, ac rato Coniugio. Si ergo Petre, *licenter de more*, in omnes debacchari Tibi ſit indultum, ſine dubio carpes iſtos ſicut & Canum, qui licet in diuerſas ab eo partes abeant, ſingulari tamen & à communiore ſententiâ, diſcrepante viâ, ſicut ille, incedũt. Aut certè fatearis neceſſe eſt, vertiginoſe Theologaſter, nõ omne quod ſingulare eſt, propterea nota inurẽdũ.

a l. 2. de mat. diſp. x, n. 6.
b diſp 24. d. 2. conc. 4.
c de matr. diſp. 69. ſect. 6.

Excute

Excute itaque pharetram tuam: vltimum intorque telum; & à terrenis ad cæleſtia deuolans plumeum caput, vbique infœlix, poſt ventilatum Matrimonium, concutiat & Viſionem beatam. Eja ergò, macte animo! effrænis licentiæ reus inſimulat Canum quod dixerit Chriſtum tempore Paſſionis caruiſſe gaudio beatifico. Triplicem aſſert ille opinionem circa triſtitiam Saluatoris. Prima aſſerit in parte ſuperiori cumulatam viguiſſe lætitiam, ablegatâ in partem inferiorem omni triſtitiâ. Addit tanquam valde probabile, etiam in parte ſuperiori, ſeu in voluntate intellectuali animæ Chriſti, ſimul & ſemel ſummam triſtitiam ſummumque gaudium fœderato nexu coiuiſſe. Subdit denique; Verba eius exſcribo. *Olim iuuenis coram celebri Theologorum concione diximus, quòd ſicut per totam vitam Dominus gloriam animæ quaſi premebat, ne in corpus effflueret; ſic ſaltem in Cruce retinuit gaudium, quod ſuaptè naturâ ex clarâ Dei notitiâ prodiret. Gaudium, fateor, ex Deo viſo in voluntate neceſſariò naſci, non ſecùs atque ex ſole lumen, ex igne calorem. Sed retraxit aliquando ſol radios ſuos; & ne calefaceret, comprehenſus eſt etiam ignis; quare nihil mirum cuipiam videri debet, ſi in hominum redemptione, per hominis vnius dolores explendâ, voluptas omnis reprimeretur, quam aliàs ex viſione Dei proficiſci natura ratio demonſtrat.* Quid contra hæc ſubmurmuras & elatras canino clamore? Loco citato.

Eodem inquis, iure, fingi poſſet Chriſtus eo tempore caruiſſe Viſione beata. Quis finget? Cui hoc comminiſcendi ius competet? Poteſt quidem fingi à Te, qui figmentis inniteris & innutriris. Quare fraudulento ſilentio ſupprimis reſponſionem Cani, impudens os Tuum obturantis? Audi illum. *Nec obſtat quòd beatitudinem Benedictus huius nominis XII. definiuit in Viſione & Fruitione conſiſtere. Chriſtus autem beatus fuit in via: quoniam illud Pontifex tradit de beatitudine conſummatâ. Chriſtus autem licet habuerit eſſentiam beatitudinis, non autem accidentia, quæ inde etiam per ſe conſequuntur. Decuit enim eum per patientiam conſummari; quamquam & fruitio ſine gaudio intelligi poteſt; fruitur enim arboris ſuæ fructibus tunc etiam homo, cum per morbum nullam voluptatem capit ex eis. Ita Chriſtus non ſolum videbat, ſed etiam fruebatur; quamuis derelictus à Deo, omnique penitus ſolatio deſtitutus, non*

T

gaudebat. Quamobrem vt cæteri Martyres, gaudium ſibi futurum ante oculos poſuit, vt Crucem ſuſtineret confuſione contemptâ; ad Hebræos c. 12. Vbi miris omninò modis, & charitatem ſuam in nos commendauit, & exemplum. Certè ſiue primo, ſiue ſecundo, ſeu tertio modo quæſtionem ſoluas, miraculum facis: ſed eſt hoc poſtremum eò plauſibilius, quò maiores in nobis igniculos excitat, tùm pœnitentiæ, tùm amoris, tùm gratitudinis: Vtinam concretum vetere gelu cor Tuum, latuate Senex, his igniculis incaleſceret; tùm pœnitentiæ, exundante oculis fletu ob nefarium libellum; tùm amoris erga Cyriacos, quos gratis & immeritò laniaſti: tùm gratitudinis erga eoſdem, qui dum falſa ſibi inuſta ſimpliciter expurgant, nihil Tibi, nulliue reponunt, vt abundè poterant, rependunt tantùm pro maledictis benedictiones, *Maledicimur & benedicimus; perſecutionem patimur, & obſecramus.*

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Multa garrit contra Dom. Sotum circa Purgatorium, Epiſcopatum & Chori ſequelam.

§. 63. *Dominicus Soto, ex ſuo cerebro conſtituit terminum commorationis animarum in Purgatorio; negans vllam ibi hærere vltra decennium. Et nonnulla habet alia, (ait Antonius Senenſis in Bibliotheca Dominicana,) quæ iure optimo poſſent & deberent limari, vel à libro tolli. Idem negauit Epiſcopatum eſſe Ordinem aut Sacramentum. Ita habet in 4. diſt. 24. q. 1. art. 2. quod Michael Molina l. 1. de contin. c. 15. cenſet periculoſum. Imò Petrus Soto Lectione 4. de ſacram. Ordinis; affirmat contrarium certa Fide eſſe tenendum. Iuxta eumdem Dominicum Soto l. 10. de Iuſt. q. 5. art. 3. Chorus videtur eſſe de ſubſtantiâ Religioſi Inſtituti, cùm iuxta eum dicenda non ſit Religio, quæ non canit in Choro.*

RESPONSIO.

Ecquid oblitus es intorti à Domino Anathematis in eos qui ſeminant diſcordias inter Fratres? Quid collidere tentas Dominicum Soto cum Antonio Senenſi ſo-

dali ſuo? Verùm in hâc parte indulgentes Tibi, annuimus votis, vt faciem confundamus; & contra iura, Fratris teſtimonium excipietur in Fratrem. Quid ergò de Soto ſit præſumendum, colligamus tùm ex Antonij Senenſis iudicio, qui in Bibliothecâ Dominicanâ, varia pietatis & doctrinæ eius texit encomia, indicans aliquid poliendum magis in ſtylo quam in doctrinâ: tùm ex Sixto Senenſi in Bibliothecâ Sanctâ, qui in litera D. Indicis alphabetici, ſic ait. *Dominicus Soto Hiſpanus, patria Segobienſis, Ordinis Prædicatorum, Cæſareæ Majeſtatis à ſacris Concionibus (audi Petre) ſummus Theologus, Philoſophus & Orator.* Hunc ergò tot Elogiis cumulatum, ex cerebro ſuo locutum aſſerit ſcurra ſine cerebello? Iam videamus locum de decennio tantum in Purgatorij pœnâ peragendo, quem exagitas. At nullum adducis. Poſſem ergò æquâ lege fidem Tuam totiès iuratam exſufflare, donec verba Authoris aut libri ſedem, legentium oculis ſubieceris. Verùm vt illibata & ex omni parte inculpanda Soti doctrina innoteſcat, aperiam locum quem corraſæ hinc inde ſchedulæ, Tibi qui aliena tantum effutis, indicare nequiuerunt. Ille enim obiicit ſibi, cur tanta poſſit eſſe acerbitas pœnarum in Purgatorio, cùm leuiculis ſatisfactionibus purgentur in hâc vitâ defectus veniales; imò & mortalia tam multa pœnis non multum duris expientur, vt Ieiuniis, Eleemoſinis, Orationibus &c. Reſpondet 1. Quod pœna hîc aſſumpta eſt meritoria, & ideò majoris virtutis, quam illa Purgatorij, quæ eſt inflicta & non aſſumpta; afflictiua non meritoria. *Hæc ſolutio*, inquit, *legitima, ſed non eneruat totam vim argumenti. Reſponſio ergò fortè eſt* (dubitanter loquitur, non obfirmatè, piamque exhibet non euidentem ſolutionem) *quòd clementia Dei non fert multo tempore amicos ſuos à ſuo conſpectu cohibere, & ad eos expurgandos inſtituere, quæ breui tempore poſſent animas illic perpurgare; nam cum illa ſupplicia ſint ſupernaturalia, quæ ſubiectum corrumpere non poſſunt, potuit quamcumque temporis longitudinem, accumulatis pœnis ſupplere. Quapropter crediderim nunquam aliquem in Purgatorio viginti annis extitiſſe; Imò, vt mea fert opinio, nec decem. Nam cùm nemo illic ſit niſi Dei amicus, contritio eius, & poſt Chriſtum paſſum ſacramenta & ſuffragia, & bona quæ egit opera, ad cumulum ei ſatisfactionis accedunt. In ſummâ, non eſt credibile vt quos*

In 4. d. 19. q. 3. a. 3.

pœnarum accumulatione expedire Deus breuiùs inde potuit; tempor s prolixitate detineat.

Quantum temporis detineantur in Purgatorio Iuſtorum animæ nulla poteſt demonſtratione euinci: ex pietate autem Dei, precibus Eccleſiæ, Sacrificiorum vſu, quibus eis Paſſio Chriſti applicatur, eorumque pœnalitatibus, arguit Canus opinatiuè ac probabiliter, pauciſſimo ibi tempore detineri. Cum enim ſint amici Dei, & amicitiæ leges, amicorum præſentiam iniungant, pium eſt *ſentire de Domino in bonitate.* Vnde ſoluto pro ipſis pretio, debiti temporis longitudinem, ſaltem accumulatione pœnarum ſupplet & redimit, vt citiùs amicos ſuos ad ſe euocet Deus. Quid abſoni ex hâc piâ meditatione expiſcaris? Iuſtitiæ vindicanti ſatisfit, & amori diuino. Illi perſoluitur debitum, iſti morarum decurtatione, præcox exhibetur dilectionis fomentum. E cælis ad terram deuolauit Filius Dei ex amore, quo *in terris viſus eſt & cum hominibus conuerſatus*; regreſſuſque ad Patrem eâdem amoris machinâ homines ad ſe quantociùs rapit, quia *deliciæ eius, eſſe cum filiis hominum* Vtinam Petre, hâc lege amoris Tecum agatur, nec exceptione illâ tremendâ adigaris ad expianda debito tempore ſcandala quæ Libellus ille famoſus & diabolicus ingenerauit. Vti cùm aliqui dicuntur ex Reuelatione (neſcio an certâ) punendi illo igne purgante, vſque ad finem mundi; exceptio eſt à lege amoris; exceptio autem firmat regulam in contratium, nec inutiliter fiunt preces poſt decennium & vltrà pro quouis defuncto, dum neſcitur an exemptus ſit à gratiâ communi, quâ abbreuiatur pœnarum diuturnitas.

De Epiſcopatu major videtur difficultas inducta à Cano in 4. diſt. 24. non quidem q. 1. art. 2. vt Tu perperàm citas, ex quo luculenter conſtat Te non legiſſe niſi oculis alienis: ſed q. 2. art. 3. Quæſtio antiqua & acri Marte ventilata inter Canoniſtas & Theologos. Vtraque Opinio grauibus fulta Authoribus & argumentis comprobata, ac proinde neutra vllâ cenſurâ configitur. Nauarrus, in Manualic. 22. n. 18. dicit Canoniſtas exiſtimare dari nouem Ordines; adiiciunt enim ſeptem aliis Tonſuram & Epiſcopatum. Theologi autem ſeptem tantum admittunt, excludunt enim primam Tonſuram, quia non eſt gradus ſeu Ordo, ſed diſpoſitio ad Ordines. Epiſcopatum verò

quia eſt ſolùm dignitas quædã & extenſio Sacerdotij: non eſt autem Sacramentum Sacerdotij ſeu Ordinis. Ita Magiſter. *a* D. Thomas. *b* Richardus ibidem. *c* Albertus ibi. *d* Bonauentura. *e* Scotus. *f* Capreolus. *g* Abulenſis. *h* Turrecremata. *i* Ferrarienſis *k* Ledeſma. *l* Aſor. *m* qui plures citat ex Summiſtis. Et cum ibi retuliſſet dictum Hugonis apud Archidiaconum, capite *Diaconos* 93. diſt. Epiſcopatum Ordinem eſſe, nullus niſi cæcus & inordinatus dubitat, cùm ſpecialis ordinatio habeatur in Epiſcopo poſt Sacerdotium; ſubdit Aſor; *Certe miror cur ſic contra Theologos linguam laxauerit. Cæcus ergò ipſius iudicio S. Thomas, cæcus S. Bonauentura, cæcus Scotus, Richardus, Albertus, qui ſentiunt Epiſcopatum non eſſe Ordinem &c.*

Hos & tot præclaros duces ſequitur Sotus, occurritque argumentis ex Concilio Tridentino deſumptis, vbi dicuntur Epiſcopi præcipuè pertinere ad Ordinem Hierarchicum; & ex Patribus idem indicantibus. Docet enim Ordinem dupliciter ſumi. Primò pro Sacramento Ordinis, prout ordinatur ad ſacrificium Euchariſticum & ad conficiendum Corpus Chriſti verum; circa quod Epiſcopatus nihil habet ſupra Sacerdotium. Secundò ſumitur Ordo pro poteſtate & officio dignitatis ad aliquas actiones Hierarchicas, quæ reſpiciunt Corpus Chriſti myſticum ſeu populum fidelem. Vnde Vaſques qui inuectus fuerat in hanc doctrinam, tanquam notâ inurendam; re melius penſatâ, & conuictus argumentis oppoſitis, tandem elegit illam ſolutionem, quòd Epiſcopatus non eſt ſacramentum, neque addit ſupra ſeptem Ordines, quia connumeratur Sacerdotio; neque ſi conferatur ſine Sacerdotio, validus eſt, quia non eſt Ordo diſtinctus in re à Sacerdotio, licèt ſit poteſtas major ſeu extenſio Sacerdotij & characteris.

Quantùm ad 3. quod obtrudis ex mente Soti, Chorum videri eſſe de ſubſtantia religioſi Inſtituti, cùm, inquis, iuxta eum non ſit dicenda Religio, quæ non canit in Choro: duplici Te mendacio inuoluis. Non enim ille dixit Chorum eſſe de ſubſtantiâ religioſi Inſtituti, ſeu de eius eſſentiâ, quia ſic non poſſet inſtituti Religio exempta à Choro; in eſſentiâ enim rei non diſpenſatur; ipſe autem fatetur poſſe hoc fieri, dum ait, *ſi admittatur talis Religio* 2. imponis dicens, iuxta eum non poſſe dici Religionem quæ non canit in Choro, imò appellat Religionem non

a In 4. d. 24.
b *In 4. d. 24. q. 3. a. 2. q. 2.*
c. *a. 5. q. 2.*
d *a. 39.*
e *In 2. p. d. 24. a. 2 q. 2. & 3.*
f. q 1 §. *de 2. a*
g *D. 25. q. 1. conc. 2*
h *In c. 16. Math. q. 74.*
i *D. 21. c 1 §. ad 3.*
k *4. contra gent. c. 76 §. ad huius euid.*
l. *In. 4. 2. p. q. 36.*
m *2. p. inſtit. l. 3. c. 27.*
Tom 3. in 3. p. diſp. 240. c. 3.
C. 5. n. 5.
Mendacium 1.

tamen æque ex omni parte perfectam, eò quòd priuata ſit maximo Religionis ſplendore, nempe ſequelâ Chori, vbi laudes Dei à pluribus effuſo corde & vno ore concinuntur.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Carpit P. Sotum circa Confeſſionem per literas.

§. 64. *PEtrus Soto lect. 11. de Confeſſ. cenſuit, Sacramentum Pœnitentiæ in neceſſitate, conſummari per litteras: quæ ſententia fuit olim inter Cyriacos valde recepta. Ita Paludanus, Antoninus, Syluester, Ioannes de Friburgo, Fumus, Tabienna, Raynerius; & alij apud Fagundem in 2. Eccleſ. præceptum l. 2. 10.*

RESPONSIO.

COmmunem multis hâc de re ſententiam, antequam Sedes Apoſtolica oppoſitum decerneret, quid Cyriacis malignè exprobras? Fluctuant hominum mentes proprio relictæ iudicio, firmantque ſuprema Pontificum oracula animos ingenitâ ſorte nutantes. Occuparat multorum iudicia opinio illa de validitate Confeſſionis per litteras, dum neceſſitas vrgeret; cui præcidit viam, ne vltrà ſerperet, Clemens VIII. ſuo decreto. Illi humillimâ ſubiectione acquieuit Cyriacorum Schola, ablegauitque procùl opinationem, quam ante & poſt Clementem tenuere alij, quorum nomina premo ex charitate.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Bannem & Vincentium impetiturus, poëſi vulgari & Latinâ inſanit.

§. 65. *DOminicus Bannes, negat reuiuiſcentiam meritorum, valdè commodè ad iniiciendam lapſis deſperationem. Meritum eſſentiale ſoli Charitati tribuit. De Correctione fra-*

terni poſt Sedis Apoſtolicæ conſtitutionem, dixit qua ſpongiâ indigeant. Libertatem collocat in obiectiuâ Indifferentiâ. Videſis eam 1. p. q. 19. art. 10. dub. 1. in 3. documento ad Nouitios: quâ doctrinâ nulla potuit Caluiniſtis accidere optatior, ad euertendam libertatem expeditam. Cenſet Calumniatorem poſſe praueniri ab eo qui inde ſibi timet. Qua in parte, vrgente Fratre Baptiſta de Marinis contigit Franciſco Amico, quod cani qui Sacerdotem Catholicum propè lacerauerat & impune tulerat. Cùm autem allatraſſet Poppam Caluinianum, affixus patibulo pœnas dedit ſolius latratus, abſque damno dato, vnde illud vernaculi Poëtæ de cane à Fratre de Marinis (quippe πολυγλώττο) ſatis percipiendum abſque Lexico.

Voyés Meſſieurs mon piteux eſtre ;
    Pour auoir abbayé l'Huguenot.
Ie mordis nagueres vn Preſtre,
    Et perſonne ne me dit mot.

Hos non incommodè ſic expreſſeris latinè, cane per Proſopopeiam dicente.

Aſpicite heu! quò me ſententia Iudicis egit,
    Quia allatraui neſcius Sectarium.
Ante, Sacerdotem populo inſpectante momordi,
    Nemo vel vna vocula increpuit ferum.

Dixerat Amicus, aliquos (& in his Bannem) cenſuiſſe poſſe praueniri Calumniatorem, ſe tamen nequaquam id aſſerere & propterea agentibus Cyriacis damnatus eſt. Bannes verò qui explicatè eam prauentionem eſſe licitam docuit, nihil moleſtiæ eſt perpeſſus. Idem Bannes, Prædefinitiones mouentes ac Prædeterminationes diuinas, voluntati creatæ ineluctabiles, quoties in actum prodit, pronunciauit eſſe ex Fide credendas; vnde dicentes, ſe non poſſe intelligere quomodo motiones illæ adamantinæ, cum expeditione libertatis cohæreant, eliſit illo ex ſuo tripode oraculo; Si non intelligunt credant. *Ludouici autem Molinæ opus contra huiuſmodi pluſquam aheneas voluntatis creatæ deuinctiones, habuit pro peſtilente & primus ad Macellum detulit, indito Partiariis eodem zelo amaro. Fructum vero delationis adeò luculentum retulit, quod nec apex quidem Molinæ, violatus eſt, quantumuis annitente Banne, & poſt eum Cyriacis Vniuerſis, & Ianſeniſtis, qui ante damnationem ad vexillum Prædeterminationis conuolarunt, cum omnibus qui Ieſuitis ſtomachum facere voluerunt. Talibus enim Prætermination Cyriaca, eſt refugium*

miſerorum, aiebat grauis doctor Auguſtinianus, cum audiuit ſuum Baſilium Poncium Legionenſem, ex quo cauſa cecidit, & Facundes reuocationem decreti in librum ſuum ab Inquiſitione Hiſpanica, agente Baſilio lati, obtinuit; iniuiſſe fœdus cum Prædeterminationibus Cyriacis, illudque Typis vulgaſſe. Et idem poterat dicere de Elianis & Elizeanis; qui deiecti opinatione illâ ſuâ quod eſſent primi Religioſorum longè ante Christum & Apoſtolos; & quòd Beata Virgo non vouiſſet prima virginitatem, ſed Elias; damnato ab Hiſpanâ Inquiſitione, opere Franciſci Sanctamariani de hiſtoriâ propheticâ, & damnatione Romæ confirmatâ; cum aliud non ſupereſſet perfugium, ad azylum Prædeterminationis ineluctabilis ſe receperunt; odio Ioannis de Pineda Ieſuitæ, qui primus hiſtoriam propheticam damnauerat, vt Cenſor particularis a Sancto Officio Hiſpanico delectus.

Ioannes Vincentius relectione de Gratia Chriſti à medio Prooemij vſque ad finem, *adeò inebriatus eſt amore Gratiæ nos ſanctificantis, vt dixerit eſſe qualitatem creatam, ſed continentem participationem diuini eſſe, ſecundum eam rationem, quà eſt ipſum eſſe per eſſentiam, imparticipatum, & independens, omnem præhabens eſſendi plenitudinem; vnde mirum non eſſe quod faciat hominem Diuinæ conſortem naturæ. Quam malè fundata ſit hac Hyperbole, vix eſt opus exponere. Legeſis Suarem l. 12. de Grat. c. 1. à n. 24.*

RESPONSIO.

QVid hoc loco magis in Te demirer, ignorantiam an impudentiam, inſurgens in vtramque animus, recuſat dicere. Vtrique tamen ſat facilè venia conceditur; dum retracto à ſolidis ac ſeriis pede, tanquam ab ignoto ſolo: Hiſtrionis perſonam acturus, Theatrum aſcendis; nugamenta prodis, non argumenta, Ludioniſque magis quam Theologi ſcenam inſtauras. Laruatus vtique ſemper incedis, & ſub mendaci nomine, pugnæ campum aperis ſolemni mendacio. Quâ enim fronte aſſeris Bannem negaſſe reuiuiſcentiam meritorum, quam ille paſſim innumeriſque argumentis fulcit & comprobat? Sufficit ex tot locis vel vnum producere, vt æterno ſilentio impudens os tuum oc-

Calumnia.

cludatur : ſic enim ille. *Quicumque reſurgit à peccato qui ante habuit gratiam & merita, ſemper recipit nouum gradum Gratia ratione meritorum qua reuiuiſcunt. Ratio huius eſt: Quia Contritio præſens, non ſolum eſt diſpoſitio ad nouam Gratiam, ſed etiam ad viuificationem meritorum : Ergò aliquis gradus Gratia de nouo datur, per quem præcedentia merita viuificentur.* Ergonè Bannes negat reuiuiſcentiam meritorum, quam adeò luculenter adſtruit & inculcat : Vbi Tibi frons cum hæc ſcriberes, Petre ? vbi Mens, vbi conſcientia, dum dixiſti valdè commodam ad iniiciendam lapſis deſperationem Banneſii Doctrinam, qui intercepta temporaneo interitu merita, tam fœliciter reuocat ad vitam ? Fortè deſperatio, ſeu ſpes nulla aliquid veri in eum intorquendi quod notam mereatur, ad tam vtile commentum Te adegit. 2.2.q.24.a.6.conc.1.

Dicam Veriùs : ſalutis propriæ immemor, & qui nuſquam in corde Tuo arſiſti igne charitatis, velles hanc cæleſtem flammam extinguere in proximi viſceribus, iratus Banneſio, quod meritum eſſentiale ſoli charitati adſcribat, quæ Virtutum omnium regina eſt, fons omnium Meritorum, vinculum Perfectionis, hominem Deo, amico glutine conſocians. *Sine charitate nihil ſum*, iuxta Paulum ; *nihil mihi prodeſt etiam ſi tradidero corpus meum, ita vt ardeam.* Si ſine chatitate nihil ſum, merebor aliquid ſine charitate ? niſi fortè, qui non eſt, poſſit mereri. Si ſine illa nihil mihi prodeſt, quomodo ſine illâ, ita proderunt mihi opera mea, vt illis beatitudo æterna in mercedem tribuatur? Aliæ virtutes (intelligo Morales) non reſpiciunt Deum, vt eſt in ſe, ſed vt elucet in effectibus ; vnde nec Deus vt in ſe eſt, & velut obiectum beatitudinis, cedit eis immediatè in præmium ; ſicut obtingit charitati, quæ luminis gloriæ in hoc æmula, Deum ſecundùm interiora Diuinitatis attingens, habet & ſola ſui conatus mercedem.

At, inquis, de Correctione fraternâ poſt Sedis Apoſtolicæ conſtitutionem, dixit Author, quæ ſpongiâ indigent. Quæ illa ? Ex nimiâ charitate tacuiſti, qui charitatem ſpongiâ velles eluere. Hæc habet Bannes. *Correctio fraterna non ſolum eſt vtilis peccatoribus vt conuertantur ; ſed etiam pro loco & tempore eſt in præcepto obligante ſub pœna peccati mortalis.* Times forſan ; Petre, Correctionem fraternam? *Calumnia.* 2.2.q.3.a.2.dub.2.concl.1.

Cur ſic, cùm non timeas nec audias Paternam? Quid denique Bannem exagitas, eò quòd collocet in Indifferentiâ obiectiuâ Libertatem, quaſi hæc ſententia Libertati expeditæ officiat? Deliras certè, debereſque qui es nouitiolus in re Theologicâ, ex documento à Banne directo ad Nouitios, didiciſſe; illum, radicalem aſſignaſſe Indifferentiam, ex quâ naturali conſecutione ſequitur Indifferentia iudicii in intellectu, & Indifferentia formalis ſeu potentia ad vtrumque in voluntate, vbi conſummatur libertas. Sed quia ad ſeria non vales aſſurgere, exigis vt comicâ proluſione nugantem attendamus.

Ludis enim perbellè, dum inopinato, gratuito, ac ridiculo aſſultu R. P. Marinum impetis, quaſi *Amici* Doctrinæ, quâ Calumniatorem præueniri poſſe docuerat ab eo qui inde ſibi timet, damnationem fuerit proſecutus; ſurdus interim & cæcus ad æqualem Bannis Sodalis ſui lapſum. Verùm propriâ inanitate corruit hæc querela: cauſa enim *Amici* per multum tempus in Belgio ventilata, & ab Academiâ Louanienſi notata, ſub an. 1650. vbi nec Cyriaci, nec ipſorum Generalis Præpoſitus R. P. de Marinis interfuit aut quicquam egit, aſſumptuſque iam ad regimen Ordinis, nullas in ſacro Indice agebat partes, cum Louanienſem Cenſuram probauit Roma. Nec etiam, vt opinor, hanc actionem inſtauraſti alio intuitu, quàm vt aditum Tibi mendacio faceres ad ludicrum de Cane patibulo affigendo commentum, cui *Amicum* præfatum horrendâ comparatione æquaſti, vt virum Religioſum hiſtrionico acroamate fœdiùs traduceres. Verum æquè imperitus ac rudis Poëſeos, vti & Theologiæ, canem proſopopæo latratu non malè imitaris, dum nec mediocris Theologus, nec tolerabilis Poëta, ſed ridiculus Poëtaſter, ridenda intexuiſti carmina Theologicis exercitationibus; vt cui malè feriato, cum Theologis non licet ſapere, furere concedatur cum Poëtis. Qua in parte, vrgente infœlici genio Tuo, contigit Tibi quod Fauno Inalpino, cui triplex erat inſertus capiti apex, aures aſininæ, canina verò facies: qui dum omnes allatraret, ſæuiturus in exteros nec domeſticis parcens, affixus tandem patibulo ac vltricibus flammis mox amburendus, pœnas Tibi debitas & paratas, in ſe dedicauit. Vnde illud non vernaculi, ſed Latini Poëtæ, de Fauno Canino & triſulco Petro à Valle-clauſâ (quippe

Mendacium.

πολυμόρφῳ) ſat noto, ſine Lexico, ac Interprete percipiendum.

Tempore quo brutis conceſſa loquela, Venenum
Spumanti fudit dente Poëta ſuum.
Latrauit Cynicus; binas cùm paruus Aſelli
Oblongas aures pileus occuluit.
Sic valle occluſâ rabioſos Petrus acores
Dum vomit, hos auris mox Aſinina capit.

Certè non conuenit perſonæ quam ſuſtines, hoc puerile figmentum, præſopopæ Senex; non recipit hanc laruam hiſtoricæ rei puritas, dignitas materiæ, Lectorumque grauitas Chriſtiana. Nec proſopopæis tamen inſtruendis natus es, ad quas, à Theologi profeſſione, quaſi Citharædus ad tibias deuolaſti; homo nihili, in quo ineſt tantum iners & ſupina mentiendi audacia; furens in omne ſacrum debacchandi libido. Hinc illo, velut ex Tuo tripode, oraculo eliſiſti omnes qui ad vexillum Prædeterminationis Cyriacæ, conuolarunt, quam vocaſti *Refugium miſerorum.* Quinam illi? Cyriaci omnes; qui cum ſuo Banneſio Prædefinitiones mouentes ac Prædeterminationes voluntati creatæ ineluctabiles, & hoc nomine adamantinas amplectuntur, quas ille pronunciauit eſſe ex fide credendas? Imponis Petre, & cum reuerentiâ Tuâ dixerim, mentiris. Nunquam enim Bannes Prædeterminationes diuinas dixit ineluctabiles voluntati creatæ, quibus reſiſti poſſe ipſemet demonſtrat. Mentiris iterùm, ipſum pronunciaſſe, eſſe ex Fide credendas; quas recipit tanquam Theologicum dogma, non tanquam articulum Fidei, donec Eccleſia declararit. At quis vltrà conuolat ad hoc *Refugium miſerorum*, ad quod tu debueras deuolare, dum Te miſerrimæ ſortis mancipium, diuturni Vallis-clauſæ compedes detinebant? Aperis Tibi hic amplum debacchandi in Auguſtinianos & Carmelitas, præſertim Excalceatos, campum, poſt ſubſannatos Dominicanos, vt rabies Tua in omne ſacrum promiſcuè effundatur. Exhibes enim confugientem ad hunc miſeriæ azylum, hinc Baſilium Poncium, inito certamine à Facunde deuictum: illinc Carmelitas, (quos turgido faſtu Elianos indigitas & Eliſeanos,) & quos ſub pedibus victoris palpitantes cum ſuâ hiſtoriâ propheticâ, oſtentas; velut *deiectos opinatione illâ ſua, quod eſſent primi Religioſorum, longé ante Chriſtum & Apoſtolos: & quod Beata virgo non vo-*

Impoſtura.

uiſſet prima virginitatem ſed Elias. Hinc diſcat Lector non in ſolos Cyriacos, ſiue Dominicanos, ſed in omnes generatim Mendicantes (alibi enim Minoritas vellicauit) intortum Pſeudo-Petri enſem; cui diſplicet quodcumque Deum ſapit, putatque refugium miſerorum, ac miſeriæ ſedem, quicquid non ambitioſum eſt, non Aulicum, non ſæculare.

Verùm non ex occaſione, ſed ex intimo affectu confœderatos Cyriacis Auguſtinianos & Carmelitas, maximè Excalceatos, ſciunt omnes quos non latet quod publicum eſt; D. Thomam diſcipulum eſſe in omnibus, maximè circa Gratiam, D. Auguſtini; Thereſianam autem familiam D. Thomæ & Scholæ Thomiſticæ pleniſſimè addictam quis ignorat? Dabo nuperrimum & illuſtre huius veritatis ſpecimen. Exhibet illud Epiſtola dedicatoria Patrum Carmelitarum Excalceatorum Salmanticenſium præfixa 4. tom. qui eſt de peccatis; Qui D. Thomam ſic alloquuntur. *Eximius ſanè erga familiam noſtram Tui pectoris amor: quamità beneficiis in dies oneras; ita ardentioris dilectionis nexibus deuincis, vt vix aliam maiore charitatis impendio proſequi videaris. Illud præcipuè ad nos, quod Carmeli peramœnum campum, quaſi natiuum ſibi alueum, Tua ſapientiæ amnis videtur delegiſſe: eòque vberiùs cæleſtis Doctrinæ rore fœcundat, & humectat; quò ſine murmure & ſtrepitu, leniùs ſecretiuſque perfundit. Sed & reciprocus in Te, eamdemque cæleſtem Tuam Doctrinam, Carmelitarum affectus; minimè quidem perfunctorius; imò viſceribus infixus: vt potè omnibus nobis hæreditarius, congenitus ab vtero, ſuctus ab vberibus. Inclyta Mater & Magiſtra Seraphica, Thereſia ſanctiſſima, cum ſpiritu hunc præcipuè affectum viſa eſt indidiſſe; dum ad Lydium Tuæ Doctrinæ lapidem, aurum ſibi cælitùs infuſæ ſapientiæ ſemper ambiuit conſultiſſimè examinari; cuius lumine ductari amiciſſimè ſatagebat: illud ratum, ſanctumque amplectens quod Angelicæ Tuæ Scholæ & Familiæ alumnis firmum videretur & tutum. Hoc ipſa enutrita lacte, quidni Filiis propinaret, quod dulciter biberat, quo ſalubriter vixerat? Verè Mater, quia genuit in Chriſto: verè in integrum Mater, quia quos Deo peperit, lacte ſalutifero enutriri curauit. Ceruæ chariſſima, quæ venenatos & impuros præſentiens Doctrinæ fontes, vt Filiis præcaueret, ſalutarem & beneficum maternâ ſollicitudine indigitauit. Mater itaque in lacte, Tui nobis amo-*

rem indidit: Imò Doctrina Tua Angelica lac infudit. Quid ſi quam in lacte Matris ebibimus, medullitùs retinemus, ardentius proſequimur, & tutamur? &c. Hæc meditare, Petre & intimo perfuſus rubore, agnoſces ad Doctrinam Angelicam deuolaſſe ſacram RR. PP. Carmelitarum Familiam, non tanquam ad *Refugium miſerorum*; ſed velut ad cæleſtis Doctrinæ veritatiſque illibatæ perennem azylum. Tria hìc eaque impudoratiſſima effutiiſti mendacia. Primò aſſeris damnata opera Franciſci Sammariani, quæ tamen approbata fuere ab Inquiſitione, & approbatio habetur cap. 14. Operum eius. 2. commentitias affers cauſas delationis illius Operis. 3. impudenter aſſeris ob damnationem præfati Libri, ad azylum Prædeterminationum deuolaſſe Carmelitas; cum ea lis ſoluta fuerit an. 1636. Et iam an. 1628. apud Claudium Sonnium impreſſus fuerit Pariſiis Curſus Theologicus Complutenſium Excalceatorum Carmelitarum, promens encomia, & amplexus Doctrinam S. Thomæ, longè ante prælo Hiſpano excuſus. Imò an. 1623. Lodani in Italiâ edita fuerat Conſtitutio iniungens iiſdem ſequendum D. Thomam tàm in Philoſophicis quàm Theologicis. Et an. 1583. P. Ioannes à Ieſu Maria opere vulgato teſtatus eſt ſe & Religionem Thereſianam Doctrinæ S. Aquinatis, planè & ex corde alligari. Quid ergò garris *ad Refugium miſerorum* deuolaſſe? *Mendacium. 3.*

Exoſum denique Tibi Gratiæ decus & nomen profiteris, qui es infatuatus amore peccatricis naturæ, Petrumque Apoſtolorum principem ablegas, vt videaris ſequi Suarem, quem tamen inuitum trahis; & neſcio an legeris, cùm tam infideliter cites, librum 12. pro 7. adducens. Grammaticaliter certè Tecum meliùs agetur quàm Theologicè, qui in infimis puerilis Grammatices gurguſtiis, alicuius viculi Ludimagiſter, didiciſti garrire, non loqui; minùs ſcire aut ſapere. Dic amabo, quid innuit vox illa Petri, *Diuinæ conſortes naturæ? Nunquid eiuſdem ſortis cum diuinâ naturâ?* Hæc quia non intelligis furis. *2. Petr. 1.*

Poſtulas ergò, non Ioannem Vincentium, ſed principem Apoſtolorum, vanæ & luxuriantis Hyperboles, dum Gratiam vocat, diuinæ conſortium, ſeu ſocietatem naturæ. Verùm non intelligis quid ſit Hyperbole, de quâ ſequenti §. Quam ſic malè obſignas, dum vocas ebrietatem animi, ſiue infatuatum exceſſum, debita Gratiæ Encomia.

Paulus plenus gratiâ, pleno ore in laudes eius effunditur; *In laudem gloriæ Gratiæ ſuæ*; totum quod eſt & quod poteſt, totum quod operatur & quod cogitat, adſcribens Gratiæ: Petrus eam vocat conſortium diuinæ naturæ; quaſi Deo conſecret quos imbuit. Chriſtus ipſe ſi de cælis in terram prolapſus, ſi curuatus ad centrum terræ, & ad nihilum redactus; ſi oracula fundit; ſi patrat miracula; ſi Cruci affigitur; ſi emittit totum ſanguinem; ſi ſepulchro includitur & redit victor; quot fecit opera, tot aperuit ora, mouitque tot linguas ad celebranda Gratiæ ſuæ encomia; *In laudem gloriæ Gratiæ ſuæ, in qua gratificauit nos in dilecto Filio ſuo.* Ergò ſecundum Te, Chriſtus hyperbolicus? Ergò Paulus infatuatus amore Gratiæ? Certè hâc in parte, dicetur de Te, Pſeudo-Petre, quod de Petro Apoſtolo; longè tamen aliâ de cauſâ; cum Petrus à Valle-clauſâ hæc ſcribebat, *neſciebat quid diceret.*

Epheſ. 1.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Ricardii erga Deiparam laudes hyperbolicas dici ipſe totus Hyperbole.

§. 66. N*Icolaus Ricardius à corporis conformatione Therſitica (niſi mauis, ab ingenii præcellentia,)* Monſtrum *appellatus; tam monſtroſa fuit in Doctrina ſoliditatis, vt dixerit ac ſcripſerit, in formulâ Litaneutica idem eſſe dicere;* Chriſte audi nos, *atque dicere*, S. Maria audi nos. *Et loci illius Actorum,* Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis, *ſenſum eſſe voluit;* Viſum eſt Mariæ Deiparæ & nobis. *Item Beatiſſimam Virginem, vt aliquid monſtroſum diceret, vocauit* Deum creatum, Deum mediterraneum, Deum dimidiatum, quaſi quartam perſonam, quaſi Diuinam ab Incarnatâ Triadem, non ſecus habitam quam ſi diuina perſona eſſet. *Et vt huiuſmodi ſexcenta, prodigioſa & monſtroſa vix per Hyperbolas quantumcumque exaggeratas excuſabilia prætercam, ait, non modo omnia Deiparæ merita ſimul ſumpta, qualia in fine ſanctiſſimæ eius vitæ fuerunt, æquaſſe, aut etiam ſupergreſſa eſſe Sanctorum omnium, hominum ſimul & Angelorum ſimul ſumptorum merita, in vnum faſcem aceruata; (quod aliquis non ita pridem trepide dixerat;) ſed etiam ait operationem*

quamlibet Deiparæ, certo mortalis vitæ tempore, dignitate, ac conſequente in virtutibus actualibus merito ſuperaſſe omnes actus comprehenſorum omnium & Angelorum. Nec ibi ſtetit monſtroſa Auxeſis; ait inſuper, minimum quem libet & quamuis minutum actum ſupernaturalem amoris à Deiparâ ante mortem elicitum, æquaſſe, aut etiam exceſſiſſe, dignitate ac merito, omnium hominum ſimul ſumptorum vniuerſas actiones meritorias, congeſtas in vnum cumulum; quaſi quæ de quocumque Chriſti actu veriſſimè dicuntur, ob infinitum valorem à Verbi perſona refuſum; ſint extendenda ad quemcumque actum Deiparæ, cuius perſona huic Theologaſtro monſtroſo, eſt quaſi diuina, & dimidia ex parte increata. Apage, Apage.

RESPONSIO.

PORtentoſus monſtrorum domitor Hercules, clauâ ſuâ armatus accedit, quis non expaueſcat? Procul dubio *Monſtrum* inſequitur, ad vltimum triumphi ſui apparatum. Commenſurandus eſt locus locato, nec decet prægrandem animum minutulo includi hoſpitio. Corporis Nicolaj Richardij Cyriaci conformatio, communem excedebat menſuram, quia Animus corporis hoſpes, omni menſurâ communi longè major; nec *Monſtrum* vereor nuncupare, cùm in diuino eloquio, quæ pendulo & elato greſſu humana calcant, *Monſtri* nomen ſortiantur. *Beatus ille qui in vitâ ſuâ fecit monſtra & in morte ſuâ mirabilia operatus eſt*, inquit Scriptura. *Monſtrum* itaque Richardius, tùm præ grandiori corporis mole, Majeſtatem ſpirans inſolitam: tum ob præcellentiam ingenij, ferè omnes ſui ſæculi Scriptores & Concionatores, pernici impetu præteruolantis: denique ſoliditate doctrinæ, Doctis ac Sapientibus facilè obuiâ; ſed imperuiâ Stolidis ac Ignauis, qualis eſt Theologaſter laruatus, qui iniquo ingenioli ſui libramento metiens ſubtiliſſimos Richardianæ mentis excurſus, *Monſtrum* putat quodcumque magnum occurrit. *Paruo enim nihil paruum*; ſed vel minutula velut enormi inflata magnitudine, ſub eius conſpectum mirablili fallaciâ ſe ingerunt; vocatque hyperbolica, quæ ſunt elata, reptans in puluere gramnatico animulus, cum falſitate Hyperbolem, ſtolidâ ſupinitate confundens. Hyperbole enim

veritas eſt latiùs expanſa, non autem corrupta, vel extincta: vt cum Sol in nube latior apparet; ſuperlatio eſt & extenſio veritatis, non ad fallendum, ſed ad ſubiiciendum animis id quod vſitatâ moderatâque locutione non plenè caperetur: Sicut perſpicilia Holandica res latiores exhibent, non vt tales credantur, ſed vt quales reuerà ſunt, à mente intelligantur. Hoc modo etiam SS. Patres, imò & Scripturæ ſacræ, non rarò Hyperbolis vſæ ſunt, quæ tamen nec falſum, nec mendacium vnquam docuere. Vt Geneſis 13. Matthei 19. Aug. L. 16. de ciuitate Dei c. 21. Hyperbolem ergò dicere, laudum quas Deiparæ religioſo ſpiritu Richardius detulit, præcellentiam; veritatem non euertit ſed aperit, locatque in ſupremo gloriæ ſuggeſtu.

Eadem eſt omnium hominum natura, ſed non menſura eadem. Plebeia ingenia, tardique affectus, eidem cum animalibus menſuræ ſupponuntur, *Animalis homo non percipit ea quæ Dei ſunt*, nec quæ Matris eius, & ob eximiam celſitudinem amborum; *comparatus eſt homo iumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis.* Defæcatæ autem mentes, affectuſque generoſi, amuſſi Angelicâ menſurantur; eadem *menſura hominis quæ eſt Angeli*. Primi, paruitatis ſuæ vbique luculenta imprimunt veſtigiâ, nec præcelſarum rerum capiunt vel mediocria honeſtamenta; putantque vitioſos exceſſus, Auxeſes commentitias, fucata mendacia, & hyperbolica Figmenta, quæ ſunt ſolidiora earum ornamenta, fulgentioreſque micatus, qui ſublimioribus ingeniis, genuinam rei obiectæ maieſtatem explicant. Ex quo conſequitur, vt laus eadem quæ ſtolidis ac plebeis Auxeſis eſt ac Hyperbole ridenda; germanum ſit ſapientibus ac peritis, ſolidæ gloriæ encomium, inferiorque ſæpè meritis. elogiorum numeroſa ſeges. Media ſedet inter Creatorem & creaturas Virgo Deipara; His ſuperior, inferior illo, ambobus mirabiliter connexa, & ex intimo vtriuſque extremi contubernio, vim depromit mixtam, nomenque duplici hoc charactere inſculptum. Tota hominibus coniuncta; tota Deo immerſa; hinc nobis natura commiſcetur, illinc puritate Deo colludit: ex diuinorum contactu, diuina euadit, humana ex conſortio hominum, regnatque ſicut in Filio, ita & in Matre, inæquali tamen ſorte, mira idiomatum conſenſio.

1. Cor. 2.

Pſalm. 48.

Apoc. 21.

Infima

Infima ingenia frigidæque erga Deiparam mentes, humilem de ea notionem concipiunt, laudantque encomiis valdè temperatis, ne dicam popularibus; quia ad altiores eius præcellentias nequeunt aſſurgere, animi arcto limite cancellati. Talem ſe prodidit Petrus à Valle-clauſa, in quo, præter impudentiam, paruiſſima omnia mens, affectus, veneratio erga Sanctiſſimam Dei Matrem; hincque offenditur elogiis ſuperemiuentibus, quibus eam Richardius extollit, faſſus adhuc in tantâ encomiorum meſſe, tardum & imbellem ad tantum Opus, conatum ſuum. Quoniam teſte Epiphanio, *ſolo Deo excepto, cunctis ſuperior exiſtit, cui prædicandæ neque Hominum neque Angelorum lingua ſufficit* Miro nexu infibulat in texendis eius præconiis (ſi vera ſunt quæ ex ipſo aſſerit Pſeudo-Petrus, loca enim vnde hauſerit, non aſſignat) quæ dignitatem eius ſuper omnia creata eleuent, contineant tamen infra Creatorem. *Orat. 2. de Aſſumpt.*

Has, Petre, Auxeſes prudenti moderamine temperatas à Richardio, in laudes Beatiſſimæ Virginis effuſo, dum adducis; debueras, & temperamentum ipſius ſolidum ac religioſum non ſilere, ne fraus adeò luculenter conſtaret. Simile eſt illud, dum inſinuat idem eſſe dicere, *Chriſte audi nos*, ac S. *Maria audi nos*: ipſa enim preces noſtras offert Filio, Filius Patri; & dum ille à Patre refert gratiam, Matri committit tradendam nobis; & hâc mirabili circulatione, ita permiſcentur Filii dantis, & Matris referentis officia, vt ex ambobus vna conflетur Orandi formula & clauſura. Idemque innuunt hæ voces, *Chriſte audi nos* & *Maria audi nos*; in vnum & eumdem ſubuentionis affectum & effectum conſpirantes. Sicut etiam, inquit, poteſt quodammodo de Matre dici, quod de Chriſto eius Filio prædicauit Baſilius; *Omnia axiomata ſua largitur illi Spiritus ſanctus.* B. Virgini idem largitur Spiritus ſanctus, cuius veſtita eſt ſplendoribus. Sicut ergò dum Paulus loquitur, dicitur Chriſtus locutus; *An experimentum eius quæritis, qui in me loquitur Chriſtus*? Quidni quoque quod viſum eſt, & pronunciatum à Deiparâ, viſum dicatur & pronunciatum à Spiritu ſancto, qui cor eius incendebat, illuſtrabat mentem, linguamque per omnia regebat? Oſtendis & probas, Petre, tot nugamentis, Te nunquam conſcendiſſe ſuggeſtum ſacrum, nec Patres Eccleſiæ euoluiſſe, apud quos ſimiles ſacræ Auxeſes paſſim occurrunt, vt fa- *Hom. 28. de Pænitent.*

V

bulis ac Poëticis menſuris vacares.

Cæterùm miror ſtupendam in caducâ octogenarii ætate, agilitatem; vno ſaltu ſexcenta ſtadia, totque prodigia ac monſtroſa portenta tranſcendentem. Quæ illa? Beatæ Virginis non ſolum merita omnia in vnum faſcem aceruauata (videris vrticarum, veprium, ac ſpinarum in ſylua faſciculos colligere) ſed & quamlibet vitæ eius mortalis actionem, dignitate ac merito ſupergreſſam eſſe omnium Hominum ac Angelorum merita. Apage, apage, inquis, huius monſtroſi Theologaſtri Auxeſes ſtupendas & abhorrendas, ad extendenda cuiuſque operationis Deiparæ in immenſum merita confictas! Eia Petre, ſic inſanis? Sic ſæuis in Deiparæ ſtudioſos? Siccine Dei Matris cultus & affectus, quibus initio videbaris æſtuare, mox in corde tuo elanguerunt? Cur ſolitam non appoſuiſti Paragrapho huic clauſuram, *Videſis Suarem*? Sed quo percitus œſtro in ipſum debacchaberis, qui ſe primum huius opinionis, quam in Richardio carpis, aſſertorem indigitat? Videſis ergò Tumet ipſe Suarem, qui ſingula Richardii encomia in laudem Deiparæ, (quæ Tu velut horribiles Hyperbolas cum rugitu explodis), proprio ſigillo lubens obſignat. Sententiam ſuam firmat anthoritate Patrum, Ildephonſi, Andreæ Cretenſis, Damaſceni, Ephrem, Bonauenturæ, Hieronymi, Petri Damiani; ſubditque ſe grauiſſimos, ſapientiſſimos, ac in re Theologicâ verſatiſſimos Doctores in Academiâ Salmanticenſi conſuluiſſe, quibus omnibus pia ac probabilis hæc opinio viſa eſt. Vnde & amplexus eſt eam Saniurius nuperrimus eiuſdem Societatis ſcriptor. Tu verò, quaſi ſis ſapientiſſimus Hominum & Angelorum, hanc opinionem ad adſtruendam ſummam Deiparæ gloriam, ſuſceptam; velut Hyperbolicam, monſtroſam impiam, expungis & configis, hâc execrationis voce, *Apage, apage.*

3. p. d. 18. q. 37. a. 4. ſect. 4.

Verùm de Te ad Te redeo, Petre; Reſponde, ſi potes, huic argumento; Tuum debes ex fronte agnoſcere fœtum, qui habetur initio Diatribæ 3. Qui pius eſt erga B. Virginem, debet de ea ſentire & loqui quàm honorificentiſſimè poteſt, & quantum per Eccleſiam licet: Atqui Tu, Petre, non vis ita Te gerere; Es ergò parùm pius erga B. Virginem. Forma argumenti eſt legitima. (Verba Tua exſcribo & *ex ore tuo Te iudico nequam.*) Maior eſt per ſe euidens. Quis enim eum cenſuerit pium, ſiue beneuolum

& benè affectum erga aliquem, qui ſi poſſit de eo benè ſentire & loqui honorificè; idque abſque errore & culpâ vllâ præſtare poſſit, nolit tamen. Minor non eſt minus perſpicua: Nam cum ingens decus B. Mariæ ſit, ſuperare omnes Homines & Angelos Gratiæ donis, ſicut ſuperauit Matris Dei dignitate, idque ſingulari quâuis actione; nec Eccleſia reluctetur huic priuilegio, imò applaudat poſt tot Patres & Scriptores, qui in eamdem ſententiam coiuere: ſummæ erga Deiparam irreuerentiæ & impietatis conuictus teneris, dum hanc illi negas prærogatiuam, perſequeriſque infiunito animo pium eius aſſertorem Richardium, & in religioſas eiuſdem Hyperbolas procaciter oggannis; dum ipſemet ridiculâ Hyperbole auſpiceris, Hyperbolem cum falſitate confundens. Vide ergò quam pueriliter auſpicere, vt ſtultam Hyperbolarum tuarum de Therſiticâ monſtri configuratione, de ſexcentis Hyperbolis, de monſtroſis Auxeſibus, ſummam quo quomodo conficias. Nam Tua iſta ratio, vt quicquid veritatem vitioſo exceſſu, falſoque tranſcendit, Hyperbole habeatur; quam maxima erit Hyperbole, id eſt exaggeratiſſima & audaciſſima falſitas, fallaciaque corruptrix, non explanatrix veritatis, quales Germanę Hyperbolæ ſunt; & Hyperbolæ quas fingis, non niſi ab ineptiſſimâ tuâ Hyperbole oriuntur. Audi itaque ruſticane Ludimagiſter, non immeritò duplici igne ambuſte, tanquam qui impius es multipliciter erga Deiparam. Ruſtici qui omnia ſenſu metiuntur, nec vltra corporea euolant; oculo pendunt Aſtrorum magnitudinem, putantque Solis globum bipalmarem, quem tamen totâ tellure multo maiorem probat & comprobat rei aſtrologicæ peritus. Occurrat Philoſophus, & ſubſannabitur, ſi Solem terrâ latiorem depingat; ſicque Hyperbole phantaſtica reputabitur, veritas comprobata. *Lege & intellige.* *Impietas.*

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Inſimulat Grauinam vellicati Bellarmini.

Dominicus Grauina, aſſerit Robertum Bellarminum intolerabiliter erraſſe, cùm ſcripſit, aliquas Religiones la- §. 67.

xatæ diſciplinæ, eſſe vnum fontem lacrymarum. E contrario Grauina, contendit nullam Religionem eſſe laxatæ diſciplinæ. Sed de hoc infrà. Idem Grauina omnem congregationem humanam cui interſint delecti à Pontifice Adminiſtri, ait potiri infallibilitate: atque adeò iuxta hunc palponem, Rota Auditorum ſacri Palatij, Congregationes S. Inquiſitionis, Indicis, Abundantiæ, &c. omnes ſunt lapſûs incapaces, & nullo modo errare poſſunt; cùm ſint ſtillicidia fontalis ac plenæ poteſtatis, Petro & eius ſucceſſori conceſſæ, quæ eſt infallibilis. Selah. *Neque tamen tantus Aſſentator, ad purpureum decus euaſit.*

RESPONSIO.

SCiunt omnes rei Philoſophicæ periti, qui contraria contrariis elucere docent; malum omne quia priuatio eſt, alicui bono veluti ſubiecto famulanti inſidere, nec reperiri adeò abſolutum mendacium, quin aliquâ ſuppoſitâ & ſecretâ veritate fulciatur. Tranſuolat tamen hos naturæ limites; omnes Philoſophiæ leges, imò & quæuis fidei humanæ argumenta, audax Pſeudo-Petrus, puram mendaciorum ſegetem prodigâ manu coaceruans vt effundat. Grauinam duplici machinæ impetendum exponit; & ſtatim quaſi pœnitens temerarii auſûs, quam vix emiſit ſagittam, reuocat, aliâ, vt dicit, vice intorquendam. Criminatur enim illum adſcripti Bellarmino intolerandi erroris, dum (locum ne quæras; more ſolito, nullum adducit) ſcripſit aliquas Religiones laxatæ diſciplinæ, eſſe vnum fontem lachrymarum. *Cum* (inquit) *è contrario, Grauina contendat nullam eſſe Religionem quæ ſit laxata diſciplina, ſed de*
Mendacium. *hoc infrà.* Cur non modo, ſed infrà? Tenemus Te, Petre,
2. & quam probare non potes geminatam calumniam; putas Te fugâ purgaturum? Tenemus Te proprio illaqueatum fune, nec effugies. Dupliciter Grauinæ imponis. Nec enim ille negauit quod terra experitur, cœlumque luget, dari ſæpè in Cœtibus Religioſis qui laxatè viuant. Prima impoſtura. Neque etiam Bellarminum arguit erroris ob aſſertum dedecus, quod experientia conteſtatur & mœret, vt Tu impudoratè garris, ex vtroque mendax. Sed dum Cardinalis in Tractatu de gemitu columbæ, quorumdam deplorat fatum, qui à primæuâ Regularitate ſcandaloſè deflectunt; ex quo, inquit, ingeneratur communi omnium

Fidelium matri Eccleſiæ, ampla lugendi materies, quaſi ex hoc funeſtetur & occumbat omnis eius decor: Illi occurrens Grauina, probat non ideò decoloratam ſtatus Religioſi faciem, nec ex leui ac raro furfure maculatam; cum Stellæ, Luna, & iuxta aliquos, Sol ipſe inter fulgentiores micatus notulis quibuſdam diſcriminantibus non careant: nec etiam ita peſſundatam ſacræ omnium âbdicationis Profeſſionem, ex quorumdam cæſpitatione aut lapſu, quin ſplendoribus rutilet eximiis, creſcente ex funeſtâ Antiperiſtaſi, cæterorum micatu. Comprobat Grauina dictum ſuum, Chriſti ipſius ſuffragio, qui Sponſæ ſuæ D. Thereſiæ pro hac Clauſtrorum rimulâ & ruinâ illachrymantis fletus deterſit, indicans ipſi, paucorum defectione Clauſtralium, non imminui feruorem Sociorum. Imò velut ex incurrentibus ſæpè nubeculis, maieſtas Solis quæ obtenebranda videbatur, inclareſcit; ſic Religionum ſanctitas & cæleſtis origo ex hoc dignoſcitur, quod inter Hæreſum aſſultus, impetuſque bellorum potuere conuelli & in aliqua ſui parte vellicari; non autem funditùs euerti aut præcidi; viguitque paſſim in quolibet Regulari Cœtu quantumuis laxato, exactus primæuæ Obſeruantiæ decor, Regulaque à Sede Apoſtolica approbata, in pluribus membris ab omni laxatione immunis. Cùm tamen minori longè concuſſione, debiliorique tempeſtatum turbine, Reſpublicæ, Regna, ac florentiſſima Imperia penitùs corruerint, nuſquam in poſterum reſtauranda. Hoc ne eſt Bellarminum inſimulaſſe erroris? Imò hoc eſt, comprobaſſe Te vel vno verbulo, duplici innodatum mendacio: Sed de hoc infra vt poſtulaſti, *audiemuſque* Te *de hoc iterùm*.

Nec minor ex alio capite reatus. Solitâ enim & velut innatâ mentiendi audaciâ, Grauinam inducis aſſerentem omni Congregationi humanæ à Pontifice electæ & inſtitutæ, incapacitatem lapſûs, ac infallibilitatem, velut de infallibili Sede Petri in omnia eius ſtillicidia tranſfuſam. Petre locum à Te petimus vbi hoc dixerit, nullum enim citas, quia nec dare potes. Procul dubio Rota Auditorum S. Palatii contra quam eiulas, rotauit caput Tuum & cerebellum euertit. Non itaque Grauinæ ad purpureum decus præcidit viam aſſentatio, illi à Te mendoſè impacta, ſed vera humilitas, quæ oblatas ſæpè à Pontifice Infulas, quibus ad Purpuram paratur iter, conſtantiſſimè repulit: ha-

buitque in eo Pontifex quod purpura illuſtraret.
Subiicio Lectoris oculis & animo, quod Te non latet. Cum in Angliâ & mox, in totâ Europâ ſpiritu antiqui ſerpentis inſibilans Antonius de Dominis, Hæreticorum peſſimus (quem Tu benè noſti) in ſedem Pontificiam & ſupremam ſummi Hierarchæ poteſtatem procaci ore ac petulanti calamo debaccharetur, quis primus ſe obiecit periculo, & pro Pontificiâ dignitate vmbonem oppoſuit ferocienti Transfugæ? Duo Cyriaci, ſeu Dominicani, ad primum Hæretici gannitum, victorem in eum ſtrinxere calamum, cæteris ſilentibus aut mutis; in Galliâ Coefeteus; in Italiâ, Grauina, (quorum extant eximiæ Lucubrationes,) Pontificiæ Sedis vindices acerrimi. Si igitur, vt ex Spondano conſtat in an. 1535. n. 14. memorabilis ille Anglus, *Ficherus* dictus, Epiſcopus Roffenſis, qui poſteà proprio ſanguine Fidem ſuam obſignauit, pro dignitate Romani Pontificis tuendâ in Angliâ, glorioſè decertans verbo & ſcripto, Purpuram meruit accipere à Paulo III. Pontifice ſibi miſſam in præmium defenſæ Sedis Apoſtolicæ, factus in carcere purpuratus Pater; quidni pari pugnâ parem potuiſſet ſperare Grauina triumphum, ſimiliſque defenſionis non abſimile præmium, paratus in vincula & mortem inuictus pugil? Alium autem noluit ille laboris ac operis eximii fructum, quam ſine vlla domeſtici fructûs ſpe, Pontificiam Maieſtatem inuictè propugnare, ac ſeruare illæſam. Selah, inquis. Bene eſt. Victum Te fateris in Latino orbe, qui Græcos in auxilium Tuum aduocaſti, agens contra Bannem πολυγλώττος, euocaturus aduerſus Grauinam, Hebræos. Selah, ſeu elatâ & acutâ voce (iuxta Forſterum, Schindierum, Buxtorſium) intonans toti orbi Chriſtiano, quod lateat ſub Petri Vallisclauſæ larua, vir Latinè, Græcè, Hebraicè, Nequam, Nequior, Nequiſſimus.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Triplicem calumniam irrogat Sixto Senenſi.

SIxtus Senenſis adorator Origenis, variorum Conciliorum anathemata, quibus Origenes contritus eſt, ignorantiæ adſcribit eorum, qui non aduertunt quæ in ſcriptis eius damnanda videbantur, fuiſſe ab Hæreticis deprauatoribus inſarta, ipſo origene innoxio. Videſis l. 4. Bibl. V. Origenes. Idem Sixtus poſt Concilij Tridentini definitionem contrariam, negauit integrum librum Eſther, eſſe canonicum, truncans illum ſex capitulis. Ita ille l. 1. eiuſdem Operis Sect. 2. V. Eſther. Quod Euſebium Cæſarienſem Arianorum ſigniferum, habet pro Sancto, error erat in Ordine communis, cùm inter Cælites haberetur adſcriptus in Cyriacorum Martyrologio. §. 68.

RESPONSIO.

DElapſus è ſupremo montis vertice niuis globus, rotatione ſuâ conualeſcit: augetur dum reuoluitur, viresque acquirit eundo. Proficit caſu multiplici, mendaciorum intextor celeberrimus, & qui in Grauinam duo tantum intotſerat elaborata figmenta; tria nunc in Sixtum Senenſem exerit, fœcundâ imponendi prurigine. Ex triplici capite eum laceſſit; trinâque virum de Eccleſiâ benemeritum & omni Elogio ſuperiorem, inuoluit calumniâ. Non ille adorator errorũ Origenis; ſed cum totâ Antiquitate Eminentiſſimi ilius ingenij admirator. Fingis etiam eum adſcripſiſſe ignorantiæ, quod inaduertentiæ tribuit; malignâ complexione aut ſtolidâ ignorantiâ, inaduertentiam cum ignorantia confundens: *Ignorantia*, inquis, *eorum qui non attendunt.* Ignorantia, Lectorum accuſat ignauiam, carentium neceſſario lumine ad intellectum Authoris: inaduertentia autem indicat & arguit vafriciem Hæreticorum, Interpolationes & Commiſſuras ſuas adeò ſubtiliter concinnantem, vt'& vulgarem attentionem effugiat. Neſcis Grammatico-Theologaſter inaduertentiam reperiri à Theologis in caſu Angelorum, ignorationem à nemine? Hinc barditatis Tuæ ridenda cæſpitatio, igno- *Calumnia 1.*

ratur à nemine, attenditur ab omnibus. Secutus eſt in hoc Sixtus antiquos id ſentientes,& varias in Origenis defenſionem editas Apologias à viris Catholicis indulgenti iudicio benè de Origene præſumentibus, intactâ ſemper Conciliorum majeſtate, & ſuffragante pro ipſis facti quæſtione; de qua videſis tres doctiſſimos Eccleſiæ Cardinales, Turre-cremata l. 2. de Eccleſ. c. 93. Baronium in Honorio. Bellarminum l. b. de Romano Pontifice cap. 11. in 5. probatione. Vnde & Binetus nuperus Societatis Scriptor, librum compoſuit de ſalute Origenis. Quid ergò opus erat Tibi infauſto labore ſacram Senenſis Bibliothecam euoluere, vt iterato toties lapſu, ruditatis & petulcitatis Tuæ quæ omnibus obuiæ erant, noua obtruderes argumenta? Deo vindice quæſiiſti loca in Indicibus abſtruſa quæ Te perimerent. Vt enim non ſine ratione, Dominicanæ Religionis Profeſſorum doctrinam, vitam & nomen exagitare videreris, excuſſiſti anhelo ſpiritu conuerſationis ac librorum latebras; in quo molimine, incidiſti in eos ſcrupulos & offendicula, quæ Tibi vlſcente Numine, multò ante præparata fuerant, vt mentiendi & calumniandi cupidus animus, illudendi ſibi ipſi atque ſeipſum infamandi materiam reperiret; aliiſque præſtrueret detegendi eius probroſos lapſus, ac vltima propudia.

Niſi enim Te cæcitas, à cæleſti Sole miris, ſed iuſtis modis immiſſa, obruiſſet; quomodo ſcripſiſſes Sixtum negaſſe integrum librum Eſther eſſe canonicum, truncando illum ſex capitulis, l. 1. Bibliothecæ ſect. 2.? Duo illi, mendax impingis; negaſſe & truncaſſe. Narrat ille iuxta Traditionem antiquorum, ſex vltima capita Eſther non fuiſſe collocata in Canone primo Hebræorum, iuxta quos claudebatur Liber ille in cap. 10. Noſtri autem codices ab hoc loco vſque ad finem voluminis ſex capita interponunt. Non ergò Sixtus truncat librum Eſther ſex capitulis, vt Tu imponis; ſed Hæbræj & Græci non admiſere ea, ab incerto Authore Græco inſerta. *Ex quo*, inquit, *factum eſt vt, ob has Lacinias, ſeu Appendices, aliunde intruſas, Liber hic quamuis Hebraicus & ab Hebrais receptus, ſerò admodùm apud Chriſtianos canonicam authoritatem receperit. Vnde nec ipſum Meliro Sardenſis Epiſcopus; nec Gregorius Nazianzenus inter libros ſacros enumerauit, & Athanaſius de Catalogo Canonicorum voluminum, tanquam nothum nominatim*

Medacium 2

abiecit. Quem denique Concilium (audi Petre) *Carthaginenſe 3. inter ſacra volumina computauit.* Non negauit ergo Sixtus Librum illum eſſe ſacrum,ſeu canonicum poſt Concilium Tridentinum, qui ſacrum & canonicum agnouit à Tempore concilij Carthaginenſis 3. cui D. Auguſtinus intererat. Nec ſi negaſſet poſt Tridentinam Synodum, Pius V. Summus Pontifex Fidei ſacrique Tridentini zelator acerrimus, à concionibus habuiſſet Sixtum; cuius tamen Poſſeuinus Societatis Scriptor in Apparatu, Elogium his verbis expreſſit. *Sixtus Senenſis Ordinis Prædicatorum & diuini verbi Prædicator ſyncerus, quem & nos concionantem audiuimus, Pio V. Pont. Max. ob varias diſciplinas & Linguas, Latinam, Græcam, Hebraicam, vnà cum zelo diuini cultûs coniunctas clarus.*

Falſum denique Euſebium Cæſarienſem à Sixto pro Sancto habitum. Laudat quidem ingenium eius poſt Gelaſium diſt. 15. vbi in laudes eius effunditur quantum ad ingenij aciem & plura eius opera: Velletque cum Gregorio Trapezuntino in Præfat. libri de Euang. præparat. Donato in breui eius vitâ: Haymone Alberſtatenſe de Chriſtianarum rerum memoriâ, à notâ Arianiſmi liberare, ſi liceret mentem & verba eius in Catholicum ſenſum detorquere. Sed Sanctum nunquam dixit nec cognouit, nec agnouit, vt proteruè illi imponis; nouoque mendacio antiquum confirmans, habitum aſſeris inter Catholicos à Cyriacis errore inueterato & toti Ordini communi, eorumque Martyrologio hoc nomine inſcriptum: quod vtrumque falſitatem publicam ſpirat. Hanc tamen hallucinationem, quam ſimplicitatem vocat Poſſeuinus, impingit non Dominicanis, nec eorum Martyrologio, ſed Petro in Catalogo Sanctorum. l. 5. c. 134. Et ait irrepſiſſe in Vzuardum, & in Menologium. Hanc & nos impactam à Te Cyriacis calumniam, ſuprà expunximus. *Calumnia.*

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Braſickelem inducit damnantem Propoſitiones Emanualis Saa.

§. 69. *F. Ioannes Maria Braſickelem, tunc Magiſter S. Palatij, quinquaginta & duas Emanuelis Saa propoſitiones ex Aphoriſmis eius decerptas, damnauit tanquam vel intolerabiles, vel in praxi non ferendas. Sed adeò liberalis Cenſor, cenſura ſua cenſuram paſſus eſt, reprobatâ eius damnatione tanquam inſcitia, vel malignitatis, vel vtriuſque referta. Nam duæ ſupremæ Inquiſitiones, Hiſpanica & Luſitanica, quinquaginta ex improbatis Propoſitionibus reſtituerunt in integrum; duabus aliis tantum expunctis. Nempe illa quæ poſt Manuelem a Clemente V. fuerat damnata, de abſolutione ſacramentali per literas, cui cum Manuele multi Cyriaci ante Clementem ſubſcripſerant; & altera, quâ idem Saa, benedictionem Epiſcopalem oleo infirmorum eſſe neceſſariam inficiatus erat. Quoad reliquas quinquagin ta Propoſitiones refixum eſt decretum Braſickellenſe, quo doctrina probabilis & à grauibus Scriptoribus tradita, in ſolo Manuele falſa ac non ferenda, fuerat à Cyriaco iudicata.*

RESPONSIO.

MVlti-formem ſub larua perſonam agis, eumdem tamen vbique ſortiris euentum, infœlix ſemper Tuimet proditor, ſimul & cauſæ quam tueris. Agis nunc cauſidicum, & in ampliſſimo orbis Chriſtiani Theatro, velut in contentioſo & iudiciali Foro, Patronum Te offers pro Emanuele Saa Ieſuitâ aduerſus Ioannem Mariam Braſickelem Cyriacum peroraturus. Sed quàm infœliciter, duo hæc capita demonſtrabunt, plectentque ſolemnem puerilis impoſturæ architectum: Garrulitate importunâ iniectam à Te Theſim non propugnas, ſed euertis; infenſuſque Clienti Tuo, vt parti aduerſæ ſuffrageris, Emanuelem deſeris indefenſum, Braſickellej promoturus cauſam. Quicquid ſit de Saa Propoſitionibus a cAphoriſmis, intactū à me volo Authorem, quia nec purgandi munus incum-

bit, nec onerandi votum. Tecum ago, Petre, Tibique ſoli ex omni parte excutiendo, immineo, Quæſtio inſtituitur inter nos, à Te obiecta, mihi ſoluenda: Num præfati Magiſtri S. Palatij cenſura, de Propoſitionibus Saa, cenſuram ſit paſſa, conuictuſque Cenſor inſcitiæ ac malignitatis; reprobatæ damnationis ſubierit ſententiam. Vnico medio probas hoc aſſertum, dum ais duas ſupremas Inquiſitiones, Hiſpanicam & Luſitanicam, quinquaginta Propoſitiones reſtituiſſe in integrum, duabus tantum expunctis. Verùm (barditati Tuæ parcens, dum Magiſtro S. Palatij munus inferendi cenſuras tribuis,) dic amabo: cuinam conceditur facultas infringendi lata iam cuiuſuis Iudicis decreta? Quæro, inquam, an Inferiori detur poteſtas in Superiorem, aut æquali in æqualem? nequaquam, iura hoc prohibent. *Par in parem non habet poteſtatem.* Quanto minùs in maiorem? Irritatio igitur cuiuſuis Sententiæ, à Superiore expectanda. Benè eſt.

Iterùm quæro, num Inquiſitiones Hiſpanicæ & Luſitanicæ ſuperiores exiſtant, ac poteſtate dominante præſint Magiſtro Sacri Palatij, intraque ipſius Summi Pontificis penitiora conſilia Iuriſdictionem exerceant? Apage nefandum dogma, feraliqne notâ inurendum! Vt pedes capiti principentur; domeſticaque ſanctæ Sedis Curia, peregini tribunalis ſupponatur iudicio! Iam ſic arguo. Cenſura cuiuſuis Iudicis non patitur cenſuram, niſi à ſuperiore poteſtate. Inquiſitio ſiue Hiſpanica, ſiue Luſitanica ſuperiorem non habet poteſtatem in Magiſtrum S. Palatij; Conclude Tumet. Vel ergò Inquiſitiones illæ poteſtatem ſuam exceſſere, & in hoc forent culpandæ; vel ab iis nullam cenſuram paſſa eſt cenſura Braſickellej; & hoc verum. Probas itaque Patrone ſolertiſſime, quod improbandum ſuſceperas; &. ex hac parte luculentus Impoſtor; commentitium quippe & omninò fabuloſum eſt illud præfatæ vtriuſque Inquiſitionis decretum, quo refixam Braſickellej Sententiam intonas, ipſiuſque inſcitiam ac malignitatem compertas ac confixas. Hæc itaque eloquentiæ *Impoſtura.* Tuæ vis ac majeſtas, Orator acutiſſime; Theſim Tuam euoluiſſe probatione contrariâ; hæcque delibaſſe ſufficiat circa formulas Iudicij. Iam ad rem ipſam vnde inſtituebatur actio, deſcendamus.

Deſertor ſuſceptæ protectionis, Emanuelem prodis, cùm

tueris, tranſiſque in partes aduerſas, factus ex hoſte Patronus. Compertum quippe eſt omnibus, varia eſſe notarum genera, quibus inuruntur Authorum opiniones. Quædam Fidem aut Eccleſiæ Sacramenta directo ictu temerant: aliæ Religioſum Inſtitutum: illæ caſtas aures offendunt; hæ bonos mores ludificant; quædam ad Theoriam ſpectant, quædam ad Praxim. Diſcolor venenum diuerſo charactere ſignatur, varioque Anathemate configitur. Ex 52. Propoſitionibus Emanuelis à Magiſtro S. Palatij damnatis, duæ tantum notam excepere ab Inquiſitoribus Hiſpaniæ ac Luſitaniæ, quaſi læſæ aut tentatæ Fidei in Sacramentorum materiâ; hoc licet concedatur Tibi, quid tum? Nam ſi inſtet aliquis, Quid factum de reliquis quinquaginta? Reſtitutas dices in integrum. Quâ viâ ac formulâ? Scripto an ſilentio? Silentio, inquies; nullum enim extat editum ab ipſis de illarum purgatione decretum. Sed non notaſſe eas cum aliis duabus, præiudicata eſt veritas non agnoſſe notandas. Reſpondebit ille; primò ridiculum

Barditas. eſſe in hâc materiâ argumentum, vt aiunt, negatiuum. Non declararunt infectas hæreſi; Ergò purgarunt omni labe. Quæ conſecutio? Non dico Te ſtultum, Petre, licet verum ſit; quia charitas prohibet prodere omnibus quodcumque verum: Ergò Te dico ſapientem? Falſum; quia veritas vetat hoc dicere ac ſentire.

Subiicit. Inquiſitiones præfatæ interrogatæ ſimpliciter, num in illis propoſitionibus 52. quid contra Fidem aut Eccleſiæ Sacramenta militaret. Duas tantum expunxere, cæteris intactis, ſeu pari Cenſurâ non notandis: Quid autem probibet alterius generis cenſuris plectendas; iis ſcilicet, quibus eas vt ais, Magiſter S. Palatii, alio titulo quàm contra Fidem aut Sacramenta, ſuppoſuerat, ac damnandas cenſuerat, tanquam (vt ipſemet refers) ex aliis capitibus *vel intolerabiles, vel in praxi non ferendas*? Hanc ergò debet Emanuel Saa Patrono ſuo Pſeudo-Petro, gratitudinem vt ex 52. Propoſitionibus ex Aphoriſmis decerptis, & à Braſickelem damnatis, nec per ipſum Petrum à cenſurâ purgatis, duæ adhuc ab Inquiſitoribus Hiſpanis ac Luſitanis nouo Anathemate ſint confixæ, ac repetitâ cenſurâ expunctæ: Ita vt cæteræ 50. Romæ ob varios titulos damnationi ſuppoſitæ, ſemper damnatæ, nec à præfatis Inquiſitoribus ab illatâ cenſurâ purgatæ aut erutæ, qui-

bus nec abſoluendi voluntas fuit, cum ſilentium non ſit approbatio, nec poteſtas reſcindendi quæ Pontificium tribunal ac Magiſter S. Palatii aut potiùs Inquiſitio, decreto ſuo obſignarat, cuius ego nomine, latæ ab eo Cenſuræ nouo propugnatori Petro, quid ni gratias perſoluam, dum ex oppoſitâ parte, iuſtas deſerto Clienti querelas excutiet infœlix tanti Patroni clientela, inofficioſa protectio, crudele patrocinium? Præfixa eſt ipſi libro Aphoriſmorum Saa, conceſſio imprimendi, ipſius Braſickelem: factaque Editio iuxta correctum Romanum Exemplar.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Imponit R. P. Marino circa Communionem pro mortuis.

F. *Ioannes Baptiſta de Marinis, adeò profundè theologiſat; vt curauerit nigrum Theta appingi negantibus perceptionem Euchariſtiæ, aliis à ſumente prodeſſe ex opere operato. Quæ tanta ſupinitas eſt; vt nemini vnquam* Theologo *in mentem venerit, talem fatuitatem diſcutiendam proponere: omnes enim vt per ſe euidens ſtatuerunt, ſicut manducatio cibi corporalis non prodeſt niſi comedenti; ita cibum Euchariſticum, ex opere operato Sacramenti, alteri non prodeſſe, quàm communicanti. Quin etiam S. Thomas lect. 6. in c. 6.* in Ipſo fine, *(arrige aures Pamphile, qui negabas hoc in S. Thoma haberi,) in ipſo inquam extremo limbo illius lectionis, diſertè & conceptis verbis aſſerit: Errare eos qui putant Communionem Laicorum prodeſſe vitâ functis, idque aſſerit abſque diſtinctione vlla, atque adeò agnoſcit, non modò ex opere operato, (quod ne Rudimentarij quidem Theologi ignorant) ſed etiam ex opere operantis, perceptionem Euchariſtiæ non prodeſſe defunctis, aliiſque quibuslibet; (eſt enim par ratio,) ſed ſoli ſumenti prodeſſe, ſi habeatur ratio communis modi communicandi, qui vacat pœnalitate, quæ eſt radix virtutis ſatisfactiuæ in aliquâ operatione. Hæc eſt concors omnium Theologorũ ſententia. Solus Frater Ioannes Baptiſta de Marinis, in gratiam aliquarum Petegolarum, & Achatis vel Palponis ſui Auguſtini de Bellis, pro Communione feriâ ſecundâ apud S. Andream à Valle ſollicitè, contendit, Communionem etiam* §. 70.

ex opere operato, prodeſſe iis defunctis, pro quorum ſubleuatione dicta Petegola, aliàs Beghinæ *communicant. Proh doctrinæ profunditatem & ſoliditatem nullis præconiis adæquandam! Audiuit ſe vbique terrarum, pro hâc aſſertione ſuâ ludibrium doctis debere; & videtur in alienâ vitulâ araturus, ad ſtabiliendum quod ipſe per ſe præſtare non poteſt, præ Latinitatis inopiâ. Ex his ſpeciminibus, liquere puto, Cyriacorum libros non eſſe adeò ſolida doctrina, quin poſſint cum ſiligine latere furfures, cui ſit opportunum incerniculum. Non debent ergò ſtatui immunes à cenſurâ, ex hoc capite.*

RESPONSIO.

NEmini vnquam Theologo in mentem venit talem fatuitatem diſcutiendam proponere, qualem Tu modò effutis Impoſtori publico & toties perfrictâ fronte mentienti, putas, à quouis prudente Lectore fidem habendã, eo maximè tempore, quo vt R. P. Marino falſum appingas dogma, falſes & ipſum D. Thomam, quem in patrocinium falſitatis aduocas, mendacium mendacio innectens & accumulans? Quæ tanta & tam miſeranda ſupinitas in ſene rudimentario, fide ac latinitate vacuo, *Theologiſante* Theologaſtro; vltro concedimus cibum Euchariſticum, ſoli communicanti prodeſſe ex opere operato, inſtar cibi corporei, qui vim ſuam non ſpargit extra comedentem. Id Tu confirmas authoritate S. Thomæ aſſerentis errare eos, qui putant Communionem Laicorum prodeſſe vitâ defunctis. Ex quo infers ſubdolâ & deceptoriâ conſecutione, D. Thomam, cùm diſtinctione non vtatur, agnoſcere tam ex opere operantis, quàm ex opere operato, Communionem Laici non prodeſſe Defunctis, aliiſque quibuslibet. Subdiſque hanc eſſe concordem omnium Theologorum ſententiam, vno excepto P. Marino, qui contrarium ſentit & *Mendacium 3.* ſuis inculcat. Proh! operarii iniquitatis quàm fœcunda manus! Triplex vno tenore inſibulaſti mendacium.

Primò ſi quidem imponis turpiter & impudoratè Doctori Angelico, qui loco à Te laudato impudentiam *Loco citato.* Tuam apertè reuincit. Ait enim. *Notandum eſt quod aliter eſt in iſto Sacramento & aliter in aliis. Nam alia Sacramenta habent ſingulares effectus; ſicut in Baptiſmo ſolus baptiſatus ſuſcipit gratiam; ſed in immolatione huius Sacra-*

menti eſt vniuerſalis effectus: quia non ſolum Sacerdos effectum conſequitur, ſed etiam illi pro quibus orat, & Eccleſia tota, tam viuorum quàm mortuorum. Cuius ratio eſt, quia continetur in ipſo cauſa vniuerſalis omnium Sacramentorum, ſcilicet Chriſtus. Nec tamen ſi Laicus (arrige aures falſarie effrons, qui adulteraſti mentem D. Thomæ, mutilando verba; & diſtingue perceptionem Sacramenti ab oratione percipientis) *ſumat hoc ſacramentum, prodeſt aliis quantum ex opere operato, in quantum conſideratur vt perceptio; quamuis ex intentione operantis & percipientis, poſſit communicari omnibus ad quos dirigit ſuam intentionem. Ex quo patet quod Laici ſumentes Euchariſtiam, pro his qui ſunt in purgatorio, errant.* Quia nempe, vt mox docuit, ſumptio ſeu perceptio non prodeſt ex opere operato, niſi ſumenti Sacramentum: prodeſt autem pro viuis ac pro mortuis, ex opere operantis, ſi pro iis orent; nouoque deuotionis ardore recaleſcentes, pro illis fundant ad Deum preces. *Falſatio.*

Imponis itaque D. Thomæ, quaſi neget ibi, quod expreſsè aſſerit de profectu ex opere operantis. Imponis & Theologis omnibus, quos concordes fingis in errore à Te fabricato; pleno enim aſſenſu eunt omnes in S. Doctoris ſententiam. Sed præcipuè, & nominatim imponis R. P. Marino, dum Communionem deuoti ſexûs, quam ille ex opere operantis proficuam docuerat cum S. Thoma cæteriſque rei Theologicæ periris, Tu malignè & calumnioſè ad ſolum opus operatum detorques. Adeò malè ſentis de diuiniſſimo Sacramento, eiuſque deuotis perceptoribus vtriuſque ſexûs, vt nigrum Theta communicantium fronti inſculpas; impingaſque hæreſeos notam piis mulieribus, ad ſacram Synaxim frequenter accedentibus. Quis enim ignorat *Beghinas* fuiſſe Pontificio Anathemate plexas, & inter Hæreticos ab Eccleſiâ connumeratas? Siccine maternum genus exagitas, Petre, quem ſcimus ortum à Beghinis; quæ ob hæreſim, Prouinciâ, Delphinatu & Lugduno exactæ, ſedem fixerunt in vallibus illis Inalpinis quæ verſus Niſſam protenduntur; vbi Tibi natale ſolum? Proh Doctrinæ impietatem ac ignauiam numeroſâ fulminum grandine vindicandam: Audiat laruatus Nebulo ſe vbique Terrarum pro multiplici impoſturâ ac ſcandaloſâ aſſertione, quæ Chriſti Crucem & Sanguinem euacuat, dum reſtringit, ludibrium Doctis debere, indoctis fieri petram

offenſionis, & vtriſque execrandum. Non enim in alienâ vitulâ; ſed in proprio boue ac aſino iugalibus arans ad promouendam calumniarum & impietatum ſegetem (quod ſolus ipſe per ſe & ex congenitâ prauitate poterat) ſtolidè ac impiè in omnes graſſatus eſt, præ omnimodâ pudoris, iudicii ac conſcientiæ inopiâ. Ex his ſpeciminibus liquere puto, Cyriacorum libros eſſe adeò ſolidæ Doctrinæ, vt non ſit opus Incerniculo ad exſufflandos furfures, quos ſiligini puræ aſpergere tentauit Pſeudo-Petrus, quia cribrauit eum Dæmon mendacii & impietatis. Sunt ergò ex hoc capite à cenſurâ immunes Cyriaci.

QVINTA REFLEXIO.

An Cyriaci, ſeu Dominicani, ſcribant Gerras, Ineptias & Ignorantias.

A Seriis ad iocoſa feſtiuo pede demigrat perſonatus Ludio, vt ingeneratum Lectoribus tædium, ſi omnino eluere non poteſt, temperet ſaltem placidâ facetiarum obtentione; reficiatque animos importunâ mendaciorum ac calumniarum mole fatiſcentes, exquiſita fabellarum textura ac comicus Scenæ apparatus. Qui præcedentibus Diatribis ne iniucundo labore vires obtereret ſuas, maledico intentus concentui, Aſininas voces & Opiliones Arcadicos, tanquam Chori præſultores facetè intermiſcuit, exorditur iſtam ab Aſinitate grauiſſimus hominum; ſic enim præludit. *De hâc Aſinitate plura alibi.* Et ſtatim: *Inquiſitor Genuenſis Maſinus, in cuius cognomine ſtoliditas Arcadici pecuarii deliteſcit.* Colludente nomini extraneo domeſticâ indole, Aſininum Pollionem ſibi imitandum propoſuit, quem nulla res grauis vltra decimam retinebat, ſed laxato in laſciuiam animo, totius diei laſſitudinem duabus horis ponens, Epiſtolas nec legere ſibi conceſſum volebat, ne vacuum curis animum, ingeſſus ex improuiſo nouæ ſollicitudinis rumor occuparet. Vt enim fertilibus

agris

ägris non eſt imperandum, nec extorquenda meſſis, citò namque exhauriet illos, numquam intermiſſa fœcunditas; ita mentium impetus, aſſiduus labor frangit: vires recipient, paululùm reſoluti & remiſſi animi.

Hâc etiam lege relaxandum ſibi animum cenſuit perſonatus Senex, & ad iocos pueriles ac mimicos reuocandam, quâ penè obruitur, annoſam ætatem. Si quidem cum pueris ludere Socrates non erubeſcebat; nec puerorum aſſuetus ludis, ludere erubeſcit Ludimagiſter Petrus. Cato vino laxabat animum curis publicis fatigatum: quid ni & Laruatus noſter, ſcurrili ingenio laxet habenas, qui plenas vini cuppas, nec impotatus ipſe, Lectori in calce libri propinat? Qui & erecto ante pugnam, de Cyriacis triumpho, (velut Scipio triumphale illud & militare corpus mouebat ad numeros;) nuſquam plano, æquoque incedens greſſu, ſed ſaltatione continuâ in res diſparatas & abruptos apices, molliter ſe infringens, & infra muliebrem laſciuiam fluens, in texendis fabuloſis ac ludicris narrationibus non parùm inſanit. Factum exemplis purgare ſatagit: nam ſiue Græco Poëtæ credimus; aliquando & inſanire iucundum eſt: ſiue Platoni, fruſtra Poeticas fores vix quiſquam ſui compos pepulit; ſiue Ariſtoteli, nullum fuit magnum ingenium ſine miſturâ dementiæ. Magnus itaque inter dementatos Poëtas & inter inſanientes Scurras; cuius riſimus carmina & paſſi ſumus furores; Theatrum nunc aſcendit hiſtrionicâ veſte ſuperbus, comicoque ſpiritu cuſas in imâ cerebelli ſui ſentinâ Ignorantias, Ineptias, Gerras, Saleſque impudicos ac impios, quaſi aliunde emendicatos, profundit. Et velut extrema conuiuia bellariorum appoſitu luxuriant; ſuauioraque condimenta renouant famem abſumptam; ita ſolidioribus ſacratioribuſque Theologiæ cibis iam expletos ac ſaturatos, vt putat, Lectores, nullo ſequentium ferculorum ſenſu titillandos cenſet, niſi guſtum iam languentem, nouis conflata nugis, fabellis ac ſpurcis ſalibus excellens voluptas excitet. Audiamus itaque eum. Iuxta enim Programma ab ipſo propoſitum, Scenam acturus comicam, Hiſtrio Theatrum aſcendit.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Mimicè illudit Alano & Coppenſtenio.

§. 71. *HIc contrahendæ erunt habenæ, ne ſi omnia perſequi velim, excreſcat nimiùm voluminis moles, & faſtidium Lectoribus creetur. Carpam igitur ex amplâ meſſe, paucas ſpinas. Alanus de Rupe, in Roſario Chriſti & Mariæ, nec non Andreas Coppenſtenius, Cyriaci ambo, & ex eorum au-*

DIATRIBA 5. *thoritate Scriptor libri de coronâ Marianâ Campitellenſi* pag. 18. *aſſeruerunt, B. Virginem recitaſſe Roſarium & quidem tanquam orationem: cum autem difficile videatur, B. Virginem direxiſſe orationem ad ſe-ipſam; reſpondent B. Virginem eam orationem direxiſſe ad ſe-ipſam, prout ſpectatur ſecundùm ſuum eſſe ideale, ab æterno abſconditum in Deo. Sub quâ ratione B. Virgo, eſt ipſa Diuina eſſentia; ad quam perſpicuum eſt, dirigi poſſe Orationem. Et in hoc dicunt B. Virginem fuiſſe ſimilem Chriſto, qui ſecundum humanitatem orabat ſe prout Dei Filium. Verùm hoc ipſo Theologicæ ſubtilitatis arcano, quâuis ariſtâ acutiore, quilibet Fidelis, poterit orare ſe-ipſum, prout eſt in Diuinis Ideis. De hâc Aſinitate, plura alibi.*

RESPONSIO.

VTinam cordi ſuo inſerta haberet Myſta Eccleſiæ Chriſtianæ, quæ inſcripta Rationali ſupra pectus ferebat Summus Sacerdos Synagogæ, *Vrim* & *Tummim*, quæ ſunt, *Doctrina* & *Veritas*. His quia vacuum Te probas, turpiter cæſpitas in ipſo Diatribæ veſtibulo. Nec Veritatem habes nec amas, quam in Te non vales admittere, & implacabiliter inſectaris in aliis; vt vterque exceſſus, quem comico reſpergis ſale, & contumelioſo Scommate exaſperas, omnium ſubiiciatur oculis. Authorum quos ſcurriliter irrides, verba non exſcribo, quæ falſas. Sed ſic intellige.

Eccleſia omneſque Fideles ſingulatim, Salutationem Angelicam dirigunt ad B. Virginem, quam agnoſcunt plenam gratiæ & gloriæ, ac Matrem Dei mundum repa-

tantis. Poterant ergò & Apoſtoli ſicut nos, ſalutare eam & orare, licet ipſa non ſit Deus; ſed per quam acceſſum habemus ad Deum. Dicere autem Tecum orationem poſſe dirigi ad B. Virginem prout in Deo, cuius idea eſt ipſamet Diuina eſſentia, ad quam poteſt dirigi oratio; eſt ſecretò & ſubdolè innuere, extra hunc conceptum & hanc conſiderationem, ipſam non eſſe orandam, quod eſt hæreticum; poteſt enim vt extra Diuinam eſſentiam conſiſtens, orari velut interpellatrix noſtra ad Deum. Dicunt Alanus & Coppenſtenius ambo Cyriaci, quod B. Virgo agnoſcens virtutem Annunciationis Dominicæ ſibi factæ ab Angelo, qui eam plenam gratiæ agnouit, Dei Hoſpitium, ac Matrem Benedictam inter mulieres, fructumque Ventris eius benedictum; ſæpè ac deuotè eam apud ſe reuoluebat. Quid ni? Verba Symeonis, quibus animam eius doloris gladio traiiciendam comminabatur, cordi ſuo penitùs infixa retinuit, teſte Euangeliſtâ, & ea ſæpiùs attenta & ſilens meditabatur, *conferens ea in corde ſuo:* Et non potuit in eodem corde repetere ac conferre verba Angeli, tot ſibi & mundo gaudia prænuntiantis? Nemo igitur ſani capitis & Fidei incorruptæ, negauerit hoc ſenſu recitaſſe Roſarium ſuum; & ſalutationem Angelicam ſibi à Gabriele factam, in interiori cordis ſui Domicilio ſæpiùs reuoluiſſe, quod Alanus & Coppenſtenius ſcripſerunt. Cætera ſimiliter ſunt interpretanda.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Maſinum ſcurriliter irridet.

F. *Elizeus Maſini à Bononiâ*, *Inquiſitor Genuenſis, Ordinis Prædicatorum*, *inſigne peritiæ exemplum præbuit anno 1612. quo exhibitus eſt ei Catalogus librorum in Scholis prælegendorum*, *vt poſſet de more prælo ſubiici*, *atque vulgari. At homo in cuius cognomine, ſtoliditas Arcadij pecuarij deliteſcit; vbi vidit pro Scholâ Matheſeos proponi prælegendum librum*, *prænotatum hoc titulo*, Euclidis Geometria practica, *eradi iuſſit illam vocem* Geometria; *quippe* (*vt aiebat*,) *Magicam*; *cum terminetur in* ia, *ſicut alia pleraque voces caligi-noſæ*, *ac furuæ*, Necromantia, Geomantia, Goetia, Chi- §. 72.

romantia, Pharmateutria. *Vrgentibus pro exoranda facultate cudendi eum titulum* Geometria practica, *librum eſſe, adhibito eo titulo cuſum Romæ; reſpondit ſe velle librum videre. Allatus eſt liber ex editione Romana, munitus Diplomate Pauli V. tunc ſedentis ad Eccleſiæ clauum. Vbi librum aperuit, ſcientiſſimus bonarum literarum Inquiſitor, incidit in figuras Mathematicas in pleriſque libri paginis expreſſas, cum multis lineis ſe interſecantibus. Exclamat illicò Inquiſitor En Magicas delineationes, quas mihi vultis obtrudere. Non fiet quod petitis. Et quanquam ingeſto volenti nolenti; Priuilegio Pontificio, quod ad libri principium extabat, & conceſſione M. S. Palatij & Vices gerentis; tamen ſtetit immotus nec flecti potuit, vt vocem illam* Geometria, *mandari typis ſineret; ita vt oportuerit, reliquo Catalogo typis vulgato eam lacunam calamo explere in ſingulis Programmatis. Spectatum admiſſi riſum teneatis amici.*

RESPONSIO.

PVderet me cum ineptiente ineptire, niſi parendũ foret Deo, ore Salomonis intonanti; *Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam eius*; vt frænis aut flagellis correptus Nebulo, modum ſeruet, vel certè majori causâ, minorique petulantiâ inſoleſcat. Theatrum aſcendit Ludio; puerilia ac ſcurrilia comminiſcitur Gerro comicus, vt poſſit in Ordinem ſacrum, grauem & à nugis Theatralibus penitùs auerſum, nugando deſæuire. Debuerat tamen in emotæ mentis præſens ſubſidium, alieno vti conſilio, vt ſi non caſtè, ſaltem cautè luderet; offerretque Lectoribus, ſi non vera, ſaltem veriſimilia. Hoc deſtituta temperamento effrænis garrulitas, exceſſit omnes fidei ac credulitatis terminos; euaſitque primum huius Paragraphi ſpecimen, abſoluta Authoris confutatio. Quæſitorem ſacræ Fidej, præcipuos inter Eccleſiæ Catholicæ adminiſtros venerandum, nec impudoratiùs ac irreligioſiùs luderet in Theatro Geneuenſi Mimus Caluiniſta; quàm traduxit Pſeudo-Petrus in primâ Comœdiæ Scenâ, nomen eius ludicrè exagitans, ſubque Maſini nomine, Aſinum latentem demonſtrans.

Scurrilitas.

Ludis perbellè, ſed fortè non ita fœliciter. Altioris diſciplinæ planè rudis & imperitus, callet vtcumque Val-

eluſimus ſub vltimâ ſenectute puerilem Logogryphorum contextum; vbi Elementaria Iuuentus, eraſis primâ, mediâ, aut vltimâ vocabuli cuiuſdam literâ (quas caput, ventrem, pedes Scholari licentiâ vocant) rerum ſub vocis cortice latentium qualitates variant & formas. Sit in exemplum terminus, *lapis*, quem natura ſilicem fecit; cui ſi caput abſtuleris, demaſque primam literam, fit tali diuulſione, ex ſilice, auis melliflua; ex lapide, Apis. *Maſinus* à Te proponitur, ſub cuius, inquis, nomine ſtoliditas Arcadici pecuarij delitеſcit. Qua atte? quia ſi caput auferas, primamque literam ſuſtuleris ab eius nomine, quæ eſt *M*; reſtat *Aſinus*. Hoc quia verum, admitto; ſed dempto capite; quia cum ſolido ac ſapienti capite Maſini, iungi nequit nomen nec ſtoliditas Aſinina: vnde vt ex Maſino emergat Aſinus, debet priùs caput amittere. Tibi autem modò ſuperſit caput Tuum, ſemper aderit pecuina ſupinatas, ſtoliditas Aſinina. Pace Tuâ hoc dixerim, ſed Tu me coëgiſti. Spectatum admiſſi riſum teneatis amici.

A nomine ad peritiam, hiſtrionico, quo inceperas, pede deflectis; fingiſque virum Religioſum, per omnes Philoſophiæ ac Theologiæ gradus, ad Doctoratus lauream promotum, & Inquiſitoris officium in vrbe primariâ exequentem, adeò rudem & ignarum, vt ad ipſum *Geometriæ* vocabulum, quaſi fulmine plexus obſtupuerit; iuſſeritque eradi è Catalogo librorum qui in Scholis prælegendi erant, iſtam vocem, *Geometria*; Quia, inquis, putabat Magicam, cum terminetur *in ia*; ſicut aliæ pleræque voces caliginoſæ ac furuæ, Negromantia, Geomantia &c. Itaque iuxta Te, apud illum, Magiam ſapiebat quicquid deſinebat in *ia*. Quos huius ſtoliditatis das Teſtes? Nullos. Fratelle nugax, cui Te putas venditurum has merces? *Impoſtura.* Credis Lectores eò ſtupiditatis deuolutos, vt craſſis ac ridendis his fabellis permittant ſe illudi? Vis fingere, & neſcis, homo nihili, in quo neque boni ſoliditas, neque mali ſolertia ineſt, ſed iners duntaxat & ſupina malitia; aſpernabilis mentiendi procacitas. Scimus quis & qualis fuerit Maſinus Verus, pietate, zelo ac doctrinâ, ſuo tempore celebertimus. Sed ignoramus planè qualis ſit ille fictitius Maſinus, ridiculus cerebelli Tui fœtus, chimericus Inquiſitor, euolutæ mentis opus volatile, & euanidum: Cui omnes tùm Naturæ, tùm Gratiæ ac Officij præcluſæ

fuerint operationes; & tamen impoſita operandi neceſſitas, ob volaticum quoddam magicæ incantationis occurrens illi vbique ſpectrum, cuius Tu ſolus es artifex. Miſellus homo quid faciet? Magiam quicquid redolet, fugit, & procul à ſe ablegat; Magiam putat quicquid terminatur in *ia*? Ad menſam pranſurus accumbet? Terrent eum *edulia*, quia terminata in *ia*; Magiam vt putat ſpirant: Ieiunabit? timetur *Inedia*, quia definit in *ia*: Dormiet. Timet *Somnia*. Carebit ſomno? Obſtat *Vigilia*. Congregabit opes? Cauendum ſibi ab *abundantiâ*. Largietur ſua? Minas intentat *Inopia*. Mira res! Viuit homo iſte fanaticus in cerebello Tuo cuſus; nec viuere datur, quia ab omni vitæ actu repellitur, occurrente illi tanquam magicâ incantatione, aliquo deſinente in *ia*. At Religioſus eſt & imaginario hoc Magiæ incantamento perterritus, quos ſibi & aliis aperire debuerat Gratiæ canales, trepidante manu obturat, ſimiliter deſinentibus in *ia*, *Gratiâ & Gloriâ*. Orabit? Obuia fit *Eccleſia*. Sacrificabit? *Euchariſtia*. Peccatores abſoluet? *Pænitentia*. Prædicabit? *Euangelia*. Inquiret in eos ex Officio, quia Inquiſitor? Expectatur *venia*. Nec ridebit, nec plorabit, quia hinc occurrit *Lætitia*, illinc *Triſtitia* Omnia terminantur in *ia*, & ex omnibus ſuſpicatur Magiam cerebelli Tui ridicula proles. Imo nec patriam ſuam inuiſere aut nominare libebit, quia definit in *ia*, *Bononia*.

Ridiculiſſime hominum, dum has cuderes nugas, debuiſſes ſapientiorem Te aut ſaltem minùs ſtolidum conſulere, vt veriſimiliùs fingeres, proderesque figmenta gnauiùs elaborata ac fucata. Certè hoc vnico inſipidæ ac ſtolidæ Scurrilitatis Tuæ ſpecimine, ſat perſuaſi Lectores, ridendum ac commentitium habebunt quicquid huc vſque Barditas Tua effutiit aut in poſterum effundet: quale illud quod ſubiungis, mendacia mendaciis attexens. Aperto libro, inquis, dum incidiſſet Maſinus in figuras Mathematicas, interſecantibus ſe lineis expreſſas, velut Magicas Delineationes, repellente manu expoſit, eraſitque à libro Typis edendo, *Geometriæ* nomen. Hæc ſanè nec pueri, nec tui ſimiles Paruarum domorum inquinili (ſic Pariſienſes vocant Amentes iuratos) credent. Scis quid præſagus futuri, tibique per anteceſſum intentus, eraſum voluit ab his figuris Mathematicis, Maſinus? *Iſocelem* ſeu Triangulum inæqualem frontemque triſulcam. Intelligi-

Scurrilitas.

tur ſine Interprete Faunus Inalpinus, Triplici apice venerandus: non enim caliginoſæ aut furuæ ſunt hæ voces, quia nec terminantur in *ia*, nullauè figurâ Mathematicâ obſignantur.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Duplici Commento dum Conſtantium cum Sodalí ridet, ridiculus ipſe probatur.

Pari ſapientiâ alius, doctum Philoſophum, cui nomen Conſtantio, *morte poſtea apud Sinas in miniſterio Apoſtolico obita, claro; negauit Parma facultatem quippiam edendi de Arithmologiâ; eoquod Syllaba terminalis* ia, *Magiam reſpiceret. Eiuſdem Ord. & poteſtatis Dicaſta Romæ è ſcripto ad exorandam cudendi facultatem porrecto, iuſſit expungi illa verba*, ſic fata eſt: *Deleatur (inquit) vox illa Antichriſtiana, ſapiens Ethnіciſmum. Nam inter Chriſtianos, authore Auguſtino, qui fatum agnoſcit, fatuus eſt. Sanè; ſed Tu non minus fatuus, qui fatum cogitas, vbi nemo illud eſt fatus, & Aſtrologiam fatariam ſubolfacis, vbi de ſimplici locutione ſermo erat.* §. 73.

RESPONSIO.

PAri amentiâ Tumet ipſe peccata peccatis annectens, dum ſcriberes Philoſophum, Te Grammaticum abnegaſti; & vt illum Apoſtolicâ morte clarum demonſtrares, *caliginoſa ac furuâ* conſtructione, velut obſcuro ſepulchro Teipſum inuoluiſti & Tumulaſti. Quâ enim ſolertiâ placabis ferulâ armatos infimæ Grammatices Dicaſtas (ſic vocas) vapulaturus, quod ſyllabam terminalem in *o*, Arcadicâ Magiâ transformaueris in *um*? Certè Te ipſum laqueo induiſti, dum hæc exereres. Negauit alius (Cyriacus) facultatem quippiam edendi de Arithmologiâ. Cui negauit? Attende Magiam, quæ non deſinit in *ia*. Facultatem ille negauit *doctum Philoſophum*, cui nomen *Conſtantio*; morte apud Sinas claro. Placidum certè nouæ Eloquentiæ flumen! Nota Elegantiam. Facultatem dedit Philoſophum: Philoſophum claro. Philoſophum cui nomen *Conſtantio*, in *Ignorantia*

Dandi caſu vt concordet cum claro. Triplex *Philoſophus* Triplici (dicere, liceat) illatinitate ac barbarie infartus. Caue tamen ne dum flagro à Ludi-magiſtris exceptus eiulaueris, exclames *Eia*, quia ſyllaba terminalis in *ia* Magiam ſapit, non flagello, ſed duplici igne, Tolóſæ ac Aquis Sextiis vindicandam ac purgandam.

Cæterùm ſi non licet Tibi quid ampliùs mutire de terminatione in *ia*, quam præcedens Paragraphus velut probroſam euoluti capitis fæcem exploſit, deflectat fatuitas

Impoſtura. Tua ad fatum; cuius alluſione, (inquis & more Tuo fingis) alius Cyriacus expunxit è libro cudendo, *Sic fata eſt*, quaſi Antichriſtiana & Ethnica, ceu fato colludentia;

Conuicium. quod iuxtà Auguſtinum, nemo niſi fatuus agnoſcit. Benè eſt: Conuenimus iterum tecum Petre, vt Tuo Te fune illaqueemus. Fatuus eſt qui inter Chriſtianos fatum agnoſcit: At alius à Te nemo inter Chriſtianos agnoſcit fatum: quis enim ille? Si Cyriacus, aut quiuis alius, nomina illum; nota tempus, locum; Teſtes, quibus probes illum ea verba, *ſic fata*, in fatum detorſiſſe. Nullum adduxiſti, quia nec poteras. Supereſt ergò, vt *Dicaſta* (correctiùs hîc diceretur, Dynaſta,) quem ſic deſipientem intrudis, alius non ſit quàm Tu ipſe, ceu genuinus Cerebelli Tui partus, commentitiuſque Cyriacus à Te fictus & ideò compactus, vt in huiuſmodi delirium erumperet. Tu itaque (iuxta regulam Tuam) fatuus, qui fatum cogitas, vbi nemo illud eſt fatus: Dumque in Doctrinâ Thomiſticâ fatariam neceſſitatem pluribus ſuperiùs & infrà ſubolfacis & conteſtaris, fatuitatem Tuam quæ altiùs non poteſt euehi, latiùs tamen porrigis & extendis.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Cyriacos ludicrè traducit, quaſi omnino ignaros rei Græcæ.

§. 74. *Fratribus Cyriacis, pleroſque ſuſpectos fuiſſe hæreſeos tantùm, quia Græce ſciebant, demonſtrat Angeli Politiani Prologus in Plauti Menechmos; amaris & acribus ſalibus defricans eam ſuſpitiatem; de quâ ſunt etiam expoſtulationes Eraſmi Chiliadi 4. Centur. 5. Adagior. Budæi, in opere de*

ſtudio literarum rectè inſtituendo, ſub initium, *quos deflorauit & aliis additis locupletauit, vir eruditus, Benignus Sanrey, in Opere de rectâ Pronunciatione vocis* Paracletus *cap. 44 Nec parum his & aliis peritis Scriptoribus laborandum fuit, in conuellendo eo Fratrum effato*; Cauendum eſt à Græcâ linguâ, ei qui nolit eſſe Hæreticus; *quid mirum deſpuere Græcas literas, homines miſerrimè græcantes? Liquet ipſos tales eſſe, ex illis apud eos crebris Grammaticalibus ineptiis, quod* Diabolus *dicatur à δία id eſt duo, &* Bolus *quod* morcellum *ſonat, quia Diabolus facit de homine duos Bolos, vnum de corpore & vnum de anima.*

RESPONSIO.

PLerique naufragio liberati, exinde repudium naui & mari dicunt, & Dei beneficium, ſalutem ſuam, memoriâ periculi honorant: Laudo Timorem, diligo verecundiam. *Nolunt iterùm Diuinæ miſericordiæ oneri eſſe*, inquit Tertullianus. Formidant videri inculcare quod conſecuti ſunt. Bonâ certè ſollicitudine experiri iterum vitant, quod ſemel didicerunt timere. Ita modus temeritatis, teſtatio eſt timoris, timor autem hominis, Dei eſt honor. *L. de Pœnitentia.* At totiès naufragus; toties corruptæ in Authorum citationibus fidei conuictus, perſonatus Senex, adhuc non reſipiſcit; non erubeſcit, nec timet in antiquos & frequenti iteratione familiares reatus, vltrò præcipitem agi; quia leniùs actum eſt cum inueterato adulteratore, qui videbatur aliquam reſipiſcentiæ ſpem indicaſſe. Verùm præceps relabitur ad vomitum canis; quaſi ex eo ſibi nunc latior pateat via ad turpiùs ac impudentiùs delinquendum; quod indulgentior fortè quàm par eſt benignitas, vrget nos ad condonandum; & redundantia nouæ clamentiæ, libidinem facit antiquæ temeritati. Vnâ fermè Periodo tria peccat nullatenùs indulgenda, proſtitutæ fidei Scriptor; amariſque tandem & acribus ſalibus defricanda eſt hæc petulantia, acutiſque punctionibus excitanda ſupinitas.

Peritiæ linguæ Græcæ irrogatum Hæreſeos crimen à Cyriacis, alto eiulatu clamitat, & teſtes æquiſſimæ quiritationis adhibet Angelum Politianum, Eraſmum & alios: quaſi in hac parte mordacitatem Cyriacorum actiùs carpſerint; qui tamen nec verbum de illis aut contra illos emiſe- *Impoſtura. 2.*

re. Qui truculentiùs aliis inuehitur, Eraſmus Scriptorum mordaciſſimus, ac Religioſi ſtatus antiquus hoſtis, licèt Ex-Monachus; indulgenti ſilentio à Cyriacorum confixione non abſtineret, cùm & in Patres Eccleſiæ, in ipſoſque Apoſtolos cruento dente ſæuiat, vbicumque mordendi anſa ingeritur. Exagitat autem ibi tantum ſuperciliosos illos ac ruſticantes Pædotribas, qui liberales artes & bonas literas, quocumque idiomate producantur, quia ignorant, aſpernantur, ſcholaſticæ barbariei amatores. Improbat peregrinas & adulterinas nouitates; dum pueris præleguntur delira Gloſſemata quæ nihil aliud doceant quam impurè loqui: dum à Theologiæ adytis excluditur, niſi qui diu ſudarit in Auerroe & Ariſtotele; dùm denique adoleſcentibus Philoſophiæ candidatis inculcantur nugæ ſophiſticæ, & commentitiæ quædam difficultates, meræ ingeniorum cruces. De Dominicanis autem, vel de reprobatâ rei Græcæ intelligentiâ, nec verbum aut apex; Ita vt in vtroque mendax deprehendatur Pſeudo-Petrus: quanto magis in fabricatione illius effati, quo dicit iuxta Cyriacorum placita, eodem conatu à linguâ Græcâ, quo ab Hæreſi recedendum. Cuſa ſunt hæc omnia in volatili capitello, calumniarum ac mendaciorum ad nauſeam ferace.

Subdit ille Nugator celebris: Non mirum ſi deſpuant Græcas literas Cyriaci, *homines miſerrimè græcantes.* Ex ignorantiâ putat naſci contemptum, facileque improbari quod neſcitur. Græcum Te huc vſque non agnouimus, & quidem miſerrimè Latinum; licèt hoc ſolo nomine miſellè Græciſſantem non inficiemur, quod in ſummo apice reperiatur apud Te *fides Græca*, id eſt nulla. Si enim vel ſcintilla probatæ fidei eluceret in Te; vltrò fatereris, quod à Te non ignorari, euincunt Tuimet eiulatus toto hoc libello diffuſi contra ſingularem Cyriacum; Combefiſium intelligo, qui dum innumeros Græci tractûs Patres à corruptoribus & ignaris Græcæ linguæ vindicauit, caſtigatâ audacis multorum ignauiæ petulcitate; docuit non eſſe ignotas, minùs exoſas aut hæreticas Dominicanis literas Græcas. Ignoras conſtitutas vniuerſo Prædicatorum Ordini leges (iuxta Decreta ſacræ Congregationis de propagandâ Fide) habendi communes Scholas Græci ac Hebræi ſermonis? Hinc, vt cæteros taceam, quę ſub aſpectum Tuam cadunt, Tibi obtrudam.

Nuperrimè Chiantes Epiſcopus ex Ordine noſtro aſſumptus, integram D. Thomæ Summam contra Gentiles, vertit ex Latino in Hebræum, quo intra Ordinem fuerat imbutus; Opus eſt Romæ impreſſum: & Combefiſius adhuc Pariſiis agens, quem Tu toties, licèt inualidè, vellicas; tot Patrum Græcorum Opera, temerario Interpretum imperitorum auſu & præpoſterâ verſione deformata, natiuo decori, puræque Authorum intelligentiæ reſtituit. Vbi autem didicit ille hanc linguam, niſi in Religione Dominicanâ, in quâ vix ſexdecim annorum puer, cœpit militare? Eſtne ergò hoſtis linguę Græcæ Ordo Cyriacus, qui adeò fœlici ſucceſſu ſuos in eo Idiomate excolit alumnos? Docetne fugiendos Græcos, æquè ac Hæreticos, qui auido ſpiritu Hæreticos omnes impugnat & Græcum Idioma ambabus vlnis complectitur? Conſule Poſſeuini Apparatum, & inuenies ſyluam Dominicanorum, qui in omni ſcientiarum ac linguarum genere, nominatim Græcæ ac Hebraicæ apprimè exculti, Eccleſiam Dei illuſtrarunt, eiuſque hoſtes, ſeu Hæreticos, ſeu Gentiles, vtriuſque Idiomatis beneficio & vſu ad obedientiam aut ad ſilentium adegere.

Teſtis erit luculentus, Spondanus, qui ex quatuor à ſummo Pontifice Eugenio IV. & Oecumenicâ Synodo Florentinâ delectis ad diſputandum contra Græcos, qui eò conuenerant cum ſuo Imperatore ac Patriarchâ Conſtantinopolitano; Duo fuere Cyriaci, quorum alter, ſolus inter diſputandum dux verbi, viuaque voce cum Græcis colluctans vicit, cæteris adſtantibus & ſilentibus. Prouincialis ille Lombardiæ, dictuſque Ioannes de Monte-nigro, Cyriacus, cuius Sodalis, Epiſcopus Corenſis in Græciâ, poſt reditum Græcorum à Concilio in Græciam, Marcum Epiſcopum Epheſinum quem Florentiæ præfatus Dominicanus Ioannes de Monte-nigro, coram Synodo confutarat, reductis ad fidem & obedientiam Græcis cum ſuo Imperatore & Patriarchâ; Conſtantinopoli coram Imperatore & Eccleſiâ Græcâ, iterùm viuâ voce Græcoque agens Idiomate Præſul Corenſis, item Dominicanus, concluſit adeò potenter & fœliciter, vt Schiſmaticus breui, dolore & pudore correptus occubuerit.

Maiora produco eiuſdem Spondani obſignata teſtimonio. *An. 1452, n. 12.*
In ipſo Græci Idiomatis meditullio, vrbe Conſtantino-

politanâ, Schiſmaticâ & à Romano Pontifice deficiente, quatuor Dominicani pugnant verbo & ſcripto contra Græcos pro Primatu Eccleſiæ Romanæ, aliiſque Fidei dogmatibus & proprio ac vulgari loci Idiomate rebelles confutant. An vſi Interprete? Author non dicit, gratis fingitur, nec opus in re facili & domeſticâ apud viros Religioſos, qui à tempore ſuæ Profeſſionis emiſſæ, linguis peregrinis imbuuntur, maximè Græcâ ac Hebraicâ, in Scholis ad hoc ſtudium authenticâ conſtitutione Ordinis, deſtinatis. Iam dices Cyriacos linguæ Græcæ ignaros & hoſtes? Putant impactam linguæ Græcæ Hæreſim, qui linguâ Græcâ vtuntur ad reuincendos Hæreticos, Hæreſimque cum Schiſmate obtruncandam? Verùm cur ex tantâ meſſe quatuor tantum ſpicas ſeligo? Numeroſum Dominicanorum cœtum oſtendit idem
an.1237.n.1. Apamienſis Epiſcopus, qui vltra Helleſpontum, & per diuerſas Orientis regiones, quæ à temporibus Alexandri magni Græco ſermone vtuntur (vnde Conſtantinopolim mox dixi Græci Idiomatis meditullium) & quaſi communi vinculo communicant (vt & Ægyptus) prædicatione ſuâ populos ad Fidem conuertunt. Hos ergò *miſerrimè græcantes vocas*? Miſerabilior Tu ipſe, dum vt probes eos linguæ Græcæ penitùs ignaros, inter crebras, quas eis affingis ineptias Grammaticales, hanc ſelegiſti ſeu ſolemniſſimam, quod apud illos, Diabolus dicatur à *δία*, id eſt *Duo* & *Bolus* quod *morcellum* ſonat; quia Diabolus facit de homine duos bolos, vnum de corpore & vnum de animâ. Siccinè ineptientes inducis Cyriacos, Impoſtor putide? Fatebere, velis, nolis, calumniam Tuam, & ex hâc de cæteris ſit Lectori præiudicata conſecutio. Vnde expiſcatus es hanc ineptiam, quam illis affingis? Pudet Te, fateri? Hoc ego Te onere leuabo. Ab Authore Tractatus de Contemptu mundi, perperam D. Bernardo adſcripti, Teſte Combefiſio, in Apparatu ad Bibliothecam Concionatoriam, corraſiſti & emendicaſti hanc ſcurrilem ignauiam furtiuâ manu, vt Dominicanis appingas. Caue interim, anilis ſpuma, ne diabolus qui in veritate non ſtetit; qui pater eſt mendacii, faciat de Te, homine mendaciſſimo, duos bolos, vnum de corpore & alterum de anima. Opto tamen Tibi meliorem

ſortem & animum ſapientiorem, paratumque audire Cyriacum expurgantem ſolemni *capitilauio* (Tuum eſt verbum) tuam circa Græcum Idioma imperitiam.

Ille eſt Combefiſius, qui depilato capiti vellit aures in ſuo Apparatu ab Bibliothecam Patrum recens excuſo. Ipſo ſiquidem Tuarum Diatribarum putidique libelli titulo, dum Græcè ſciens videri ambis, ac Gręcâ voce Latinam reddere ſatagis aut obtegere; Græcæ literaturæ inſcitiam prodis, ne quidem rudimentario Tyrone dignam: ſanè enim Dominicanos petis. Sic enim dicere maluiſti quam Prædicatores, etſi nec Græci ab ea abhorrent voce, ac *τὴν τῶν* Κηρύκων *τάξιν* loqui amant ac ſcriptitant, nec latet quo ſucceſſu, quibus laboribus, quo fructu, cuius nomen oraculo inditum, quantis Prædicatoribus ac Apoſtolicis viris ad nos deriuatum: At Cyriacos dicere Dominicanos; quis te Grammaticus, quis λεξικογράφος docuit? Ipſe certè Dominicus Κυριακὸς, tanquam à Chriſto peculiariter qui Κύριος. Nempe Dominus eſt: vnde & Ioanni & Gregorio Theologis dicta Κυριακὴ, *Dominica*: Tibi *Dominicana* dicatur; ſitque hoc ætatis priuilegium, vt voces cudere liceat, ſeu ſignificationem mutare, quod nec Cæſari liberum. Excute iam aures hoc ſalubri *capitilauio* ablutas; ſordeſque abiice miſellæ Tuæ Græcanitatis. Imò Græcaris optimè, dum Cyriaci optimè Græciſſant. Conſule Calepinum, à quo diſces, græcari idem eſſe quod imitari Græcorum compotationes & Ludos: græciſſare autem, imitationem denotat Græcæ linguæ, Atticique Idiomatis. Inſcitiam itaque tuam græcè & Latinè hoc Paragrapho luculenter prodis, profers enim quæ non intelligis, in vtraque linguâ peregrinus.

V. Theodoretus.

Ignorantia.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Impudoratè carpit Serronum vindicantem Deiparæ honorem.

§. 75. *IMago lenibus Typis celanda, calamo tantum delineata, Fratri Serrono, Romæ pro Magiſtro S. Palatij Typographicis curis inuigilanti, oblata eſt à viro cuius laus eſt in Euangelio per quaſcumque primarias Italiæ Eccleſias. In eâ imagine, Signa cæleſtia; & in his Virgo, inter Scorpium ac Leonem media, ſpectabatur, ſuppoſitâ cuius Signo ſui Nomenclatione*, Scorpio, Virgo Leo. *Infremuit ad eius imaginis conſpectum, Serronus. Et quæ, malùm! (inquit) iſta vecordia, Virginem Deiparam, collocans inter beſtias, Scorpium, atque Leonem? Quantumcumque ingereret qui imaginem delineatam obtulerat; non Deiparam eſ Virginis Nomenclatione ſignari, ſed Signum cæleſte; homo Aſtronomiæ ſcientiſſimus, conteſtans etiam Virginem Deiparam (iuxta S. Bernardum) eſſe Signum magnum in cælo; perſtitit immotus in ſententia, nec potuit flecti, vt tantum, (ſic aiebat) Beatæ Virginis inter beſtias collocatæ probrum, ſuâ adſcriptione firmaret.*

RESPONSIO.

NVnquid Tibi ſatis eſt moleſtum eſſe hominibus, ac Cyriacis infenſũ, quia & moleſtus es Matri Dei mei? Nunquid geminato, vlciſcente buſto ſatis caſtigata in terris proteruitas Tua in Deiparam, vt & cælis appingas nouæ dehoneſtamenta impietatis? Sed nunquid ſatis proprio oneratus facinore, vt velis & in crimen tranſire alienum? Reuelabunt cæli iniquitatem Tuam, qui inter infandas & truces beſtias, Matrem Dei velles conſidere. Oblata eſt, inquis, F. Serrono Romæ pro Magiſtro S. Palatij agenti, imago typis lenibus celanda (Latinè & correctiùs, cælanda) & ſignis cæleſtibus adornata: In his Virgo inter Scorpium & Leonem media, ſpectabatur. Hìc Serronum inſimulas vltimæ ignorantiæ, eo quòd hoc ſpectaculo offenſus, B. Virginis inter belluas collocatæ probrum ſuâ

adſcriptione firmare renuerit, neſciens Virginem Deiparam à Virgine, Signo cæleſti diſtinguere. Verùm, vindice Deo publicam delapſus in foueam, habes vniuerſum orbem Chriſtianum Tuæ teſtem ignauiæ, arbitrumque prauitatis. Quis enim, putas Lector, eſt ille, quem canino dente ſic arrodit laruatus Nebulo; vt publicè ludificetur eum tanquam imperitum & infimæ ruditatis conuictum, quippe qui nequiuerit, inter Genitricem Dei & Signum cæli, aliquod ſignare diſcrimen? Illuſtriſſimus eſt ac doctiſſimus Epiſcopus, pridem Arauſicanus, nunc Mimatenſis, ex ordine Dominicanorum, ad Infulas aſſumptus poſt adeptum Theologiæ Doctoratum; qui, dum inuictiſſimus Galliæ Rex Ludouicus XIV. cum Regiâ Coniuge an. 1661. Lutetiam repeteret, Burdigalæ per aliquos dies commoratur. Interim propugnantur Theſes in Collegio Societatis, Eminentſſimo Cardinali Mazarino dicatæ; cuius ægrotantis locum & perſonam ſuſtinuit præfatus Epiſcopus, & poſt abſolutam arguentium concertationem, omnia eorum argumenta reſumens cum ſolutionibus; tantâ mentis perſpicuitate, tanto rationum pondere, adeòque profundo animi ſenſu, obiecta diſſoluit & temperauit reſponſa, vt Aquitanicus Senatus qui aderat, innumeri Aulæ Regiæ Proceres qui eò confluxerant, ipſi etiam Societatis Patres, totaque numeroſa & illuſtris corona, rediuiuum in Serrono Præſule ac Cyriaco, D. Thomam; & Angelum ore humano differentem, Doctoris Angelici placita mirabili ſubtilitate exponentem ſint demirati, ac communi applauſu proſecuti, exclamaritque vnus è Senatorio ordine, *Si tanto pretio emeretur Mæcenatis officium, pauci obirent*. Inchoatum Burdigalæ ſingularis peritiæ ſpecimen, anno ſequenti Biterris nouo apparatu conſummatur; & in Comitiis Occitaniæ Generalibus, ibi congregatis, ſimile doctrinæ ac ſapientiæ exhibuit argumentum idem Mimatenſis in Collegio etiam Societatis, Theſibus ſibi dicatis præſidens. Hoc itaque olim præfulgens Italiæ iubar, nunc Galliæ, tot obſitum tenebris à Te dum confingitur, vt nequeat Deiparam diſcernere à ſigno cæleſti, ſeu à Virgine chimericâ, & ab Aſtrologis in cælo confictâ; nunquid Te ridiculo hoc commento ridendum & exſufflandum gratis expoſuiſti?

Calumnia.

Aderat ille Romæ Socius & vices agens Magiſtri S. Pa-

latij F. Michaelis Mazarini, item Cyriaci, poſt Archiepiſcopi Aquenſis, ac demùm Patris Purpurati. Offertur illi tabella in qua depicta viſebantur ſigna cæleſtia, figuris ſuis diſtincta, & in his, inter Leonem & Scorpium Virgo ſpectabatur in habitu Virginis, habens in capite coronam ſtellarum duodecim, vlnis conplectens puerum Ieſum, & cum aliis Deiparæ characteribus expreſſa. Exploſit ille ſtatim impiam temeritatem, iuſſitque vt poſſet excudi, à Virgine, ſigno cæleſti, omnia illa Dei genitricis inſignia abradi, ne beſtiis ac monſtris Deiparam profana alluſio permiſceret. Hocne ignauiæ ſpecimen, an zeli ſapientis ac Chriſtiani illuſtre documentum?

Impietas.

At in cumulum impietatiſs Tuæ quid ſubnectis? Ingeſtum illi ab homine Aſtrologiæ ſcientiſſimo (ſed Religionis ignaro) non Deiparam eâ Virginis nomenclatione aut figurâ ſignari, ſed Signum cæleſte; conteſtante etiam iuxta Bernardum, Virginem Deipatam eſſe Signum magnum in cælo. Dic Barde, hæcne in ſenſu Literali aut Tropologico protulit Bernardus? Si Tropologico, cur ad Literalem detorques? Sit Signum B. Virgo, non oculo patens, ſed menti: non iungatur venenoſo Scorpioni, nec leoni irâ turgido, Mater pietatis. Si Signum; Signi figurâ qualis ab Aſtrologis confingitur, exprimatur. Si autem veſtitu ac fronte Virgineâ, non in medio beſtiarum, ſed in medio Sole collocetur Virgo Deipara, amicta Sole: ſtellifero cingatur diademate, ſuppoſitaque ſub pedibus eius luna, Reginam Mundi deprædicet. Si Nero, vltimum naturæ humanæ dedecus, in domum Senatoris pranſurus deſcendens, contuituſque imaginem ſuam cum imagine liberti, in eodum cubiculi ſuggeſtu appenſam, viciniam hanc & indiſcretam ſocietatem hoſpitis morte expiauit; quid meretur, qui Virginem cum inſignibus Deiparæ, belluarum figuris annectit? Eradantur itaque, inquit ſapienter Serronus, omnes Deiparæ characteres ac notæ è tabellâ illâ, omneque quod ex conjunctione cum brutis impietatem adornat & ſapit. Alias exploſum maneat infandum impiumque Programma. Hoc nobili ac patritiâ Theologicâ, ſacra à profanis ſecernentes Cyriaci, ſolidam Dei Matris gloriam, à Nebulonum Palponumque adulatione impiâ, vendicant & tuentur.

PETRVS

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Mendacio & ſcurrilitate Cyriacum Anonymum fingit Latinitatis rudem.

Euſdem farinæ eſt, quod ibidem Romæ contigit. F. Hyacinthus Pandulphus, fatebitur nihil hic affingi Dicandarum cuidam Eminentiſſimo Concluſionum conſilium inierat in meta Philoſophici curriculi, vnus quidam Marchio. Concluſionum Epigraphe hæc erat, Eminentiſſimo & Reuerendiſſimo Domino D. Ioanni Delugo &c. Marchio Petrus &c. *Luſtrās oculis eam inſcriptionem Frater Cyriacus, cuius erat Concluſiones edendi facultatem concedere, iuſsit eradi illud,* Marchio, *quod cenſebat eſſe in caſu Dandi, & pertinere ad Titulos Cardinalis. Contra morem eſt, (inquit) S. R. E. Principem,* Marchionis *Titulo donare: dicendo* Ioanni Cardinali Marchio. *At ô Bone Frater! Marchio eſt caſus Nominandi; eſtque titulus Clientis dedicantis, non Patroni Cardinalis; quem tamen Titulus* Marchionis *non plus dedeceret quam Titulus Comitis, aut Ducis. Et reipſâ inter titulos Cardinalis Franciſci Dietriſtenii, Olomucenſis Epiſcopi, hic quoque apponebatur, ſic eum compellando: Eminentiſſimo Domino D. Franciſco S. R. E. Cardinali, Epiſcopo Olomucenſi, Marchioni Morauiæ. Audin'?* Marchioni *non* Marchio. §. 76.

RESPONSIO.

GRæcam ac Hebraicam linguam citò pertæſus, quas vix delibaſti; repetis natale ſolum, Latinum Idioma, vt Grammaticulum agas; duos caſus, puta Nominatiuum & Datiuum alto Doctrinæ ſpiritu colliſurus, qui adeò infœliciter in puluere Theologico decertaſti; vt tandem triplici honoris titulo illuſtretur gloriæ Tuæ Grammaticale Trophæum; dicariſque Latinè, Græcè & Hebraicè *mendax*. *Impoſtura.* Quis enim ille, ſine nomine ac ſine ditione Marchio, vt de ore eius veritatem excerpamus? Quis ille Cyriacus Anonymus, & rei Grammaticalis ita rudis, vt *Marchio* putet in Dandi caſu ſumendum, Nominatiuo interim à iure ſuo, ſine iure & contra omne ius exturbato, quæ eſt ſum-

ma iniuſtitia? Quis denique ille Pandulphus, quem improuidâ ac turbidâ mente citas in teſtem mendacii, quemque mox nouo mendacio velut hoſtem, eras inuaſurus? Dicet
Mendacia. Pandulphus, Te ex vtroque Mendacem impudoratum, iuratum Nebulonem. Cæterùm grauis illa & digna eſt tanto Scriptore Diſſertatio huic Paragrapho clauſuram imponens; quâ dum explodendæ erant Cyriacorum nugæ ac gerræ; vt in ipſo huius Diatribæ veſtibulo pollicitus fueras, ſaltitas extra Chorum, nugariſque ipſe ſolemniter, in-
Scurrilitas. quirens an Titulo Cardinalis, ſociandi veniant alii peregrini Tituli, velut, *Marchionis*: Cur potiùs ſocietatem patiatur Comitatus ac Ducatus Eminentia purpuræ, quàm Marchionatus; accitis ex vltimo Septemtrione probationibus, ipſâque Poloniâ ſubminiſtrante exempla: Tantæ molis erat, agentem aduerſus Dominicanos, excutere Titulorum diuerſitatem, maieſtatem, præcellentiam, commercium Grammaticali lance. Bone homo! quàm Te agnoſco ſimilem Domitiano, ablegatâ curâ Imperii deſertâque grauiori militiâ, captandis muſcis imperialiter occupato! Petre, dic vera, vt credamus: dic ſolida vt reſpondeamus: dic ſeria; vt non rideamus nugas & fabellas eiuſdem farinæ cum iſtâ & cum ſequenti. *Si ridebitur, materiis ipſis ſatisfiet. Multa ſunt ſic digna reuinci, ne grauitate adorentur. Vanitati propriè feſtiuitas cedit. Congruit & veritati ridere, quia latans; de amulis ſuis ludere quia ſecura eſt. Curandũm planè ne riſus eius rideatur, ſi fuerit indignus. Cæterum vbicumque dignus riſus, officium eſt.* Tert. c. 6. in Valent.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Nouo Commento ridet Pandulphum, ſeu ad vocem *dogmatis* ſtupentem.

§. 77. *Non ita multo poſt, ibidem Romæ, laudatus proxime F. Hyacinthus Pandulphus, cum recognoſceret ſcriptionem aduerſus Dogma Ianſenii; iuſſit eradi vocem* dogmatis, *quia vt magnus hic Doctor aiebat, ea vox non poteſt adhiberi, niſi ad ſignificandam aſſertionem Catholicam; qualis non erat quæ in Ianſenio refellebatur. Hoc fecit Pandulphus, non*

quia de Ianſenio pertineret ad eum, quem Cyriaci habent pro collactaneo, ſed ne ſcriptum illud abiret intactum & expers ſugillationis. At poterat ſcire, S. Cyrillum ſcripſiſſe librum hoc titulo, Dogmata Neſtorii. *Num Neſtorius ſancto Cyrillo eſt Catholicus?*

RESPONSIO.

PRimo paſſu cæſpitare, lymphatæ aut turbatæ mentis non leue argumentum. Sic incipis: Non ita multo poſt; ſeu quod idem eſt, poſt præfatum tempus; qui tamen in præcedenti Paragrapho nullum planè tempus coarctaras. Citaſti quidem Hyacinthum Pandulphum; ſed alios eiuſdem nominis & cognominis, habuit Roma vetus & recens, nec Cardinalis de Lugo ſimplex inſcriptio, certum annum deſignat, quia plures duxit etiam ſub Purpurâ. Condonanda tamen hæc hallucinatio, aut veriùs oſcitatio ſupina, circulanti ac vacillanti cerebello. Quid enim mirum ſi in tantâ euagantis animi commotione, neſcius quid diceret, dixit quæ non probaret, & quæ ſola expoſitione, ceu nugatoria & fabuloſa reuincuntur? Quis enim Lector tam hebes, qui intelligentiam & vim vocabuli *dogma* credat effugiſſe Pandulphum, examinandis libris quibuſcumque, Auctorum Dogmatibus ſeuerè excutiendis in Vrbe Almâ præpoſitum, ac aſſiduo labore incumbentem? Talia certè Apologiam non merentur, ſed riſum. Sicut illud quod iam ſupra exſufflatum eſt & calumniæ conuictum, Cyriacos Ianſeniſtis eſſe collactaneos. *Mendacium.*

Tu certè mordax Gerro, nulli es collactaneus. Collactanei ſunt omnes quadrupedum & reptantium qui ex ouis non educuntur, fœtus; vno duntaxat excepto, viperino vltimo partu. Porant ex eodem Matris lacte catuli leonum, luporum, tygridum, imò & viperarum, qui vix nati ad materna vbera conuolant, vt vitali hoc liquore foueantur, fuſo ex ore aut vbere. Vipera enim ore concipit, ore parit, oreque fouet pullos recens natos, qui materno flatu, veluti lactis vicario focillati, inuenirentur ſine lacte collactanei: tamen vltimus viperæ fœtus collactaneum fratrem non patitur, nec de materno ore ſugit lac euaporatum, flatumque vitalem; quia in ipſo partu matricida, vitam quam naſcens à matre accipit; matri aufert, tarditatis impatiens, & late-

ra eius diſrumpens; ſicque interfectâ genitrice, cuius lacte nequit potari, ſeu flatu foueri, impedit ne & alii potent; vnde collactaueum nullum habet, imò neque ſæpè fratrem, quem venenato dente non percellat; à communi Matre auſpicatus fraternas cædes, & à fratribus alienas. Viperina Tibi natalitia, Petre; nullum pateris collactaneum, quia, vt fama eſt, euiſceraſti matrem Tuam, impediens hoc auſu cruento, ne Te ipſa lactaret, nec Germanos Tuos natu maiores; quos viperino flatu inſecutus, non mirùm ſi quos ſummè oderis Cyriacos. voces collactaneos, horrens quoſcumque videris eodem lacte, licet puriſſimo focillari, qui in cæde maternâ, Tibi, iiſque qui Tibi futuri erant collactanei, crudeli & impio æſtu, viuificum lac præripuiſti. Fallor, collactaneum Te Beghinis & Valdenſibus, ſeu Albigenſibus in multis exhibes; in aliis, Maſſilienſibus, ſeu Semipelagianis, qui ortus es ab illis ſecundum carnem; ab his ſecundum ſpiritum, vt infra Lectori patebit. Quo fit vt Gratiæ hoſtis, hæreticis collactaneos indigites, quoſcumque videris pretioſo ac liberè decurrẽte Gratiæ lacte epotari.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Richardium inſcitiæ inſimulat, Theologicæ rei ipſemet rudis.

§. 78. *Actus eodem ſpiritu, Cyriacorum Triſmegiſtus Nicolaus Ricardius, clarus præſertim in Eccleſiaſtica hiſtoriá, emiſſo tomo vno ſex circiter pagellarum, in quam minima fieri poteſt formà, (24. appellant;) de geſtis in Tridentinâ Synodo, cum aliquis in ſcriptione ad recognoſcendum oblata, dixiſſet de Magno Conſtantino Auguſto, malè S. Athanaſium tractante*, Conſtantine fidem petis, cum Athanaſium inſequeris; *petitionem Fidei interpretatus poſtulationem Initiationis in Chriſtianum, iuſſit ea verba expungi, tanquam ſordentia Anachroniſmo, eoquod Conſtantinus quando S. Athanaſium inſequebatur, iam eſſet imbutus noſtris* Myſteriis, *& inter Fideles cooptatus; ac proinde non expeteret fidei noſtræ doctrina imbui, ac Fidelibus accenſeri. Hanc ſupinitatem, iſte & alii proximè adducti præſtitere Romæ in Theatro orbis ampliſsimo, in oculis Pontifici & Purpuratorum Principum. Es quos orbis*

Habet Doctrinæ Arbitros & librorum in Catholicâ Eccleſiâ Recognitores atque Cenſores, quorum iudiciis ſtent aut cadant Lucubrationes peritorum, ad eos Æacos, nulli innocentiam debentes, vndecunque delata; qui quicquid per ignorantiam aut ſubitum æſtum ſemel dixerint, irretractabiliter eſt exequendum. Nam maiores ſurdi ſunt ad omnes reclamationes, nec eſt qui de eorum iudiciis ad incudem reuocandis cura aliqua tangatur.

RESPONSIO.

ADuerſus *Monſtrum*, reſumptis poſt turpem caſum viribus, iteratò pugnaturus exurgit Hercules *Gallo-Sabaudus*, nec fœliciori tamen euentu. Scimus quidem Petre Te laborare morbo inſanabili, vago ſcribendi pruritu; nec curas quam benè ſcribas, ſed quantum; numero fructuum Tuorum delectaris, non ſapore aut guſtu, de Teque ſolo dictum volumus, quod *in multiloquio non deerit peccatum*; plura peccat, qui plura ſcribit (& vt Tibi morem geram, habeamque Te in hac parte ducem dum Latinis Gallica, puerili ſolertiâ, & momicâ dexteritate infarcis, qui nec Gallus nec Latinus es, vtriſque tamen conterminus, quia Inalpinus) *fat comme vn faiſeur de liures*. Quod non incongruè verteretur; *fatuum oſtendit, nimia ſcribendi auiditas*. Iuxta hoc ſolemne effatum, adeò infœliciter ac ſiniſtrè criminandi anſas arripis, vt id potiſſimum Richardio deeſſe arguas, quo ille maximè antecellit, paucis multa complexus; & eâ re ei inuidiam conflare ſtudeas, quâ ſibi Sapientum publicam commendationem, & quaſi venerationem commeruit; compendioſâ ſcriptione immenſam geſtorum in Concilio Tridentino molem expenſurus, niſi mors compendioſiùs ſuſtuliſſet viuam Flori imaginem, antiquæ Romæ hiſtoriam breuiculâ deſcriptione explanantis; vnde apud alios longè inferiores, effuſo garritu ac importunâ verboſitate, numeroſa voluminum ſylua ſuccreuit. Vilia, ad nauſeam fœcunda; pretioſos fœtus raritas ipſa commendat. Illi eloquentia contigit, Tibi loquentia: Illi compendiaria eruditio, Tibi verboſa inanitas & garrulitas imperita; quæ nuſquam ſe luculentiùs prodidit, quam cum eidem Sacri Palatii Magiſtro miſerculum lubricantis animulæ Tuæ partum affingis; chimericum Tibi fabrica-

tus hoſtem, vt fictum inſequaris Richardium, qui verum times, nec in quo, quid ſugilles inuenis.

Duplex hominum genus remouit à teſtificandi honeſtate publicâ lex ciuilis; Hiſtriones ac Falſarios. Hos quidem, quia Fidem ſemel eiurarunt falſo teſtimonio; illos quia corruperunt nugacitate perpetuâ. Improbata itaque manet ex præiudicatâ ineptitudine, Ludionum & Falſariorum fides. Quâ ergò temeritate, Tibi fidem adhibendam inculcas, qui Ludionem vbique agis, & Falſarii pœnas toties in hoc opere dediſti? Quaſi verò Richardius (cui viuaciſſimum & eruditiſſimum ingenii acumen, cæteris præſtans, *Monſtri* ac *Triſmegiſti* nomen promeruit) adeò ſupinâ hebetudine Conſtantinum inter fideles cooptari optantem adduxerit, cum Imperatori exprobrabatur; *Conſtantine petis fidem dum Athanaſium inſequeris*: Perſuaſus, petere Fidem, idem eſſe ac poſtulare Fidem, cum ibi de petitâ ſeu vellicatâ Fide ſermo currat. Huius Tu, pro ſolito fingendi more, commenti artifex, Romæ Scenam inſtauras Comici euentûs. Ampliſſimum orbis Theatrum aſcendis, vt Romanos Proceres & Principes Purpuratos, teſtes habeas, non ſolùm præſumptæ & à Te confictæ ignauiæ ac ſupinitatis Magiſtri S. Palatii; ſed & imputandæ Supremo Pontifici conniuentiæ, ac neglecti Pontificatus; qui intra Aulam & Palatium ſuum, Domeſticum inter primarios ſacræ Sedis Adminiſtrum; Concluſionum ac Librorum Examini præfectum; Cenſoremque concionum omnium quæ coram Pontifice recitantur, tandiu paſſus fuerit virum monſtroſâ ignauiâ, hebetudine ſupinâ horrendum.

Irreligio. Quâ enim exceptione ſupremus Eccleſiæ Hierarcha querelâ repelleret, quam in hoc Paragrapho Pſeudo-Petrus Hæreticis ſubminiſtrat, dum illi obtrudent: *En quos* Te vidente Te annuente, Te iubente, *orbis Chriſtianus habet Doctrinæ Arbitros, librorum in Catholicâ Eccleſiâ Recognitores atque Cenſores, quorum iudicio ſtent aut cadant Lucubrationes peritorum, ad eos Æacos, nulli innocentiam debentes, delata.* Sicque vibrata in Richardium petulans & iniuſta quiritatio, obliquo ictu in Pontificem contorquetur. Petre Fidem petis Tu ipſe, dum Richardium inſequeris, & in Richardio, ſupremum Fidei Arbitrum. At dum Fidem petis, fidem à Te petimus rei obtruſæ: fidem Tuam petimus, carioſam,

putreſcentem, nullam. Quàm ergò vlciſcente Numine in tuum caput juſtè protuliſti, Cyriacos indigitans Æacos ſeu incorruptos Inferorum Iudices, pœnis infernalium Scriptorum præpoſitos, quos à debitâ fulminantis Cenſuræ inflictione dimouere non potuerunt, perſonatus Platonis noui Hypparchus, nec mordacia Eraſmico dente Eteromata, nec conſimilis Authori ſuo Religio beſtiarum: nec etiam Pſeudo-Martyrium pro peſte ſuſceptum. Surdi enim ſunt (Tuis te configo telis & verbis obtero) ad omnes reclamationes Erebicæ prauitatis. Nec eſt cur de eorum Iudiciis ad incudem reuocandis cura aliquem Maiorum tangere debeat: cùm nihil vnquàm inuentum ſit, quod per ignorantiam aut ſubitum æſtum dixerint: & aliunde irretractabiliter exequentes quod ſemel protulere: ſicque dum in cælum ſpuit ſtultus, ſputo in caput eius recidente conſpurcatur.

—Tuaſque
Æacus in pœnas, ingenioſus erit. *Ouid.*

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Candidum carpit quod repuliſſet negantem Filium eſſe ſimilem Patri in Diuinis.

D*E alio inter Romanos Scriptorum Maſtygas, non dixeris* Hic niger eſt, hunc tu Romane caueto, *cùm ſit totus Candidus. Eius tanta eſt ſapientia, vt aliquando repulerit Baptiſtam Giatinum inſignem planè & Theologum & Philoſophum, ab omnigenâ literaturâ inſtructiſſimum. Repulit autem, quod nollet fateri,* Filium in diuinis, eſſe Patri ſimilem in naturâ. *Hoc perinde eſt, ac ſi diceretur; Roma a primario è Pontificiis circa ſacram doctrinam Adminiſtris, repulſum eſſe inſignem Theologum, eo quod refugeret ſubſcribere Hæreſi Semi-Arianorum, cuſa à magno Diaboli emiſſario, Euſebio Nicomedienſi; qui vt excluderet* ὁμόιον *Catholicorum, (referente Niceta Coniate, lib. 7. Theſau. c. 12.) ſubinduxit vocem admodum affinem; vnico quidem, eoque minutiſſimo elemento literario grandiorem; ſed tamen deteſtabiliter impiam, & Hæreſi nefariâ ſordentem; ideoque Conſtantio Imperatori Catholicæ veritatis indefeſſo hoſti, probatam, nempe* §. 79.

ὁμοιούσιον qua vox Latinè ſonat ſimilem in naturâ, qualem dici Filium per comparationem ad æternum Patrem volebat is, quem dixi, Candidus Cyriacus; à quo Giatinus, quod eodem modo blaſphemare nollet, repulſus eſt. Adeone albet & candicat primarij Cyriaci, alienorum ſcriptorum Iudicis ſapientia? Malitiam veriſimile eſt abfuiſſe, ſed ignorantia tegi non poteſt.

RESPONSIO.

ALbedo, lucis micans filia; tenebrarum obſcura proles, nigredo. Habet quælibet famulantes ſibi auiculas, quas colorum oppoſitus fulgor diſcriminat. Albæ, vt plurimùm, velut Columbæ, Cygni, orientales Aquilæ ſubalbicantes, lucem ſequuntur & amant, quam horrent aues, ideò dictæ *Lucifugæ*, velut Noctuæ, Veſpertiliones; quamque nec niſi crociendo patiuntur Corui, qui implumes fœtus ſuos, quia ſub primâ lanugine per dies quindecim albeſcunt, abdicant & committunt Deo alendos; nec cibant eos donec furuo veſtiantur operimento. Crocitas Petre, & Coruum Te colore & cantu prodis, aut Veſpertilionem Lucifugum dum Candorem times & Candidum ſugillas, caliginoſorum librorum ac furuorum Scriptorum Romanum Vindicem. Hunc ergò Tu tetro obuolutus colore, & animo tetriore compactus, caueto, cùm ſit totus Candidus, nec poſſint Solis lucem ferre Noctuæ; aut intueri columbæ candorem, ſine queſtu Corui. Huius S Palatij Magiſtri ſi dicta, facta, ſcripta, omniaque vitæ mortalis momenta æquâ lance librentur, eiſque adſcribendum ſit nomen; *Maſſa Candida* vocabuntur, vt olim numeroſa Martyrum cohors Deo immolata.

Inſculptam tamen eius Candori tabem ſubmurmurat imbellis Ariſtarchus, eòquòd Giatinum quemdam, Pſeudo-Petro inſignem Theologum, acriùs vellicarit, quia Filium in Diuinis, Patri ſimilem in natura fateri recuſaret; nolletque Hæreſi Semi-Arianorum ſubſcribere, qui Filium Patri ὁμοιούσιον non ὁμοούσιον ſimilem, non eumdem in naturâ dictitabant. Verùm cùm ſolemni Impoſtore agentes, petimus pro more ſolito, fidem Tuam teſtibus obſignari. Quæſtio facti proponitur; Teſtibus & Auctoribus eſt probanda, & donec adduxeris, ſilentio ac con-

ſemptu, recurrentes paſſim ineptias Tuas explodemus. Erubeſcunt Iureconſulti, etiam dum vera proferunt, ſine lege loqui; Tu verò Mendaciorum contextor indefeſſe, non erubeſcis ſine Teſte loqui? Dum itaque fidei Tuæ obſidem inquires, nos Lectori beneuolo in hâc parte ſatisfactum volumus, gratuitâ tamen nec neceſſariâ ſolutione propoſitum Lemma diſſoluentes pro defenſione Candidi.

Diſtingue tempora, & quæſtio eſt expedita ac ſoluta difficultas, inquit Auguſtinus: quod enim vno tempore vetat Eccleſia, alio relaxat & iubet. Periti in hiſtoriâ Eccleſiaſticâ, & Baronio familiares, ſciunt quòd olim, maximè ſæculo 4. dum vigebat Arianiſmus, abhorrebant Latini Patres, ceu hæreticum dogma, agnoſcere tres Hypoſtaſes in Diuinis, ſicut fatebantur tres Perſonas: Quia, inquit Baronius. Hypoſtaſis apud illos videbatur ſignificare ſubſtantiam; Latini autem nullam agnoſcebant differentiam inter *eſſentiam & ſubſtantiam*: vt rectè diſputat Auguſtinus: Sicque dum vigebat illa Hypoſtaſeos notio, recuſabant Latini dicere tres Hypoſtaſes, ne viderentur admittere tres ſubſtantias, & eſſentias in diuinis, in quo ſitus erat nefandus error. At cùm exoleuit illa hæreſis, peruaſitque Fidelium animos vera ſubſtantiæ ſeu eſſentiæ ab Hypoſtaſis nomine diſtinctio, nihil vſitatiùs apud Catholicos Doctores, etiam Latinos, quàm nomen Hypoſtaſis & trium Hypoſtaſeon profeſſio. Quod qui iam negaret, vnamque tantum admitteret Hypoſtaſim in Deo, ſicut vnam tantum admittimus eſſentiam & ſubſtantiam, Hæreticus haberetur. Par eſt de propoſitâ quæſtione habenda æſtimatio. Dum colluctabantur Fideles cum Arianis, qui negabant Chriſtum eſſe Filium Dei naturalem, & tantùm adoptiuum admittebant: ſimilem in naturâ, ſed non conſubſtantialem; ὁμοιούσιον ſed non ὁμούσιον argumentum erat dogmatis hæretici, dicere ſimpliciter illum eſſe Patri ſimilem, quia tunc tali notione ac nomenclatione, excludebatur Conſubſtantialitas. Hoc itaque damnatum contra Semi-Arianos, quorum Anteſignanus erat Euſebius Nicomedienſis; proque illâ ſolitariâ ſimilitudine explodendâ, ſtrenuè decertarunt Fidei pugiles. At ſepulto cum fautoribus Semi-Arianiſmo, admiſſâque ab omnibus Conſubſtantialitate Filij cum Patre, in toto or-

An. 362. n. 43.

L. 5. de Trini. c. 8. n. 9.

be Chriſtiano; ex tunc licitum fuit, imò & neceſſarium, Similitudinem (quæ Conſubſtantialitatem inuoluit) admittere, docere, prædicare, vt ipſa confeſſio Similitudinis, eſſet profeſſio & confirmatio Conſubſtantialitatis & Filiationis naturalis Verbi; quia iuxta effatum Philoſophicum, ab omnibus Theologis receptum, Generatio eſt origo viuentis à viuente coniunctoin ſimilitudinem naturæ. Qui ergò apud Fideles nunc negaret Verbum eſſe ſimile Patri, negaret & procedere in ſimilitudinem naturæ, & conſequenter diceret non generari nec eſſe Filium naturalem.

Debûit igitur Magiſter S. Palatij, vitum hoc noſtro ſæculo recuſantem fateri Filium in Diuinis eſſe ſimilem Patri, non ſolùm repellere, ſed & grauiori inurere notâ; Teque qui illum defendis, non albo, quia niger es; ſed lapillo nigro, tetrâque Cenſurâ notaret, ſi viueret; adeo albet & candicat Candidi Primatij Cyriaci alienorum Scriptorum Iudicis ac Cenſoris ſapientia. Nos autem indulgemus infirmitati Tuæ; veriſimile putamus, à Te in hoc abeſſe malitiam, ſed horrenda ignorantia tegi nequit

1. p. q. 27. a. 2. & alibi. aut excuſari: Omnes enim Theologi poſt D. Thomam, Filium ſimilem Patri dicunt. Vnde Te remitto ad Suarem

Inſcitia. Societatis Scriptorem, qui propudioſam inſcitiam Tuam,

L. 9. de Trin. c. 1. n. 5. ceu Hæreſi ſordentem, cenſorio ſtigmate excipiet. [Quoad hanc partem nulla eſt inter Catholicos difficultas. Hæreticus ergò qui reclamat. Probatur; quia per illam Proceſſionem formaliter communicatur ſecundæ Perſonæ natura Diuina, vt intellectualis eſt, & vt tenens ſupremam excellentiam in illo gradu, quia communicatur vt eſt ipſum intelligere per eſſentiam, vt conſtat ex dictis in l. 1. & in ſequentibus capitibus latiùs dicetur. Sed perfecta & formalis *Aſſimilatio* Geniti conſiſtit in receptione eiuſdem naturæ, ſecundum proprium gradum ſpecialem eius, vt per ſe conſtat: Ergò in hâc Proceſſione eſt *Aſſimilatio* ad Generationem ſufficientiſſimam.] Audiſti Petre? Quid ergò Theologica tractas ſi non intelligis?

Ouid. *Ridebit chorus Aonidum, ridebit Apollo,*
Si quis plectra rudi tanget eburna manu.

Quis non miretur Athletam in celeberrimum & doctiſſimum Ordinem immitti, ad hanc palæſtram imparatiſſimum; qui latret debilitate catuli, mordacitate moloſſi, veneno plenus, ſcientiâ vacuus & iners?

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Ludicrè ſugillat Cyriacum Anonymum, arguentem Bellarminum circa Eleemoſinam.

QVis verò ille fuit, qui Bellarminum adegerit ad lituram, quia dixerat diuites teneri Eleemoſynam erogare, *ſiue* poſcere Eleemoſinam; *quod cenſebat ſignari voce* erogationis? *Idem ſuruus ac niger, nec albus niſi prout Æthiopes vocantur* Argentei, *obſirmatè tenuit admittere, Chriſtum de potentiâ abſolutâ, potuiſſe in Eccleſiâ inſtituere duos, qui ſimul gererent Vicariam Chriſti præfecturam; vt erant Conſules, quâ obſirmatione, quid imperitius? Volebat etiam agnoſci, B. Virginem fuiſſe præſidem in Concilio Hieroſolimitano; & Authorem qui id negarat, voluit ad id è ſuo libro expugendum adigere: quæ eſt aſſertio periculoſa & apta ad muniendam viam primatus Elizabethæ Angelicanæ in Eccleſiam.* §. 80.

RESPONSIO.

ADeò intima ac radicitùs inſita ſunt homini virtutum ſemina, vt digladiante aduerſus ſęmetipſum animo, nutabundus titubet in limine cuiuſque operis praui, nec niſi tremulus audeat foras mittere malum quod intùs concepit. Pendulum Te video, Petre, in ipſo Paragraphi veſtibulo. Velis, nolis, ſecreta cogitationum pugna ſe prodit: nec impudorato ſat frontis, niſi dimidiatum effutire mendacium. Imperat Tibi veſanus & antiquus liuor moliri aliquid quod in Cyriaci Ordinis vergat opprobrium. *Commentum. 3.* Tria ex nutu interioris tyranni illicò cuduntur figmenta; reuocat tamen à cœpto timor aut pudor: calumniam enim fabricatus triſulcam, reatum triplicem inſonti affingis, nec tamen audes proprio interpellare nomine Reum: imò nec dicis Cyriacum; licet in Cyriacos tantùm probroſum fulmen intorqueas. Dubitabundus inquiris quis adegerit Bellarminum ad lituram, quaſi debitum indixerit diuitibus petendi Eleemoſinam, qui adſtrictos probarat ad

Eleemoſinam erogandam ; confuſis indiſcretè ſignificationibus, exiſtimans Cenſor imperitus idem eſſe *erogare* ac *poſcere*. Cùm inquiras, quis ille adeò turpiter oſcitans? proculdubio non agnoſcis eum ; ſi enim dignoſceres, non inquireres. Voluiſti vno ictu trinam impingere notam Cyriacis ; ſed an Cyriacorum aliquis aut quiuis alius ſit impetendus, Te ignorare fateris, dum Authorem culpæ quam vrges, palabundus quæris & inueſtigas. Cur ergò quem neſcis prætenſi ſceleris reum, probroſo (velut Cyriacum) Programmati appendis, dum ignoras? Si quis in teſtimonium vocatus homicidij recens patrati, conueniret Iudicem, & teſtificationem ſuam his verbis conciperet, Teſtis ſum quod talis occiſus eſt ; Quæro autem à vobis quis eum occiderit? Nunquid flatu, riſu, pede, pugno exploderetur ridendus Nebulo? Tentas Petre, infuſcare Dominicanos ex triplici capite ; Hoc dicis, hoc ventilas, hoc promittis Te nunc euicturum ; fateris autem Te ignorare an Dominicani ſint ob ea culpandi, cum quæras & inquiras quis ſcelus admiſerit.

Dicam Tibi ego & indicabo reatûs Authorem ex omnibus & ſingulis notulis, quibus eum, clauſis quidem oculis, ſed oculatâ manu obſignaſti. Reuelabo nomen, ſingulaque perſonæ, loci, ſortis inſignia exponam. Quis ergò ille? *Miramolinus* Ægypti. Rides & ſubſannas, caput obliquans? Vera dico. Nunquid ille deſcripto à Te apparatu incedit? Inquiramus. Furuum dicis reum ac nigrum ; furuus quoque ac niger Miramolinus, quia Ægyptij nigerrimo tincti colore. Author ſceleris iuxta Te, albus tantùm ſecundùm dentes: & ex illâ ſolùm parte albeſcunt Ægyptij. Denique ille, iuxta Te, argenteus ſicut Æthiopes, & iſte pariter, quia Ægyptus concolor & contermina ſatis Æthiopiæ. Miramolinus ergò eſt, quem Tu quæris, & ego tibi illum demonſtro, vt in eum aperto ore debaccheris. Siccinè Nebulo ludificas Lectores orbemque Chriſtianum inhonorando Ordini religioſo, furente œſtro imminens ; quem dum criminaris, abſoluis? Criminaris ; triplicis reatus eum inſimulans ; & abſoluis dum inquirendo de Authore, fateris Te ignorare Authorem.

Error fuerat Typographi, pro *Erogare*, apponentis *rogare*: Rogare autem idem eſt quod poſcere ; vnde & prudens Cenſura reſtitutionem omiſſæ literæ quæ oppoſitum red-

dit ſenſum, imperauit; nouoque prælo correctus error primi præli, adigebar, non ad rogandam ſed ad erogandam Eleemoſinam. Eâdem prudentiâ ac religione, conſtanter prohibuit emitti in publicam lucem, ſcandaloſam illam Theſim, quæ diuellens Sedem Apoſtolicam à ſeipsâ, diuiſionemque in ſummâ vnitate poſſibilem irreligioſo auſu inſinuans, Monarchiæ Sacræ ſtatum videbatur conuellere, & ex obtruſo exemplo Conſulum Romanorum ſimul imperantium, duplex, Eccleſiæ quæ vnica eſt, caput implantare. Attende ergò Ludio perſonate ad pedes tuos, præceps enim cadis in muſcipulam, quam in primâ Diatribâ Ianſeniſtis tetenderas, inuectus in Combefiſium de duplici Eccleſiæ capite. Videmus artem tuam. Statum Sacrum & Monarchicum Romæ Chriſtianæ, velles in ſtatum Ariſtocraticum & Conſularem Romæ Ethnicæ & Infidelis commutare.

Quæſtio illa nec primo mentis ictu delibanda foret, quanto minùs prælo cudenda? Verùm qui à nugacitate incœperas, ſcandalo metiris progreſſum, deſiturus in impietatem; dum vt & ad malitiæ & procacitatis tuæ cumulum, Matrem Dei canino dente percellas; in Concilio Hieroſolymitano præſidentem exponis; vt ſic Elizabethæ in Anglia principanti eam æquiparares, & (vt cætera taceam, quæ impudentiam aggrauant) Virginem Deiparam exæquares Reginæ Hæreticæ: Conciliumque primum Oecumenicum ac Apoſtolicum, Synagogæ Caluinianæ. Periculum imminere timebas, ne ſi B. Virgo præeſſet Concilio, ius viaque ſterneretur Elizabethæ ad primatum Eccleſiæ Anglicanæ. Vbi mens, delire ſenex? Vbi pudor? Vbi Religio? Proculdubio cadis, & per deuium reuolutus ſcopulum, nequis retinere te, quin ad imum præcipitij deuoluaris. Ab infamatione Cyriacorum, qui adhuc inter viuos agunt, ad mortuorum infamationem progreſſus es; inde in Sanctos procax, Matrem Dei etiam ſæpius vellicaſti: ita vt ad ima tendenti, nihil amplius ſuperſit niſi vt ipſum Dei Filium, Chriſtum Dominum irreuerenter & impudoratè conſpurces: quod & intra duos paragraphos tentabis, vbi de Samaritanâ erit ſermo. *Impietas.*

Diſce Nebulo exors omnis ſcientiæ, pudoris ac Religionis: Chriſto in cælum aſcendente, Matreque eius in

terris ſuperſtite pro inſtructione, & ſolatio Fidelium; quamuis Iudiciaria poteſtas, ſummuſque Pontificatus in vno Petro, vnico Chriſti Vicario reſideret tamen in quauis ſocietate ac cœtu Apoſtolorum & Fidelium, quem Deipara, ſanctiſſimâ ſuâ præſentiâ illuſtrauit, fouit ac conſecrauit, primarium dignitatis ac honoris locum, nullus eſt qui libero ac effuſo corde venerabundus, ei non obtulerit. Cæterùm, quare nos celas nomen præcelſi illius Cyriaci, quem infuſcandum ſuſceperas? Scientiam ille & eruditionem ſuam teſtatus eſt dum injunxit lituram eius quod ignoranter irrepſerat; prudentiam, in præfocatione temerarii auſus circa poſſibilitatem diuiſionis Sedis Apoſtolicæ à ſe ipsâ; zelumque intrepidum in tuendâ præcellentiâ dignitatis Deiparæ, quam Palpo irreligioſus ſubripere ei tentauit. Gratitudinis igitur publicæ causâ, hoc eius tumulo Epitaphium appendamus. *Æternum meruit Anonymus nomen, dignitatis Virginis Deiparæ, ac vnitatis Sedis Apoſtolicæ propugnator inuictus.*

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Vellicat R. P. Marinum circa Communionem in die Paraſceues.

§. 81. *CRiminatus acriter eſt Ioannem Sancium, Ioannes Baptiſta de Marinis, quod dixiſſet, fas eſſe communicare feria VI. in Paraſceue: quod Cenſor ille contendebat eſſe contra Canones, interdicentes celebratione Sacramentorum eâ die, vt videre eſt* cap. Sabbato *de Conſecrat. diſt. 3. & in Concilio Rothomagenſi apud Ordericum Vitalem. l. 4. Hiſtor. Normannor Verùm hic homo Marinus & alter piſcis* Colaus, *præ ſacræ Latinitatis ruditate, non aduertit, per* celebrationem Sacramentorum, *in Canonibus non ſignificari perceptionem: Vade opus S. Ambroſij de Chriſtiani ſacrificij confectione, inſcribitur* de Sacramentis: *Et opus de Ritu Miſſæ à S. Gregorio exaratum, inſcribitur,* Sacramentarium: *Cæteroqui, qui negarit fas eſſe percipere Euchariſtiam feria VI. in paraſceuè, ſuam inſcitiam prodet; quaſi non legerit S. Gregorium qui de ritu Officij feria VI. in Paraſceue agens, ſic præſcripſit:*

Communicent omnes cum ſilentio: Et expleta ſunt vniuerſa. *Ioannes Lorinus, qui paulo meliùs, quam F Ioannes Marinus euoluerat Canones, & ſcita Pontificum ac Conciliorum, ſemper dum vixit, paſtus cœleſti cibo eſt ea ſextâ feriâ. Item Robertus de Abruſcellis fundator Cœtus Fondebraldenſis, vir Sanctitatis eximiæ, nec ſacra doctrina rudis, vt eius Acta nuper edita produnt, imò Doctor Pariſienſis egregius, maximi ſuo tempore nominis, ſacram Communionem ſuis edixit ea die obeundam. Et Cœnomanis Parœcia integra, dicta die ſatisfacit Communionis Paſchalis præcepto, ex vſu antiquo. Contigit hoc Fratri Marino, ſecundum conſuetudinem ignorantium: quia dedignatus erat conſulere Suarem tom. 3. 3. p. q. 80. ſect. 2. Vaſquem 3. p. d. 232. n. 21. Et Scortiam. l. 4. de Miſſa c. 29. n. 10. ſed eos Authores, Frater Marinus & Minerui, non euoluunt, quippe alienos à Prædeterminatione ineluctabili, & à Ianſenianis.*

RESPONSIO.

COmmuni omnium ſæculorum ludibrio & odio proſequendus Caius Cæſar, ominum delectabatur infamiâ, ſæuiturus in omnes. Ridebat ſingulos, ipſe materia riſus benigniſſima, inquit Seneca, duoſque (quorum Author erat) paruulos codices ſecum ſemper deferebat, teſte Suetonio. Vni nomen *Pugio*, *Gladius* alteri. Illi inſcripta erant nomina eorum qui inhonoratione aut exilio inſontibus inflicto, exſaturabant furorem Principis. Exhibebat iſte, capitali ſupplicio excipiendos. Vtriuſque huius voluminis aſſiduus Lector Caius Caligula. Bipartitus, Petre, eſt famoſus ille Codex Tuus, & in vno corpore biceps. Vni *Pugionis* nomen impono, quo pupugiſti & cruento dente momordiſti omnes ferè Cœtus religioſos; Minimos, Carmelitas, Auguſtinianos, Minoritas, Benedictinos, Carthuſienſes. Hi *pugione* puncti & vellicati, effugêre aciem *gladij* mortem intorquentis; quem experti ſunt ſingulatim Dominicani in libro Mortis apud Te conſcripti; ptimamque occupat ſedem Codicis funerej, Ordinis Præpoſitus Generalis R. P. de Marinis, quem non irâ frendens, non furore percitus: ſed actus in Rabiem diſcerpis, mactas, exenteras. Cur ſic? Triplex huic ferinæ excandeſcentiæ cauſa notatur. Quod enim à Beghinis & Valdenſibus Inal-

C. 49.

Mordacitas.

pinis, Albigenſium ſequacibus & filiis, ortum traxeris ſecundum carnem: hæres ſecundum ſpiritum, paterni odij in D. Dominicum, Albigenſium Hæreticorum præfocatorem inuictum: furorem ſpiras Tibi congenitum, in alumnos eius & præſertim in R. P. de Marinis, loco, dignitati & zelo eius ſuffectum: Pantheræ inſtar, quæ ſummè infenſa homini cui nocere nequit, imaginem eius, ſeu in tabellâ, ſeu in ſpeculo relucentem, fruſtatim concidit.

Nouam alij rationem aſſignant, ab ipſomet quo æſtuas furore deſumptam. Notum enim eſt Medicis, quod dico. Acti in rapiem homines, aquam horrent, aquam timent, & ad ipſum Maris nomen, frendent & tabeſcunt. Quid ergò mirum, qui iratus ſæuis in Extraneos, rabioſus in Cyriacos quoſque: ſi dum ad Caput eorum ventum eſt, fluctuſque *Marinos*; horreas, palleſcas, incandeſcas? Nec Tu potuiſti effugere quam horrebas aquam, perſequendo *Colao*, vt inquis, piſci *Marino* intentus. Ex quo tertiam Tumet ipſe brutalis æſtus cauſâ aperis, dum improuido auſu in ipſum Marinum detorques publicam reatus Tui pœnam ex indicto ſilentio, quo mutus euaſiſti ſicut *Piſcis Colaus*. Confixa enim eſt (vt ipſe putas) Marini operâ, cenſorio ſtigmate lingua Tua, & ſcriptitationes Tuæ, Columnæ infami in Vrbe alma, affixæ. Hinc ira, hinc furor, hinc rabies in *Marinum*.

Verùm homo rabioſus & mutus, velut alter *Piſcis Colaus*, præ ſacræ & profanæ Latinitatis ruditate, nec non Theologicorum dogmatum palpabili imperitiâ, quid falcem edentatam mittit in meſſem alienam, obtruditque quæſtionem de Communicatione ſeu Communione feriæ VI. in Paraſceue, quam nec capit, nec elucidat, tenebras veritati offundens, nugis & citationibus nihil ad rem conferentibus? Quæſtio facti eſt an R. P. de Marinis Sancium notauerit: Quæſtio Iuris, an liceat celebrare & communicare in die Paraſceues. Huius rationes expectamus, nec affert: Illius teſtes requirimus, nec credimus toties falſario. Demus tamen gratis pro hâc vice, infido adhibendam fidem: verumque eſſe quod dicit de criminatione Sancii. Accipiat interim ille quod prælibo & præſtruo veritatis aperiendæ cauſâ. Sub hâc voce, *Communicatio* ſeu *Communio*, de quâ hîc agitur, duplex latet intelligentia. Aliquando enim apud Patres & Doctores ſumitur pro ſimplici

ſumptione

ſumptione paſſiuâ Sacramenti Euchariſtiæ: aliàs pro ipsâ confectione Sacramenti; vnde in Canone Miſſæ Sacerdos accingens ſe ad conficiendum Corporis Chriſti Sacramentum, vtitur hoc verbo; *Communicantes*, quod directè & proximè ad confectionem Sacramenti dirigitur; indirectè & remotè ad perceptionem eiuſdem. His prælibatis, dico: Si Sancius voluit fas eſſe in die Paraſceues communicare, hoc eſt conficere Corpus Chriſti, meruit quod acriter vellicaret eum R. P. de Marinis ex officio ſuo agens; quia teſte ipſomet Suare, hoc contra omnes Canones & Doctores omnes; debuitque cenſorio ſtylo dogma illud configere. Et de hoc erat quæſtio.

Si autem de Communione laïcali & de ſolâ perceptione Sacramenti ſit intelligendus Sancius; potuit æquus Cenſor charitatiuè eum admonere probabiliorem eſſe negatiuam, quippe quæ Canonibus, Pontificibus, & antiquâ Vniuerſalis Eccleſiæ praxi fulciatur. Docet eam Marcellus Francolinus in l. de Horis Canonicis, confirmatque ſententiam ſuam ex Innocentij III. Ep. 1. ad Decentium c. 5. & habetur in cap. de Conſecrat. diſt. 3. Item ex Rubricis Miſſalis, vbi præcipitur in die Cœnæ vnam vel plures hoſtias conſecratas ſeruari, ſi neceſſe fuerit, pro infirmis: quod ſignum eſt, aliis non licere. Pro ſe citat Alcuinum libro de diuinis Officiis, capite de Cœnâ Domini. En Tibi Authores, Petre. Vis conſuetudinem? Fatetur ipſe Vaſques loco à Te adducto, numero 22. [Quod attinet ad conſuetudinem, negare non poſſumus, varias in Eccleſiâ Romanâ fuiſſe conſuetudines, & nunc vt plurimum in tota Eccleſiâ Latinâ hoc obſeruari, vt ſolus Sacerdos communicet ex præſanctificatis] Ecce quid dicat Vaſques ad quem remittis Mineruios, declaratque Te inſcitiam Tuam prodidiſſe, dum conſuetudini vniuerſalis Eccleſiæ Romanæ, particulares quæ ex diſpenſatione fiunt, ignoranter opponis Probabilem vtramque opinionem tenent Suares & Vaſques: probabiliorem inculcant alij negatiuam, quam conſuetudine generali Eccleſiæ & Innocentij III. authoritate confirmant. Sed Tu nugarum artifex & ſtolidus ſicut Piſcis *Colaus* præ Latinitatis & Theologiæ inopiâ, Colax ſemper eris, indigebiſque amarâ Colaſe, donec vt *piſcis Colaus* obmuteſcas, prædeterminatus ad ſapiendum; qui de Te ipſo, ad nugandum & mentiendum ſemper es de-

terminatus. Cæterùm quid ad Suarem & Vaſquem remittis Cyriacos? Habent D. Thomam, & ſub eo innumera primæ magnitudinis Aſtra domeſtica. Quaſi verò, qui obuium habent Solem purâ & innocuâ luce fulgentem, vnius aut alterius ſtellæ palleſcentem micatum requirant.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Godefridum ridet quod veſtem Chriſti excreſcere aſſeruerit,& ob nomen Pantheon.

§. 82. *Goffridum Viterbienſem ſuis Cyriacis accenſet Bernardus de Luxemburgo, in opere de Hæreticis non ſemel; quamuis Trithemius Presbyterum duntaxat fuiſſe aſſerat, & aulæ Imperialis Sacellanum, vt addit Poſſeuinus in Apparatu. Sed Bernardo rem domeſticam ſcribenti procliuius eſt aſſenſum præſtare. Godefridus ergo ſcripſit opus, cui titulus eſt,* Pantheon, *libris duodeuiginti contentum, fartum ineptis commentis: quale illud de paruulâ Chriſti veſte è cælo ſubmiſſâ, & creſcente ſemper cum ipſo. Sed & modus ſcribendi apertè ridiculus eſt; intexit enim verſus Leoninos, orationi ſolutæ, quam mox reſumit; mox denuò abiicit; conficiens Stroma multicolor, & quaſi veſtem ſponſæ variegatam. Ipſe operis titulus, Pantheon, ridiculus eſt, & ignorantiam Scriptoris præferens. Cum enim ea vox ſonet in vſu communi ac recepto, Templum omnibus Diis ſacrum, ipſe vocem* Panthej *vſurpat, ad deſignandum Chronicon vniuerſale. Totus liber ſcatet ineptiis, non minus quam* Geſta Romanorum moralizata, *opus in eadem incude fabrefactum.*

RESPONSIO.

INnumeræ ſunt proprietates, ſed vnus effectus Vitij, diſplicere ſibi. Hoc oritur ab intemperie animi, & cupiditatibus timidis aut parùm proſperis, vbi aut non audent, aut non conſequuntur homines quantum concupiſcunt, & in ſpem toti prominent, ſemper inſtabiles ac mobiles, quod neceſſe eſt accidere pendentibus, qui nec cupiditatibus ſuis imperare nec obſequi poſſunt; eſtque illis cunctatio vitæ parùm ſe explicantis, & inter deſtituta vota tor-

pentis animi ſitus. Hoc eſt tædium illud ac diſplicentia Tui, Petre; hæc nuſquam reſidentis animulæ querula volutatio. In omnes doctrinæ ac pietatis ſuggeſtus, Cyriacorum ludibrio adlaborans, irrupiſti. De Fide primùm facta Expoſtulatio; hinc in Theologicos fines excurſum: ventilata paulò poſt Patrum doctrina, & mox hiſtoricâ palæſtrâ dimicatum. Vtriuſque Idiomatis, Græci ac Hebræj, delibata concertatio; peruagati vniuerſi Philoſophiæ ſinus, licentiâ effræni & imperitâ libertate quiduis tentandi. Sed dum quocumque irruis, anhelum Te & ferocientem æqualis infœlicitas trahit, miſelle Senex; antiquam tandem repetens ſedem & infimis Grammatices refixus gurguſtiis, de voculæ vnius ſignificatione certamen inſtauras, qui paulò antè montium cacumina pernici volatu tranſilibas, Tuumque cælites metuebant auſum. Quid *Pantheon* ſignificet acutiſſimâ ac grauiſſimâ diſſertatione reuelas. Præfixit, inquis, operi ſuo prægrandi titulum hunc, Goffridus Viterbienſis (quem vis eſſe Cyriacum quicquid Trithemius & Poſſeuinus reclament, quia Bernardus de Luxemburgo affirmat, nec nos diffitemur) præ ſummâ Inſcitiâ, ſignauitque Chronicon vniuerſale titulo Templi celebris vrbis Romæ quod *Pantheon* nominatur.

Quàm ludicrè garris, laruate Gerro! Diſce quod ignoras. Duplex hiſtoricæ narrationis contextus Scriptoribus primariis familiaris. Quidam enim vago & laxato rerum digeſtu, ſingula euenta intexunt, ſuo quæque ordine, & iuxta ſibi ſuccedentes temporis varias periodos. Sic Titus Liuius, Homerus, Florus & ſimiles. Alij ad ſumma & certa quædam capita reuocant caſus, naturâ, loco & tempore diuerſos: Hi ad Reges & Imperatores; vti Suetonius, Plutarchus, Spartianus, Capitolinus, Lampridius. Illi ad Pontifices & Hierarchas; velut Platina, Ciacconius. Quidam etiam ad falſos Deos gentium, quibus præſidebant, hiſtoriam legibus ac ritibus ſuis concludentes; Talis videtur Plato, dum ſæculi aurei fœlicitates publicas & priuatas, ac grauiora euentuum momenta, intra Iouis Regnum cancellat.

Hoc ſi tentauit Godefridus, Vniuerſale Chronicon ſub diſtinctis Deorum ſeu Idolorum pagano orbi præſidentium apicibus texens ac diſcriminans, ſicut mundum fidelem ſub vero Numine; quid mirum? Cui operi conſe-

quenter ac iure merito inſcriptum pro titulo, *Pantheon*, ſeu ex vi natiuæ ſignificationis, *Dij omnes*, ſeu Deorum omnium aceruus. Si etiam velimus morem gerere hebetudini Tuæ, quâ pecorum ritu, ſequeris antecedentem Gregem, pergiſque non quâ eundum eſt, ſed quà itur; alieno non Tuo vſus arbitrio, vſum ſequeris non rationem; *Pantheon* interpretemur, non ſyluam ac cœtum Deorum, ſed templum, quia ſic communiter accipitur: quid prohibet vniuerſale Chronicon, vocari templum Deorum omnium; cum ſub illis, per diuerſas Natiônes iiſdem litantes, diſtributis; rerum ac temporum euenta quæcumque ſignentur? Qui hæc ignoras, ridiculus es, & ignorantiam Tuã hoc ſpecimine luculenter prodis. Hoc etiam & nos in gratiam legentium adduximus; non Tui, qui eo ſupinitatis proiectus es, vt & frequentes reatus Tuos in alio criminеris. Quâ enim fronte Godefridum arguis quod verſus orationi ſolutæ aliquando admiſceat, cum Tumet importunâ interſectione identidem parem miſturam fabriceris? *Dicis non furandum, & furaris?*

Indoluiſti etiam quòd geſta veterum Romanorum ad mores traduxerit, colligens ex ſpinis vuas, quia inuiſa Tibi morum correctio. Eſtque in eadem incude compacta illa quiritatio de paruulâ Chriſti veſte, non è cælo demiſſâ, vt imponis, ſed manibus B. Virginis contextâ, quam cum ipſo ſenſim creuiſſe, non irrideres, ſi vel aliqua pietatis Chriſtianæ guttula cor Tuum irrigaret; attenderesque ad illud quod de eâ ſcribit Societatis author Ribadeneyra, in feſto Præſentationis. Ait enim; Eam veſtem puellulo Ieſu mater propriis manibus texuerat & paruulo eius corpori aptauerat. Eâdem ipſe erat indutus tempore Paſſionis cùm eſſet 33. annorum, & præexcelſæ ſtaturæ; & conſequenter cum ipſo creuerat. Quid in tali miraculo, implicantiæ olfacis, cùm & veſtes Iudæorum non fuerint detritæ aut conſumptæ per 40. annos ſtationis in deſerto? Collactaneus Eraſmo, ſacra quæque ridenti, fabuloſam putas veſtem Chriſti, ſicut ille veritates Chriſtianas vocat *fabulam* Euangelij. Fateor, riſu ac deſpectu retundendæ irreligioſæ nugacitates Tuæ; nec reſpondere mens erat, niſi fatigata Lectoris patientia gerris puerilibus ac profanis inanitatibus Tuis, breui diſſertatione apologeticâ fuiſſet releuanda.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Barletam impudoratæ Blaſphemiæ arguit, Impoſtor ipſe & Blaſphemus.

F. *Gabriel de Barlette Cyriacus, tractans quomodo Samaritana, potuerit cognoſcere quod Chriſtus eſſet Iudæus;* §. 83. *(dixit enim,* Quomodo Tu Iudæus cum ſis?*) reſpondet, Samaritanam cognouiſſe Chriſtum eſſe Iudæum, videndo eum eſſe circumciſum. At quomodo hoc videre poterat mulier? Non enim Chriſto per incogitantiam excidit, veſtem reducere, & monſtrare velanda corporis? Oportuit ergò iuxta Fratrem Barletam, vt Chriſtus meditatò obiecerit viſus Samaritanæ, &c. Proh effrontem Chamum; non minùs hâc in parte ineptum, quàm impium & impudoratum. Hic eſt inſignis ille Magiſter noſter* de Barlette, *qui hoſtibus Fidei Catholicæ, vberem ſannarum materiam ſuppeditauit. Henricus Stephanus qui Camarinam ludibriorum in Eccleſiam Catholicam emiſit ſub titulo* Præparationis ad Apologiam Herodoti, *ad onerandos omnibus probris Cleros & Religioſos, vix habet Ludionem, quem crebrius in Scenam aduocet, ſemperque cum Elogio* ſapientiſſimi Magiſtri *vel nobilis Eccleſiaſtæ, cum maximè contendit eum ineptire. Quod vrget inexcuſabiliter ab eo factum, cùm tractat quare Spiritus Sanctus, Chriſto iam per decem dies in cælum ſubuecto, diſtulit deſcendere, & exoluere promiſſum Chriſti. Cauſam enim refert F. Barlette Cyriacus, in diſſenſionem ortam inter Patrem & Spiritum ſanctum, (eoquod iſte procraſtinaret & differret deſcenſum, veritus tractari, ſicut Chriſtum conſpicabatur tractatum. Tametſi tandem (vt ait F. Barlette,) Spiritus Sanctus ſtatuit deſcendere, aliâ formâ quàm humanâ; ne male haberetur, ſicut Chriſto ſub humanâ formâ contigerat. Itaque aſſumpſit formam ſpiritus vehementis & ignis, vt indemnis ac tutus veniret. Vah Cyriaci iudicium!*

RESPONSIO.

PEccare in homines, inhumanum eſt: in Sanctos, irreligioſum: in Deiparam, impium: in Chriſtum, blaſphemum. Sed inurere Domino puritatis ſpurciſſimam impudicitiæ labem, pudendum facinus, horrendum, execrabile. negatio Dei, atheiſmi noua auxeſis: Cuius nec Hæreticus, nec Paganus, nec Dæmon, nec Atheus ipſe, ſe huc vſque capacem præſtitit ac peruium. Hic enim æſtu paſſionum, rationem abſorbente, Deum negat; ſed ſi admitteret, purum fateretur, aut negaret eſſe Deum. Excute iam Laruam Pſeudo-Petre, cui depingendo, nec Infernus colores habet ſat atros, nec poſſet diabolus penicillum fabricare ſatis putidum ac fœtens. Non equidem ſolum Barlettam, ſed & in ipſo Chriſtum Saluatorem cruento dente laceraſti; horretque calamus impudoratam Tuam, & inaudito ſacrilegio ſordentem Blaſphemiam, publicæ exponere luci, ad cuius conſpectum Sol ipſe nouâ Ecclypſi ſepeliendus occumbat. Vtque impietatis Tuæ cumulus, ſine vlla ambage aut fuco, omnium ſubiiciatur oculis; Barlettam in quem inuolas, audiamus, loco à Te laudato ſic effatum, vt corriuata à Te ex eius dictis conſecutio (quæ enormi impoſturâ ac ſpurciſſimâ blaſphemiâ grauida eſt) *Loco citato.* æquo libretur examine. Sic autem ille de Samaritanâ Chriſtum alloquente. *Dixit ei mulier, Quomodo Tu Iudæus cum ſis, bibere à me poſcis, cum ſim mulier Samaritana? Quomodo cognouit ipſum eſſe Iudæum? Reſpondeo, quod triplici de causâ. Prima ad habitum quem portabat. Num. 16. Loquere filiis Iſrael, vt faciant ſibi fimbrias per quatuor angulos palliorum. Hunc habitum Chriſtus habebat. Secunda ratio, quia Nazaræus, in cuius capite nouaculum non aſcendit, quia Nazaræi non poterant eſſe de alio populo, niſi Iudæo, vnde agnouit. Tertia ratio ad Circumciſionem, nullus alius populus erat circumciſus.* Ex quibus apertè conſtat, iuxta mentem Barlettæ, Samaritanam agnouiſſe Chriſtum eſſe Iudæum, ſuffragante quantum ad duo indicia, oculorum miniſterio; eâdemque inſpectione obſeruatam fuiſſe, hinc veſtem fimbriatam, illinc promiſſos ſine tonſurâ capillos. Hæc duo cognouit oculo indice. Tertia autem ratio & huius veritatis conuictio, nempe quod eſſet Iudæus, ex

Circumciſione deſumptâ, non innititur teſtificatione oculorum, ſed illatione mentis, vnum ex alio colligentis; Nempe ipſum eſſe circumciſum, ex eo quod teſtimonio oculorum didicerat ex capillitio & habitu, eum eſſe Iudæum: Soli enim ſic veſtiti & ſic intonſi, Circumciſionis lege obſtringebantur. Non videbat itaque, ſed inferebat; nec ex intuitu oculi cognouit eſſe circumciſum, ſed illatione mentis.

Innumera huius mentalis illationis exempla poſſem ex Scripturis adducere, quæ breuitati conſulens omitto; vno contentus, quo nec lux ipſa meridiana clarior. Dauid pugnaturus cum Goliath, vt vidit gigantem è caſtris Philiſtæorum egreſſum, minaci vultu ac audaci voce vltimam perniciem intentantem exercitui Iſraëlitico qui ex aduerſo & coram ſtabat paratus ad pugnam; dixit confiſus in Domino, ad viros qui ſtabant ſecum. *Quis enim eſt hic Philiſtaus incircumciſus, qui exprobrauit acies Dei viuentis?* Quod & bis repetiit. At in quo nouit Dauid Goliath eſſe incircumciſum? An aſpectu oculi? An illatione mentis? Non quidem inſpectione oculorum, erat enim Gigas tectus vndique veſte & armis, vt etiam ſcriptura notat, *Loricâ ſquammatâ induebatur.* Ibid. ne qua nuditas probroſa poſſet eminere & videri. In quo ergò & ex quo agnouit eſſe incircumciſum? Ex conſequenti & per conſequentiam; non oculo, ſed mente. Ex eo enim quod vidit eum è caſtris Philiſtinorũ prodeuntem vt manum conferret cum Iudæis; veſte & armis Philiſtinorum indutum, intulit apud ſe, quod foris protulit; Eſt Philiſtinus, ergò eſt incircumciſus, non enim circumcidebantur Philiſtini. Pari ſucceſſu Samaritana, quæ oculo dignoſcebat, ex habitu & capillis intonſis Chriſti, ipſum eſſe Iudæum, iudicauit & mente intulit eſſe circumciſum, quia ſoli Iudæi circumcidebantur. Vnde Barletta tantum dixit, *Tertia ratio ad circumciſionem.* Vt oſtenderet opus illud, fuiſſe rationis, non viſus corporei: Dic Petre, dùm per plateam incedis, num ſufficienter agnoſcis obuiam Tibi mulierem, non virum, ex capite mundo muliebri circundato, ex crinibus intortis & ad ſcapulas vſque promiſſis, veſtibuſque mirâ varietate diſcriminatis, deffluentibus vſque ad terram, vt egeas adhuc penitiori indagine? His ita prælibatis, audiemus Te impudentiſſima mendacia & inauditam

1. Reg. 17. n. 26.

N. 36.

blaſphemiam pari impudentiâ attexentem.

Tria hìc peccaſti nullatenus condonanda, quorum nexus, exhibet in Te proiectæ temeritatis, proſtrati pudoris, ac eiuratæ religionis ſpecimen publicum & horrendum. Falſas

Corruptela 3. verba, falſas ſenſum, & vtrumque irreligiosè conſpurcas. Primò malitiosè falſas verba Auctoris, vt virulentius irruas in eum, à mentis conſideratione ad oculi inſpectionem deuolans, quò pudendum crimen hâc doloſitate illi impingas. Barletta inquis, quærens quomodò Samaritana potuerit cognoſcere quod Chriſtus eſſet Iudæus, dixit enim, Tu Iudæus cum ſis? *Reſpondet Samaritanam cognouiſſe Chriſtum eſſe Iudæum, videndo eum eſſe circumciſum.* Vbi fraudulento ſilentio præteris duas priores illius rationes, vt ex tertiâ ſolitariè conſideratâ, facilius præſtrueres viam calumniæ. Cùm enim ex præcedentibus eſſet deducta conſecutio, nullo impellente ruit ipſa proprio pondere, ſubtractis ſibi, quibus ſtabat, fundamentis. Falſas autem dupliciter verba Barlettæ; eradens quæ ille dixit, intrudens quæ non protulit. Dixit ille tantùm. *Tertia ratio ad circumciſionem*: Hoc Tu taces; & de Tuo addis, *videndo eum eſſe circumciſum.* De quibus nec apex apud illum. Non tantùm autem verba Auctoris impudoratè falſas; ſed mentem eius & ſenſum adulteras, vt propoſitionem ſanam & honeſtam, inſidioſo hoc aſtu, ad falſum & infame propudium detorqueas. Ille enim innuit quod ex veſte & capillitio Chriſti à ſe viſis, Samaritana in animo ſuo intulerit, quòd eſſet circumciſus. Hæc mens eius; non inſpectione

Obſcœnitas. oculi, ſed animi intelligentiâ. Tu verò, impudentiſſime hominum, affingis illi, quod dixerit Samaritanam, ipſas Circumciſionis notas oculo inſpectante aduertiſſe in Chriſto: quod horrendum eſt & vltimâ impietate obſignatum. Siccine ergò abuteris fide publicâ, horrendaque compingis figmenta, adulterans verba & falſans mentem Authorum, vt blaſphemo ore, per Cyriacorum latus petas pœnitentem mulierem, quæ teſte Ambroſio, attulerat Hydriam & refert Gratiam, venerat peccatrix, reuertitur prædicatrix; & ex meretrice, caſta regreditur, quam Tu tamen obſcœno aſpectu dehoneſtas?

Verùm; parum Tibi eſt falſare Authores, vt ludifices eos; parum Tibi Samaritanæ oculos inhoneſto maculare conſpectu, inter ipſas ſacræ pœnitentiæ vndas; niſi &

Chriſtum ipſum nefandâ laſciuiæ notâ infamares. Nuſquam vllus, Te excepto, eò temeritatis prorupit. Caluinus ipſe cæteris procacior; cuius in quemlibet acerbitas & viroſa rabioſitas fuit; ſine delectu, naturæ ſuæ vitio, venena effundens in Doctores, in Sanctos, in Chriſtum ipſum, à quo in cruce pendente vocem deſperationis conatur extorquere, ſic fiduciam & ſecuritatem eius vellicans; tamen quantùm ad pudicitiam eius, ſemper tenuit lattantia Cerberus ora. Tu non ita; mendacio enim mendacium ſuperædificans, quæris quomodo potuerit videre hæc quod Chriſtus eſſet circunciſus. Non, inquis, ita quòd Chriſto contigerit per incogitantiam, veſtem reducere & monſtrare velanda Corporis. Et hoc certiſſimum. Subdis: Oportuit ergò; ô blaſphemiam! iuxta Fratrem Barlettam oportuit, vt Chriſtus meditatò obiecerit viſui Samaritanæ &c. Cælites omnes, voſque Angeli qui apud Iſayam duas alas extenditis ſupra faciem Dei noſtri, ne videatur; extendite, dilatate, expandite binas, ſenas, omnes alas veſtras ſupra nuditatem Dei, quam nefandus detegit & reuelat! Quis Te excepto, hanc infandam concluſionem intuliſſet? Quis ſacrilegum hoc ſpurciloquium cogitaſſet? Sed quis commentus fuiſſet, ſicut Tu? Dicis: Chriſtus non ex incogitantiâ reuelauit velanda corporis coram oculis Samaritanæ, ſed meditatò & ex deſtinato. Proh impudoratum! effrænem, impium ſupra Chamum, qui patris verenda pallio non operuit cum eſſet nudatus; Tu non tantùm non tegis nuda, ſed tecta & cooperta detegis, denudas, obiicis oculis Meretricis. Et hoc inquis, iuxta Barlettam. Dic, impudorate, vbi Barletta prorupit in hanc blaſphemiam? vbi dixit ille Chriſtum meditatò obieciſſe oculis Samaritanæ velanda corporis; qui duo tantum hæc protulit verba. *Tertia ratio ad Circumciſionem*? Lex ciuilis ſic iubet Codic. l. 4. Tit. 20. §. qui falſa: *Qui falſa in teſtimonio protulerit, primùm quidem de periurio, deinde Crimine falſi conuenitur, quod ſi eum in ipſo teſtimonij tempore mentiri ſuſpicio ſit, verberatur.* Certè non rationibus nec Apologiis, ſed fulmine & Anathemate excipienda obſcœna hæc & blaſphema corruptio & adulteratio. Hic eſt ille, non inſignis magiſter de Barlette, qui religioſè ſemper & reuerenter de Saluatore locutus eſt; ſed inſignis Ludimagiſter ſub laruâ latens, vt irreligioſiùs laſciuiat; qui hoſtibus Fidei Catholi-

Blaſphemia.

Calumnia.

cæ vberem ſannarum materiem ſuppeditauit, quam ab hoſtibus Fidei Catholicæ commodatò acceperat.

Hi ſunt enim libri & Authores, fide illibatâ inclyti, è quibus hauſit Petrus à Valle-clauſâ quicquid in Ordinem Dominicanorum putido ore euomuit. Satyra à Luthero Hæreſiarchâ in Dominicanos edita; Eraſmus & Reuclinus, perpetui Eccleſiæ Catholicæ deriſores & hoſtes; Elucidarium Thomiſticæ Doctrinæ, in D. Thomæ Doctrinam & Ordinem eius conſcriptum; ſed Romæ & in Hiſpaniâ damnatum & confixum. Henricus Stephanus vir hæreticus, qui ſub titulo præparationis ad Apologiam Herodoti, emiſit & euomuit Impoſturarum cloacam, ac ſannarum & ludibriorum in Eccleſiam Chriſti & in præcipuos Doctores Catholicos. Ex his & ſimilis farinæ fermentatis Authoribus, ac libellis famoſis & ab Eccleſiâ damnatis, corroſit Pſeudo-Petrus, Hæreticis collactaneus, quæ effutiret in Dominicanos & nominatim in Gabrielem Barlettam, tanti nominis Concionatorem, tantoque cum fructu verbum Dei diſſeminantem, vt adhuc vigeat ad perpetuum tanti viri decus, commune in Italiâ proloquium: *Neſcit prædicare qui neſcit Barletare.* Hic conceptibus ingenioſis & Auditorum captui attemperatis, Conciones adornabat, ſpiritu Dei fœcundas: quo qui ſpiritu carent, eas irrident; qualis Pſeudo-Petrus, qui quoniam ſpiritum Dei non habet Ludio, Scurra, Morio bruteſcens, animalis homo non percipit quæ Dei ſunt, ridetque veneranda. Nec mirum; cum & Iudæi eiuſdem ſpiritus Diuini exortes, Chriſtum concionantem irriderent. *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit*; propterea Tu Petre, non audis quia ex Deo non es. Si enim vel tantiſper afflaret animum Tuum Diuinus ille ſpiritus; intelligeres mirabili arte à Barlettâ in illâ myſticâ Concertatione inter Patrem & Spiritum Sanctum, notari tantùm & configi induratam & beneficiis inſoleſcentem, hominum prauitatem; qui interfecto Dei Filio, nondum plenè exſaturatis in Deum odiis, Spiritum eius eſſent inſecuturi, ſi in paſſibili formâ ſicut Filius, appareret in terris. Quid ibi ridiculi? Quid ibi ſannis proſequendum, niſi ab Hæreticis aut eis collactaneo Pſeudo-Petro, Henrici Stephani ſecundnm ſpiritum, germano fratre? Quid verò non erat paſſurus Dei ſpiritus à Iudæis, occiſo Filio, ſi in formâ paſſibili aduenisſet, cum & à viro qui ſe dicit Chriſtianum,

Catholicum, Religioſum, Chriſtus ipſe & Spiritus Sanctus ludibrio publico ac obſcœnis & ridiculis ſannis ſupponuntur? Hunc ego blaſphemum Ludionem, quia quibus vocibus pro merito excipiam, non habeo; inimicum Fidei ac pietatis; Euangelii contemptorem, pudicitiæ Chriſti hoſtem, Diuini ſpiritus deriſorem, Ordinis Religioſi Chriſto militantis, à fundamentis euerſorem; Fidelium omnium, eorumque maximè, quibus aliquis Dei ſenſus ineſt, conſcientiis execrandum committo; imò precibus ac fletibus, ab indutatâ prauitate liberandum.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Iacobi de Loſanna populares Comparationes, Coquinariâ ſimilitudine traducit.

F. *Iacobus de Loſanna Cyriacus, qui denominatur in fronte operis* declamator peritiſſimus, *Serm. de Paſſione Domini, cùm maximè ſeriò agendum eſt, ac ineptiis abſtinendum; ſtatum Chriſti in cruce, Coquinariâ comparatione adhibitâ, ſic expreſſit.* [*Nota hiſtoriam, & expone in Gallico; vnde iſti peſſimi Iudæi fecerunt de Saluatore noſtro, ſicut faciunt homines de Capone; primò depilant eum, poſteà ponunt in veru, & tandem perforant eum de cultello, vt probent ſi benè ſit coctus, an non. Sic fecerunt iſti peſſimi Iudæi, Saluatori noſtro. Expoliauerunt eum nudum; affixerunt eum cruci clauis ferreis; expoſuerunt eum feruori Solis; & tandem, vt probarent eum ſi bene coctus eſſet, lanceâ perforauerunt latus eius; & tunc exiuit pinguedo gratia, ſcilicet Sanguis & Aqua, de latere Saluatoris noſtri: Et ideò Saluator noſter, dicitur verus Pelicanus, qui pro pullis ſuis fouendis, ſe ipſum interfecit. Sic &c.*] *Vt comparatio quadret, oportet hunc* meritiſſimum Declamatorem, *accipere* Pelicanum pro Capone. *Eſt enim ſimilitudo non parua, quia in vtroque vocabulo, eſt ſyllaba* ca *&* p, *cum literâ* n. *Vt ergò benè nutriremur in vita ſpirituali, Chriſtus paſcit nos ſuo* Pelicano, *id eſt* Capone *corporis ſui, toſto in veru Crucis, atque perforato per Lanceam; vnde exiuit* pinguedo; *id eſt ſanguis & aqua. Euge bone Nabuzardan; cur prætermiſiſti Citrium; Malum aureum, cuius ſucco per compreſſionem affuſo, Capo melius ſaperet? Poteras ſanè* §. 84.

aquè acetum in Mali Citrii ſuccum mutare, ac Pelicanum in Caponem.

RESPONSIO.

SEmper mordes, ſemper nugaris, & vbique irreligioſè ac putidè. Coquinaria comparatio tolerabilior comparatione Lupanariâ, quâ adhuc ſordes. Illa ſimplicitatem ſæculi indicat, hæc obſcœnitatem Authoris. Illâ ante Iacobum de Loſanna, vſi ſunt viri Apoſtolici, magnuſque animarum Oeconomus ac vltimorum ſæculorum Apoſtolus, Sanctus Vincentius Ferrerius; hanc nemo niſi ſupra hæreticos ac Dæmones impius, ſcriptis ſuis inſeruit.

Iacobus dictus de Lozanna, quia merito Prædicationis & Apoſtolici zeli ardore ad Lozannenſem Epiſcopatum euectus; omnibus omnia factus, vt omnes lucri-faceret, dum populis prædicaret, maxime ruri & in villulis, in ſæculo rudi ac ſimplici, gentibuſque circa Heluetiam ſimpliciſſimis; demittens ſtylum & accomodans ſe eorum captui, ſimilitudinibus vtebatur popularibus, in animarum ſalutem, quæ faciliori hoc cibo ineſcantur, intentus; non in ſui æſtimationem aut vtilitatem propriam: velut caupones illi verbi Diuini, qui ſua quærentes, non quæ Ieſu-Chriſti, plauſum venantur, non profectum dum prædicant; calamiſtratiſque præludiis Magnates palpant, neglectâ aut ſpretâ infimæ plebis ſalute. Vnde Alphonſus à Caſtro Minorita, qui ſermones præfati Iacobi prælo iterùm mandari curauit; in Præfatione hæc habet. [Si res ipſas inſpicias, inuenies ſcio quod laudes; quod legere delectet, eligere placeat, vt tandem electum ſemines in terram quæ afferat fructum aliud trigeſimum, aliud ſexageſimum; aliud centeſimum. Eſt enim Author ipſe (quod miror) adeò in parabolis frequens: vt ex induſtriâ Saluatorem ipſum imitari videatur, quem in parabolis locutum fuiſſe Euangelium prædicat.]

Sed gratis demus, propter ſimplicitatem ſæculi illius innatamque populo cui prædicabat, ruditatem, ex hâc parte Iacobum prudentiæ concionatoriæ limites aliquantiſper tranſgreſſum: Debuit ne comparatio illa, vbi Chriſti Saluatoris perſona & amor in examen vocantur, comico apparatu excuti à Te, velut in Theatro, ventilatis ludicrè &

momicâ proluſione, ſingulis Iacobi verbis, occupatiſque meditatò alluſionibus ridiculis inter Pelicanum & Caponem, eorumque nominibus facetâ confœderatione coëuntibus? Quid Ludio paganus, ludibrio Theatrico ſubſannans Chriſtianam religionem, eiuſque Authorem Chriſtum coram Diocletiano ac Maximiano cruentis nominis Chriſtiani hoſtibus, poterat ludicriùs & inſolentiùs Tuâ iſtâ ludificatione componere? *Chriſtus paſcit nos ſuo Pelicano, id eſt Capone corporis ſui, toſto in veru Crucis, atque perforato per Lanceam, vnde exiuit Pinguedo, id eſt Sanguis & Aqua. Eugè bone Nabuzardan*; *cur prætermiſiſti citrium* (congruentius citreum) *Malum aureum, cuius ſucco per compreſſionem affuſo, Capo meliùs ſaperet?* Poterat-ne in materiâ adeò graui & auguſtâ, quid ſcurriliùs à Mimo Theatricè ventilari? Comparatio præfata Iacobi de Lozanna, hâc ſe tutatur exceptione, quæ factum intentione religioſâ purgat; quod à Concionatoris charitate proſiliens, ſimplicium ſaluti adlaborat. At exagitatio Tua illa comica, à Theatro in Coquinam deſinens, ludenſque de Chriſti carne ac ſanguine, nec excuſationem recipit nec veniam. Imò nec Iulianus ipſe Apoſtata à Religione Chriſtianâ, tam petulanter ac irreligioſè reperitur debacchatus in Chriſtum. *Impietas.*

Certè ſi vel decimam partem temporis à Te miſerabiliter inſumpti in emungendis ſcurrilitatibus, figmentis, ludibriis, ſannis ac calumniis, quas in Religionem Catholicam effutiere Lutherus, Caluinus, Reuclinus, Eraſmus, Henricus Stephanus; dediſſes lectioni ac meditationi Concionatorum Apoſtolicorum, penultimi ac ante penultimi Sæculi, vbi ſimplicitas magna populi Chriſtiani; obuiæ Tibi occurriſſent mille ſimilitudines, eodem ſimplicitatis Chriſtianæ ſpiritu decurrentes, quas rident ſapientes noſtri ſæculi, abundantes proprio ſenſu, pietatis autem exortes: Exclamares nunc ad Saluatorem. *Ita Pater, quoniam ſic placitum fuit ante Te; Abſcondiſti hæc à ſapientibus, & reuelaſti ea paruulis.* Erubeſce itaque dum de Te, quaſi voce præſagâ dixit Seneca, Doctorum nomine ſignans, non verâ ſcientiâ imbutos, ſed ſimiles Tui, loquaces, garrulos ac infimæ literaturæ ſciolos Pædotribas. *Antiquitùs meliores erant viri, poſtquam docti* (quales dixi) *prodiere, boni deſinunt, docemur enim diſputare, non viuere:*

& quæ erat Philoſophia facta eſt Philologia: Ampullata verba, ſicca corda.

Verùm licet nobis ex hiſtrionicâ illâ Tuâ proluſione, genuinum animi Tui ſpecimen excerpere; excuſſâque laruâ ſub quâ huc vſque latuiſti, Coquum intuemur, ſcientiæ ſuæ non mediocriter peritum. Euge ergò bone Nabuzardan, artem coquendi Caponis quam acutiſſimè calles, ediſſere. Rudis huius peritiæ eſt planè Loſannenſis, ſociique Cyriaci, quos ablegato in perpetuum omni carnis eſu, ad oua, piſces & herbas remiſit domeſtici Inſtituti profeſſio: Tu verò annoſè Vallis-clauſæ inquiline, in quâ delicatiora carnium omnium edulia abundant; artem explicare non recuſas Lectori, benè parandi Turtures, Cothurnices, Perdices, Capones, ſat frequens Tuæ gentis obſonium.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Pio Sancii à Porta affectui erga Deiparam, mimicè illudit.

§. 85. *Sancius à Portâ Cyriacus, cum vbique altè ac latè ineptit, tùm nominatim orationem Latinam linguis vernaculis, vt Capum ſectilis lardi turundulis configens, tùm magnificè Serm. totius operis vltimo, qui eſt de Annunciatione, habito coram Summo Pontifice, propter quem ſermonem, gloriatur ſe factum Magiſtrum S. Palatii. Eſt autem ſermo, ineptiſſimis ab initio adfinem conceptibus fartus. Nam vt monſtraret in verbo* Aue *contineri tres Perſonas auguſtiſsimæ Triadis, ait ſecundam literam verbi illius, hoc eſt V. denotare ſecundam Perſonam, cuius nomen* Verbum *ſimiliter incboatur ab* V, *quæ litera, eſt etiam nota numeralis, ſignans quinarium. Quo ipſo, inſinuat quinque Chriſti plagas.* E *autem, quia eſt vltima litera verbi* Aue, *ſignat Spiritum Sanctum, qui eſt poſtrema Trinitatis perſona. Pari ſubtilitate ac lepore, paulo poſt in voce* Dominus, *quam protulit Gabriel, dicens B. Virgini,* Dominus Tecum, *profundè ſcrutatus hic ſeminiuerbius, inuenit ſeptem Eccleſiæ Chriſtianæ Sacramenta: conſequenter ad titulum illum* Gratia plena, *immediatè præmiſſum. Ad quod allegat ſuum*

Sodalem Holcothum. Ait ergò, [*iſta pars* Dominus Tecum, *ſequitur ex parte immediatè præcedenti,* Gratia plena. *Vnde apud eum (Gabrielem) iſta eſt bona conſequentia ,* Gratia plena , *Ergò* Dominus Tecum , *& è conuerſo. Probo conſequentiam. Dicit ipſe (Gabriel.) Nam tota plenitudo fontis gratiarum , per ſeptem Sacramentorum flumina , in ſeptem literis , quæ continentur in hoc termino ,* Dominus , *clariſsimè adaptantur. Prima litera D. in quo dimiſsio peccatorum , ecce Pænitentia. Secunda O. in quo ordo Clericorum , ecce Sacramentum Ordinis. Tertia M. in quo Matrimonium coniugatorum , ecce Matrimonium. Quarta I. in quo initium Chriſtianorum , ecce Baptiſmus. Quinta A. nexus Confirmatorum , ecce Sacramentum Confirmationis , in quo ligantur. Sexta V. Vnctio extremorum , ecce Sacramentum Vnctionis. Septima S. Sanctum Sanctorum , ecce Euchariſtia*] *Si quis meditatò vellet ineptum agere , non poſſet aptiùs quam iſte fecit , ineptire, præſertim collato ſtudio cum Sodali Cyriaco , & abortiones cerebri vtriuſque ipſorum , attribuendo Gabrieli Archangelo. Et propter has gerras , ais Te factum Magiſtrum S. Palatii ? Non credo Fratrem caput cucurbitæ aſſenſurum. Niſi vererer rumpenda ilia Codro , adducerem ex ſermone 17. de Aſſumptione, Miſſam Phariſæi , collatam cum Miſſa B. Virginis Sacerdotiſſæ , dicentis* Confiteor , *coram B. Petro Curato ſuo.*

RESPONSIO.

Mirabitur quis forſan quod abſolutum artis Coquinariæ ſpecimen , dum dedit nouus iſte Nabuzardan præcedenti Paragrapho , præcipuum omiſerit Doctrinæ ſuæ caput , nempe Capum iam depilatum antequam ponatur in veru , ſectilis lardi turundulis eſſe configendum. Sed non omnia vno ſimul flatu poterat ſcientiæ huius placita exprimere : quo fit vt hanc Sectionem ab eo dogmate Culinario ordiatur , Coquorum princeps venerandus. Verùm , aſſatum cum Capone ſenile cerebellum , iudicium, quia deerat, non abſtulit, ſed eraſit omnes è memoriâ rerum imagines, vt non recordaretur iniquè à ſe carpi Sancium ob immixta Latino Idiomati verba quædam vernacula , cum ipſemet Ariſtarchus , præceps & frequens in eandem foueam ſit prolapſus , Latino operi verſus aſſuens Gallicos , quaſi Capum (doctam ſuæ artis materiam) ſectilis lardi turundulis

cõfigeret. Heu *caput cucurbita*! qui vides feſtucam in alieno oculo, in tuo non vides trabem! Certè à culinâ ad Theatrum feſtiuè demigrantem, gratum foret contueri, ſi inſculptam Filio Dei garrulâ impietate notam, ludicro apparatu non extenderet in Matrem; luderetque de Salutatione Angelicâ, ſcommate Momico ac ſcurrili. Piâ meditatione raptus in laudes Deiparæ Sancius à Porta Cyriacus, latentia ſub eiuſmodi Salutatione myſteria reſerat, oſtenditque relatas eſſe, pio Authoris affectu, omnes primæ voculæ, *Aue*, literas, ad tres Perſonas ineffabilis Triados, & ſub ſequenti, *Dominus*, ſeptem Sacramenta myſticâ indagatione venatur. Vtinam his abſtinuiſſet Sancius, quem in hac parte non tueor, nec damno. Grauitatem Suggeſtus ſacri hæ proluſiones non redolent, poſſunt tamen aliquantulum ex incaleſcente pietatis affectu excuſari; qui aliquando excedit limites dum feruet; cumque in exceſſum mentis prorumpit animus, non tam penſantur verba, quàm affectus ſub verborum cortice latens. Hoc tamen Pſeudo-Petro piaculum: hæc ludificationis ac riſus publica materies; & eadem quæ Summus Pontifex coram ſe de Suggeſtu ſacro pronunciata probauit viuâ voce, & inſigni dono Magiſterii S. Palatii, Ludio iſte impudoratus ſubſannat, hiſtrionicè ventilat, & pro innatâ moderatione ac modeſtiâ, ſupremo Hierarchâ oculatior, ineptiarum ac gerrarum futilitati adſcribit. Adeò exhorret quicquid laudes Deiparæ ſapit aut intonat, vt confeſſionem Phariſæi, peccata ſua fatentis, cum confeſſione B. Virginis diuina Elogia enarrantis conferens, rumpenda ſibi timeat ilia præ immenſâ riſûs eruptione: ſicque ineptias vocat, concepta in Deiparæ Elogium vota, riſuque ac cachinnis configit pium eius Encomiaſtem, Sancium.

e Quid in hac parte magis ſtupeam, ignorantiam eius an impietatem, nequit dicere animus. Hoc ſolum ſuggerit, vnam ab alterâ nullatenùs diuellendam.

Tritum eſt apud omnes vel mediocris literaturæ viros, Græcas & Latinas literas, de ſe vacuas, omnem ſignificandi vim ab inſtitutione humanâ deſumpſiſſe. Hoc erit priuilegium Linguæ Hebraicæ, veluti Matricis omnium, ex innatâ maieſtate, aut veriùs, ex impreſſione ſeu inſtitutione diuinâ, proprios & latentes circumferre ſenſus, qui eminent & agnoſcuntur à S. Hieronymo in Comment. ad Threnos

Threnos Hieremiæ, in Ep. ad Paulam Vrbicam, & in principio inſtitutionum Linguæ Hebraicæ Cardinalis Bellarmini. Hebraicum eſſe nomen Deiparæ *Maria*, & è cœlo delatum, ſicut nomen Filii, *Ieſu*, putant Idiota libro de contemplatione Virginis c. 6. Bernardus ſuper Miſſus eſt. Anſelmus de conceptu Virginis. Multa in ſingulis eius nominis apicibus latere myſteria, agnoſcunt Pelbartus in ſuo Stellario. Bernardus de Buſto in ſuo Mariali. S. Antoninus 4. p. Tit. 15. c. 21. §. 9. Rubilius Benzonus Comment. ſuper Magnificat l. 2. c. 22. dub. 5. quod & pariter cum proportione dicendum de iiſdem vocabulis, in quamlibet linguam transferantur. Licet enim ab Hebræo in Latinum Idioma tranſierint, (veluti verba Salutationis Angelicæ à Sancio occupata,) & conſequenter non ſuperſit eis, collata Hebræis apicibus ſignandi energia: relinquitur pietati fidelium, in æquiualentibus terminis, æquiualentes ſi non eoſdem, aut certè nouos ſenſus ſcrutari religioſo conatu, quo ſuum erga Deiparã teſtentur cultum & affectum. Quidni, cùm & in laudes hominum ac Magnatum, dum prorumpunt Oratores, amplam ſoleant decerpere Elogiorum ſyluam ex literis Capitalibus, Numeralibus, Chronicis, Anagrammaticis, & ex vario earum contextu? Quam religioſi affectûs fœcundam prolem, *Myſteria Encomiaa* vocat Marſilius Ficinus poſt Platonicos; & Scriptores Catholici iis ſæpè vſi ſunt ante noſtrum ſæculum. Auguſtinus ipſe Tractatu. 17. in Ioannem incluſa agnoſcit in Quadragenario numero miranda multa.

Hæc autem myſteria poſt Bercoriũ Benedictinum in ſuo Reductorio, & Bernardum de Buſto Minoritam, ſeduliùs indagat Blaſius Viegas Societatis Scriptor (quem ſicut Sancium, cur Petrus non ſugillat?) in Comment. Apocal. & ait, hoc nomen Sacratiſſimæ Virginis, *Maria*, eſſe tetragrammaton, id eſt quadriliterum, ſimile ſanctiſſimo nomini Diuino *Ieſouah*. Sicut enim, inquit Viegas, illud ex 4. literis conſtat, nimirum Iod, Hè, Vau, Hè. Ita ex 4. literis hoc componitur, ſcilicet, Mem, Res, Iod, Mem. Hebraicè enim nomen Virginis eſt *Mariam*: ſic enim expreſſum legimus nomen Mariæ ſororis Moyſis Exodi 15. vbi Septuaginta tranſtulerunt, *Mariam* Hinc factum; vt ſacratiſſimi huius Nominis & Salutationis Angelicæ omnes literas & apices, multi excuſſerint cum Sancio à Porta

C. 12. Com. 2. ſect. 1.

C.17 *in gen. n. 5.* fuerintque conati reconditos ſenſus piâ meditatione extrahere; ſicut teſte Cornelio à Lapide, in illâ mutatione nominis Abram in Abraham, *He* interiectum & additium, myſteria multa obuoluit, doctis & deuotis meditationibus reſeranda. Hæc myſteria ineptias vocat Pſeudo-Petrus ſolitâ abortione cerebri delirans, poſitumque eſt velamen ſuper cor eius. Caret certè claui, quâ hæc aperiuntur; hæc etenim eſt ipſa pietas in Deum, & deuotio ad eius Matrem quam non ſapit, quia impuris, ſcurrilibus, profanis, hæreticis libris & lectionibus ſe ingurgitat & infarcit, veritati imperuius, ſtolidus ad diuina.

Indeuotio.

Ineptum dicis, homule, in Sancio à Porta, quòd indicauerit per primas literas huius vocabuli *Dominus*, ſignari ſeptem Sacramenta; & quid dices de Pererio, qui per literam *Hè*, additam nomini Abram, vt fieret Abraham, docuit ſignari quintum millenarium annorum mundi, ex quo Meſſias natus eſt de Abraham & Sara? Ineptientem pronunciabis? Dices igitur ineptire Hebræos, Lipomanum, D. Hieronymum, à Cornelio relatos. Dicunt enim literam *Hè*, quæ addita fuerat Abram, vt fieret Abraham, additam etiam Sarai vt fieret Sarah. Vt quid? Vt geminatione illius literæ, quæ eſt præcipua in nomine diuino *Iehouah*, oſtenderetur Deus ab ipſis duobus oriundus. Certè ſi abſtruſos hos indagare & promere ſenſus, ineptire eſt; ſolus ſapiens Pſeudo-Petrus, qui irridet quæ docti & Sancti pronâ veneratione ſunt amplexati. Cæterùm vecors Nebulo, hæ Tuæ proluſiones profanæ & impiæ, non Tibi merebuntur à Pontifice magiſterium Sacri Palatij, cui ſitibundus anhelas cum Tuis, ſed damnationem & cenſorium fulmen, quo confixus es à Pontifice, qui Te docebit hanc conſequentiam non reiici, niſi ab ignauis & impiis; *Maria es gratiâ plena*; ergò *Dominus eſt Tecum.* Orabo Dominam vt impetret Tibi ſtillam pietatis, quâ molleſcas ad cultum & amorem eius ebibendum.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Ridet Bernardum à Lucemburgo docentem Vulpem dici à Volando.

F. *Bernardus de Luxemburgo Ord. Prædicat: confecit catalogum Hæreticorum; ſed adeò ineptè, & cum tot hallucinationibus craſſis, vt ſæpiſſimè ludibrium debeat Alphonſo de Caſtro: qui frequentiſſimè in eius ſupinitates concitatur, & miſellum ſtimulat ad piè recitandam orationem pro Ignorantiis, quæ apud Abacuchum legitur. Eſt verò præter cætera inſignis Æthymologicus; vt cum in Prologo libri, ait,* Vulpes *dicitur à* Volando. *Eſt peritiſſimus Chronologiæ, vt cum ait, Antropomorphitas cœpiſſe anno Domini 549. ſub Berengario Imperatore. Et tamen ſubdit Theophilum Alexandrinum & Caſſianum ſcripſiſſe contra eos. Arnaldiſtas quoque fatetur ſe neſcire quinam fuerint; & tamen de Arnaldo multa ſubiicit. Nam quod* Gaianitas *putat eſſe* Gabaonitas, *ſtultum eſt & nimis pingue.* §. 86.

RESPONSIO.

DVm catalogum texis hallucinationum Bernardi de Luxemburgo Ord. Prædicatorum, æquum eſt vt ſupinitates Tuæ, ſimulque exerrationes conſortis Tui in hâc cauſâ, Alphonſi de Caſtro, cuius tantùm verba videris exſcripſiſſe ex l. 5. V. Deus Hæreſi. 2. locum in eo inueniant primarium; adeò enim ſunt craſſæ, vt paſſim ludibrium debeant Lectori, qui iuſtè in Veſtras concitatur oſcitationes, Miſellos que ſtimulat ad piè recitandam orationem pro tot ignoranriis & ineptiis, quot verbis. Tibi honoris cauſâ, primas damus, tanquam inſigni Ethymologico. Dum enim Bernardum Lucemburgenſem Magiſtrum S. Palatij, dignumque & immediatum eo in officio S. Vincentij Ferrerii ſucceſſorem noras, quod iuxta illum, *Vulpes* dicatur à *Volando*; notaris ipſe ridendæ inſcitiæ næuo: Qui enim ignorantiſſimus es hominum, & villanus Ludi-magiſter, peritiorem Te facis varrone, omnium Latinorum peritiſſimo, qualis eſt apud Græcos Homerus, ſi Auguſtino cre- *Inſcitia.*

dis, in L. de Ciuit. Apud Varronem autem, cuius nec dignus es corrigiam calceamentorum ſoluere, *Vulpes* dicitur quaſi *Volipes*, ſeu pes volans: licet enim velociora illâ reperiantur animalia; vti lepuſculi, lepores, cerui; vulpi tamen adſcribitur pes volans, quia pes eius inter cælum & terram continuò libratus; continuò pendulus, nunquam in ſolo quieſcit, nunquam figit greſſum. In quo, inquit Lucemburgenſis, figura eſt Hæreticorum, quorum pedes irrequieti & veloces ſunt inſtar nubium volantium ad effundendam veſaniam ſuam in alios; & ſic dicuntur ſydera errantia ſecundum Sanctum Thadæum. Vulpes ergò à Volando, ſeu ab auis agilitate pendulâ; Tu verò, Petrus indigitaris à petræ materiatâ craſſitie. Illi pes volitans, ob peruigilem aſtutiam; Tibi caput reptans, præ ſtolidâ ſupinitate. Qui itaque ad altiora nequis aſſurgere, conſule Calepinum circa Ethymologiam *Vulpis à Volando*, ex Varrone, illeque ex indulgenti charitate ſtimulabit Miſellum ad piè recitandam Orationem pro ignorantiis, quæ in habacuch, ſeu luctatore ac ſatyrico libello Tuo exundant.

Sed nec fœlicior de Chronologiâ quam de Ethymologiâ concertatio. Cùm enim opponis peccaſſe Bernardum Cyriacum dum ex vnâ parte ait, Antropomorphitas (excuſetur miſerè Græciſſās; Græcus enim ſcripſiſſet per Θ. *Anthropomorphitas*,) cœpiſſe anno Domini 549. ex alterâ inducit Theophilum Alexandrinum & Caſſianum ſcripſiſſe contra eos; hic ſtupens ac ſilens ſiſtit calamus, nec errorem demonſtras; imò nec in quo ille contra Chronologiam peccarit, oſtendis. Quid ergò, ſi quis pro Lucemburgenſi reſponderit, eum rectè & ſapienter locutum? Volo itaque imbecillitati Tuæ præſens afferre ſubſidium & lapſus in noſtro Bernardo plures digito indicare quàm præſumpſeris ipſe; aut illi qui ad Te informes & infidas ſchedulas pro vellicandis Cyriacis tranſmiſere. Peccauit, inquies; 1. quod Anthropomorphitas dixerit cœpiſſe an. 549. & tamen adducit ſcribentes contra eos Theophilum Alexandrinum & Caſſianum, qui tamen hæc tempora longè anteceſſerunt. Ille enim clauit an. 385. iſte vixit an. 406. Dabo inſuper aliud quod non aduerteras: Dicit enim Aduerſarius Tuus, Anthropomorphitas cœpiſſe an. 549. & tamen conſtat ex Nicephoro, Baronio, Prateolo infra referendis, eos cœpiſſe an. 395. Tertiò, ortos aſſerit ſub Berengario Imperatore,

cùm nullus extiterit huiusnominis Imperator. Quid contra hæc, inquies, peritiſſimus Chronologiæ Bernardus opponet? Patere modo, vt inflicta pro Te tela, quia incutere nec Tibi mens nec vis erat; in Te, quia meruiſti, retorqueam.

Neſcis Grammaticule, qui Chronologiæ es omnino rudis, primum Anthropomorphitarum parentem fuiſſe, non Tertullianum, quem S. Auguſtinus excuſat, quicquid reclamet Alphonſus à Caſtro; ſed teſte Nicephoro, (Et Baronio, Inducitur Audæus, cuius tamen hæreſis inquit, emicuit circa aunum 393.) ſub Siricio Papa & Theodoſio ſeniore an. 395. ſed paulo poſt putà an. 402 inquit idem Nicephorus, mortuo Theodoſio & imperantibus filiis Honorio & Arcadio, Anaſtaſio ſummo Pontifice, quæ in Sytia antè nata erat quæſtio & hæreſis, in Ægypto rurſùm mota eſt & recruduit. Cui blaſphemiæ inter multos Theophilus Alexandrinus præcipuè obſtitit, & tandem ſopita eſt & ſepulta. Verùm an. 954. inquit Prateolus, reuelata eſt & iterùm apparuir Hæreſis illa, in Paduanâ Prouinci i; ſed ſtatim extincta zelo Brachetii Epiſcopi Veronenſis & Comprouincialium Antiſtitum; ex quo manifeſtè patet errorem irrepſiſſe culpâ Typographi, in librum Bernardi, vbi ſeruaris iiſdem literis Numeralibus, quæ debuit eſſe prima, in finem deiecta eſt, & pro 954. exarauit 549.

L. 11. hiſt. c. 14. an. 341.

L. 13, c. 10.

Hæreſi 52.

Duplicem itaque hic error ortum agnoſcit, in duplici Orbe, ſeu Imperio: vnum in Syriâ & Ægypto conterminâ; alterum in Italiâ & prouinciâ Paduanâ. Illum in Oriente an. 395. iſtum in Occidente an 954. De hoc autem tantùm loquitur Italus Scriptor, & ſubindicans alterum, inducit Theophilum & Caſſianum ſcribentes in eam Hæreſim, exortam in Oriente ab Audæo. Aduoca igitur citò in auxilium Tuum, Alphonſum à Caſtro, ex quo has hallucinationes exſcripſiſti. Ille enim in Bernardum de Lucemburgo nominatim, acriorem ſtringens calamum, non Scriptorem vocat, ſed indigeſtum ex multis Centonibus malè conſutis Collectorem; at miſellus ſtimulandus eſt ad recitandam orationem pro ignorantiis. Neſciens enim diſtinquere inter ortum primum & ſecundum, ſeu reſtaurationem alicuius Hæreſeos iam confixæ & emortuæ; non capit quomodo reuixerit & cepetit in Occidente ſub Agapeto II. qui Pontificatum tenebat an. 954. Imperatore Berenga-

rio, ſeu vt notat Baronius eodem anno, tyrannidem exercente in Italiâ Berengario; Quem Otho legitimus Imperator redegit in ordinem. Optimè ergò & prudenter ſcripſit Lucemburgenſis, hanc Hæreſim cœpiſſe (ſcilicet in Occidente & in Italiâ) ſub Agapeto II. & cum hoc, verum eſt, primo enatam in Oriente tempore Siricii Papæ.

Sed Tu Alphonſe, quâ hallucinatione & fœdo anachroniſmo dicis incepiſſe hunc errorem ſub Damaſo Pontifice, qui teſte Baronio obiit an 385. cum tamen ex Nicephoro, Baronio, Prateolo ortum habuerit ſub Siricio an 395. decem annis poſt obitum Damaſi? Impeccabilem Te putabas, dum exerto ore & parum conſultò Bernardum configeres; fuiſtique Pſeudo-Petro dux & author ſupinæ hallucinationis. Patere itaque, vt in Te & in acutiſſimum diſcipulum tuum paris hallucinationis & iniuſtæ criminationis reum, verba Tua, in Bernardum à Te procaciter intorta, retorqueam. *Hac coactus ſum digito oſtēdere, partim amore veritatis allectus, partim calore iracundiæ, cum videam quoſdam adeò futiles & profuſos in pronunciando & in ſcribendo, vt quicquid legerint apud quemcumque, nullâ factâ rerum indagine, ſtatim tranſcribant, & coram totâ multitudine magnâ cum fiduciâ pronuntient; ſatis ſibi eſſe putantes, quod apud alium quempiam legerint.* Alphonſus vbi ſupra. Quam benè Tibi & Tuo ſequaci hæc quadrant!

Sapienter etiam addit Bernardus noſter, ſe neſcire Arnaldiſtas & tamen Arnaldum agnoſcere, qui ſuſpēſus & combuſtus, nullos reliquit poſt ſe diſcipulos, errorumque ſequaces. Eia ergò, bone homo excute ſublongas aures, aperi luſcioſos oculos, ſupinitate nimiâ prægrauatos, & agnoſce quo iure optimo Bernardus Cyriacus dixerit ſe noſſe Arnaldum, nullos autem Arnaldiſtas. Mone interim Tuum Præceptorem Alphonsū qui in calce ſui Operis profitetur ſe in catalogo Hæreticorum, ſignaſſe nomina omnium, aut abſoluiſſe ab Hæreſi Arnoldum à Villanoua, quem Hæreticum & damnatos eius errores exhibet Prateolus in Catalogo Hæreticorum: Aut certè non parùm hallucinatum; ignoraſſeque illum fuiſſe Hæreticum, imò & Hæreſiarcham; & conſequenter ſibi piè recitandam orationem pro ignorantiis. Sicut & præteriit Gaianitas; quos à Bernardo Lucenburgenſi acceptos fuiſſe pro Gabaonitis illis qui ad partes Ioſuè deflexerant, ſtultum nimis eſt & pingue ſentire, mereturque

adigi ad orationem pro ignorantiis. Ille enim ſe clarè explicuit, abſtulitque iuſtam tricandi anſam, dum ait: Gabaonitæ vel Gaianitæ appellati à Gaio qui temporibus Iuſtiniani principis fuit. Gabaonitas autem vocat; corruptum vocabulum à plebe, referens: Aliis autem, Gaianitæ ab Authore dicti, ſicut Manichæi, à popularibus corruptè dicebantur Manechini.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Fingit quendam Vaquerium ſumentem obiectiones pro ſententia Authoris.

F. *Albertus Vaquerius, ignarus in quæſtione ſcholaſticâ argumentationes pro parte contraria ab iis quibus poſteà ſcriptor inhæſurus eſt, primum proponi, tum dilui, magnos conciuit rumores, contra ſcriptorem innoxium, qui in diſputatione de appulſu S. Mariæ Magdalenæ Maſsiliam, contra quemdam Launoyum, à quo is appulſus tanquam fabula explodebatur; propoſuerat primò ratiunculas ipſius Launoyi pro parte negante; ſubiuncturus quas pro veritate appulſus, contra aduerſarium, excogitauerat. F. Albertus Vaquerius, paulò minùs verſatus in quæſtionibus Scholaſticis quam Albertus Magnus, pro ſuis Sanmaximitanis à Launoyo laceratis ſollicitus, adiudicauit eidem cum Launoyo furcæ impugnatorem eius; tanquam ambo idem ſenſiſſent; quia hic, primo loco retulerat rationes partis negantis: quâ ſapientiæ, in quæſtionibus pertractandis profunditate, S. Thomam Atheiſmi inſimularet, idcircò quòd initiò articuli, An Deus ſit, præmiſerit rationes apparentes contra exiſtentiam Dei; contrarias mox adducturus, & priores reſecturus.* §. 87.

RESPONSIO.

Ridicula, riſu explodenda, non ratione. Tumet ipſe es Albertus ille Vaquerius fictus, qui, vt euictum eſt §. 41. ignarus in Quæſtione ſcholaſticâ, argumentationes pro parte contrariâ à Melchiore Cano Cyriaco adductas in D. Stephanum & ab ipſo ſtatim

ſolutas ; puerili & ridicula hallucinatione accepiſti pro germanâ ipſius Cani ſententiâ. Doles adhuc, inuſtæ Tibi barditatis notæ memor ; velleſque in alterum transfundere quod vides confixum in Te ipſo. An vero ſperas Te crimen verum fictâ refutatione purgaturum?

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Carpit hallucinationes Gryſaldi, turpiſſimè ipſe hallucinatus.

§. 88. *F. Paulus Gryſaldus, in compendioſa Hæreticorum hiſtoriâ, præfixa operi de Deciſionibus Fidei, grauatus eſt lapſu oſcitantis Librarij; qui, cum ſuppeteret charta pura in columna Doctorum ſacrorum, deſcripſit in columnâ Hæreticorum, Methodium, Iſidorum Hiſpalenſem, Remigium Rhemenſem, Gregorium Turonenſem, Caſsiodorum, Eligium, Bedam, Anthiochum, Victorem Vticenſem, Rabanum, Anaſtaſium Sinaitam, Proclum, Ferrandum, Andream Cretenſem, Paulum Diaconum. Hac ignorantiſsimâ exerratione, quæ haud dubiè cadere non potuit niſi in Aſinum bipedem, perperam videtur grauari Gryſaldus, ſed non potuit niſi per Authoris ignorantiam contingere, illa alia adeò abſona conſignatio temporum, quâ S. Methodius collocatus eſt poſt Anaſtaſium Sinaitam; & Paulum Diaconum ante Proclum & Theophilactum adſcripſit an. 538. Pueriles iſti anachroniſmi non Librarij oſcitantiam, ſed Griſeam Griſaldi peritiam in ratione temporum produnt.*

RESPONSIO.

BIfariè partiris hanc Sectionem ; hinc ſecernis quæ ad Catalogum Doctorum ſpectant ; illinc quæ ad anachroniſmos, & diſpares lapſus pari nugacitate euentilas. Fatemur vltrò dolendam (ſi vera ſit) exerrationem dum apud Gryſaldum in columnâ Hæreticorum ſcripti eminent Doctores Catholici & conſpicua Sanctitate præcellentes : eſtque in tantâ animi cæcitate ac petulantiâ, quâ huc vſque in Cyriacos inuolaſti, miranda æquiras, quâ Typographo, non Authori, lapſum hunc impege-

ris; faſſus nullatenus grauandum Gryſaldum eo errore; qui, (iuxta verbum Tuum, maieſtatem & grauitatem eloquentiæ Chriſtianæ ſpirans,) cadere non potuit niſi in Aſinum bipedem. Qualem non obſcurè ſubindicas Gryſaldum, qui aut lapſum hunc admiſerit ipſe, aut errantis præli deuiationem non emendarit, dum cuderetur opus; quod tamen ipſo abſente exaratum eſt. At lapſus iſte fictitus, falſumque omnino, deſcriptos in columnâ Hæreticorum Doctores Catholicos apud Gryſaldum. Nec fraudulentâ hac exerratione aut potius effronti mendacio grauari debet niſi *Aſinus bipes*, qui finxit. *Impoſtura.*

Verùm percelebre hoc Tuæ mentis effatum tantâ luce micat, vt interſecantibus ſe eius radiis, via nobis præſtruatur huic Lemmati ad Leges Syllogiſtias efformando: nec de conſequentiâ, vlla apud Te dubitatio, cùm ex duobus à Te præiactis fundamentis neceſſario fluxu dimanet. Ponere in columnâ Hæreticorum, Doctores Catholicos & Orthodoxos eſt exerratio, quæ non poteſt cadere, niſi in Aſinum bipedem: Aurea planè verba, quæ non licet commutare: At qui Petrus à Valle-clauſa ponit in columnâ Hæreticorum Doctores Catholicos & Orthodoxos: Ergò Petrus à Valle-clauſa eſt Aſinus bipes. Conſecutio neceſſaria vi materiæ & vi formæ. Maior Tua eſt hoc loco. Minor quoque Tua, nam multoties in tribus primis Diatribis & alibi paſſim, Dominicanos, viros Orthodoxos, Religioſos, Officiales Pontificis & præcipuos Inquiſitionis Fidei adminiſtros, vocas Hæreticos, Hæreticis collactaneos; non tantùm materiali, ſed etiam formali hæreſi ſordentes, vt potè qui palam & ex intimo corde profiteantur, etiam in ipsa Aulâ Pontificiâ, ea dogmata quæ Tu aſſeris hæretica; Ponis ergò viros Catholicos & Religioſos in columnâ Hæreticorum, ac proinde ex proprio ore es Aſinus bipes. Hæc conſequentia non eſt Gryſaldi, nec Griſea, ſed rubea, prout relata ad Te, qui adhuc ex conceptâ præcedenti Paragrapho iracundiâ rubeſcis, & hoc rubore comprobas vulgare illud proloquium, *Nihil pernicioſius Aſino rubeo*; Vnde nec hoc illuſtri titulo, perperàm grauaris; intactusque manet Gryſaldus cui adeò fœdè imponis. *Aſinitas.*

Luculentiùs autem Arcadicæ ſupinitatis reuinceris, dum ad cælum queſtus fundis inanes & ridiculos contra Gryſal-

dũ, quaſi anachroniſmo multiplici fœdiſſimoque ſordentem; quod adeò abſonâ, inquis, conſignatione temporum, collocet Methodium poſt Anaſtaſium Sinaitam, & Paulum Diaconum ante Proclum & Theophilactum: non attendens pro tua Griſea ſupinitati, Gryſaldum, vt benè notauit Poſſeuinus in Apparate, Doctores adduxiſſe Ordine alphabetico non Chronico: & quia in Alphabeto (pueriliter agendum cum Sene alphabetario) litera A. præcedit M. P. præcedit T. priuſque in combinatione rudimentariâ, iungitur cum A. quam cum R. ordine etiam alphabetico quem ſecutus eſt Gryſaldus, Methodius locari debuit poſt Anaſtaſium: Paulus ante Proclum & ante Theophilactum. Hæc itaque Tua hallucinatio non potuit cadere, niſi in Aſinum bipedem. Teneris igitur duplicis Impoſturæ reus.

Barditas.

Verùm obuelemus indulgente ſipario duo hæc impudorata mendacia: nec ordinis alphabetici difficultatem planè euacuantis habeatur ratio, ſed temporis, cuius decurſu metienda veniat Doctorum ſedes à Gryſaldo obſignata, iuxta verbum Tuum Petre: clarebit adhuc pellucidiùs hæc Tua aurita dignitas ex anachroniſmis, quibus non Librarij, ſed Tua oſcitatio reuincetur, reuſque probaberis eiuſdem culpæ, cuius Gryſaldum inſimulas, temeritate Tibi congenitâ. Vnum tamen præmonebo, quod non diffitebris. Typographus qui iuxta Te potuit tam enormi exerratione Hæreticis Orthodoxos annectere, potuit & Pauli Diaconi aſſignans tempus, quo floruit, pro 358. ponere 538. variatâ tantum ſede literæ numeralis vnius, nempe 5. quam primam conſtituit, cum deberet eſſe media. Hi lapſus numerales vix poſſunt vitari, maximè dum Author operis non exiſtit præſens. Iam æquo libramine, duo quæ aſſeris anachroniſmis ſordentia, (& aliunde falſa & commentitia) penſemus. Quereris primò quod Gryſaldus fœdo lapſu, S. Methodium collocarit poſt Anaſtaſium Sinaitam; & ego pariter de Tuâ quiritatione & Griſeâ oſcitantiâ conqueror. S. Methodius Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus, teſte Baronio ſcripſit, claruit, & ſanctè obiit 842. Ex eodem autem Baronio, Anaſtaſius Sinaita floruit 561, ſicque præceſſit Methodium 300. annis. Et ſtupes quod collocarit eum ante Methodium? Locutus eſt autem ibi Gryſaldus de hoc Methodio viro ſancto & Scriptore

Anachroniſmi.

Eccleſiaſtico, non autem de altero Methodio Sancto & Martyre, ſed non Scriptore; (quia Catalogum texuit non Martyrum ſed Scriptorum) in cuius exhibenda notione, Poſſeuinus triplici ſe anachroniſmo inuoluit. Hic enim S. Methodius Tyri Epiſcopus, fuit initio 4. ſæculi, paſſuſque an. 302. iuxta Baronium; Poſſeuinus autem locat em in medio 3. ſæculi an. 255. ita vt exerret 50. annis. Errat etiam quòd eum floruiſſe dicat ſub Decio, cùm vixerit & deceſſerit ſub Diocletiano, ex eodem Baronio. 3. denique errat, quòd locans eum an. 255. ponat ſub Decio, cum tali anno, mortuo iam Decio, regnarent Gallus & Voluſianus. Adeò accliuis eſt ad auachroniſmum via; in quem Tu ipſe prolapſus es, dum alteri caſum exprobrares, præter effrontis impoſturæ crimen duplex quod hoc vnico Paragrapho incurriſti.

Hic certe reciproca conquerēdi ratio; Tibi in Gryſaldum, & Gryſaldo in Te, violatæ Temporum rationis actio conceditur. Hoc tamen inter vos diſcrimen; quod lapſus illius, minimus, imò fictus, Tuus nullam excuſationem recipit. Collocauit ille Paulum Diaconum ante Proclum, exerratio Chronologica: quia Paulus ille anno 770. ductus eſt captiuus ab Italia in Galliam, Proclus autem inuenitur floruiſſe an. 426. ſed in Typographum lapſus iſte euidenter refunditur, qui Paulum notans, addidit de ſuo, *Diaconum*; cum ponere debuiſſet, Næocæſarienſem, virum ſummæ pietatis qui claruerat an. 358. longè ante Proclum; quod Tempus coincidit cum lapſu Typographi ſuprà emendato. Tua autem fides planè corruit in eo quod velis Theophilactum anteceſſiſſe Paulum Diaconum, à quo tamen longè ſuperatur. Si quidem Paulus Diaconus fuit an. 770. Theophilactus autem longo poſt interuallo. Sixtus enim Senenſis ponit eum an. 842. Panuinus 883. Baronius autem 1071. Vnde in omnium ſententia Paulus Diaconus Theophilactum Bulgariæ Epiſcopum & inſignem Scriptorem, præceſſit ad minus, plus centum annis & iuxta aliquos, plus 300. Puerilis itaque hic anachroniſmus, non Librarii oſcitantiam, ſed Griſeam & Arcadicam Tuam in ratione Temporum peritiam prodit, communi ludibrio ſupponendam. *In quo enim alium iudicas, Te-ipſum condemnas.* Et aliunde dupliciter Falſarius & Impoſtor haberis.

adſciſcere in maleficij conſortium ſta:uebus. Deus peſſimum conſilium diſturbauit per virum optimum.

RESPONSIO.

OMnia pro libito, Cyriacis affingere; nihil impactum probare, duo priuilegia Tibi ſummo iure indulta. Æquiuocatio nominum *Manſur* & *Meſue* facilis, ſimileſque quiuis licet oculatus experitur. Certè Tibi deſunt grauia, cum minutilis immoreris; nec ſupereſt quod poſſis obtrudere, niſi fingas. Sed fingendi ineſt tibi audacia, ſolertia deeſt; adeò enim materiatè ac craſſè in volatili tuo cerebello ridiculam cudiſti aduerſus Bzouium percelebrem Hiſtoriographum & ex nutu Pontificis, Baronij Continuatorem, fabellam; vt ea ſemet-ipſam perimat, ſitque ſimplex rei contextus, abſoluta eiuſdem confutatio. Ille enim dum ſcriptis ſuis inſeruit, (vt tu ſomniaſti) hiſtoriam Concilij tridentini à Paulo Suaui Apoſtatâ in dedecus Eccleſiæ fabricatam iuſto volumine; impium nouerat illud opus, aut certè Catholicum & purum ab omni labe ſibi perſuaſerat? Si optimum credidit & infermentatum; cur iam recognitum & à M. S. Palatij approbatum, iterandæ reuiſioni, quod inſuetum eſt, ſuppoſuit? Cur ſubiit, quaſi vellicatam Bzouij conſcientiam, cupido nouæ recognitionis quærendæ, quam aliquis nominatim à ſummo Pontifice delectus præſtaret? Quid impuri in ea lucubratione ſua olfecit, qui inſcius ſupponitur reprobæ mercis, quâ fartus erat eiuſmodi codex? Vides ergò ex hâc parte, hians commentum, nec attendiſſe figmenti artificem ex eo compertum, non fuiſſe locum nouæ recognitionis expetendæ, vbi nihil occurrebat quod Authoris animum bonâ fide incedentis morderet aut lancinaret. *Impoſtura.*

Altero ergò tantum pede decurrit fabula veri ſpeciem occupans; quaſi ipſemet Bzouius conſcius furuæ ac caliginoſæ doctrinæ, quâ reſperſum eſt Pauli Apoſtatæ opus nefandum, meditatò eam ſuis voluminibus intexuerit, quo vel illo putido additamento ſpatioſa codicis moles euaderet; aut quod fœdius eſt, in poculo auro miſta ſanis venena propinaret & hiſtoriæ Eccleſiaſticæ aliunde illibatæ, inſerta Pauli Suauis hiſtoria, Fidelium animos faciliùs inficeret. Verùm ſi fraudulentâ ac impiâ hâc arte vſus fuiſ-

ſet Abrahamus, vt Fidelibus, horrendâ hâc conſarcinatione illuderet; omnibus voto ſuo arridentibus, recognito iam opere & licentiâ prælo mandandi obtentâ, debuit ſtatim in lucem publicam dare; non autem nouum à Pontifice poſtulare Recognitorem qui fraudem detegeret, fieretque vanus & Authori ſuo probroſus tentatus labor, codexque infandâ miſturâ fermentatus. Quæ mentis illuſio faſcinauit te, Petre? Inſeruit Bzouius ſcriptis ſuis hiſtoriam Pauli Suauis, vt poſſet hâc fraudulentâ interpolatione, in publicum emitti; & tamen ne poſſet emitti in publicum, nouum petiit Recognitorem, qui neceſſarius non erat, & quem non poterat ſi inſpiceret, latere incluſum venenum. Hæc nec puer decem annonum compingeret tam imperitè, nec à Sene octogenario compacta & conficta quis credat, niſi qui expertus non fuerit te ſub cano capite, pueriliter deſipere?

Deliratio.

Quid autem mirum ſi nomina fingit, rerum fictor, figulus, & fabuloſus contextor? Quid Rancatum commemoras, rancide Senex? Nec ſi mortui cauſæ tuæ patrocinaturi reſurgant, credetur tibi, adeò infamis & deplorata eſt fides tua. Rancidis fabellis recentes oppono veritates, tuiſmet verbis exponendas circa famoſum hunc tuum libellum ad Secretarium S. Indicis delatum. Is vix paucis foliis euolutis, putorem operis, & pro ſuaui odore; Lutheri, Eraſmi, Reuclini, Henrici Roberti; Auctorum exſcriptorum fœtorem illicò odoratus, de morte in ollâ Pontificem admonuit. Ille Qualificatoribus examinandum tradidit, notandumque poſteà, Patribus purpuratis; qui de tot nugamentis, obſcœnitatibus, ſcurrilitatibus, Impoſturis, Calumniis, impietatibus ac Blaſphemiis pronunciaturi, tenebrionem Petri à Valle-clauſâ in columnâ cum Flagrionibus ac Furciferis appendi iuſſere. Vtinam æquiſſimam hanc præuertens pœnam aliquis Vallis tuæ colonus, famæque tuæ adlaborans, mutuò ſumpto impio hoc volumine, omnia folia interpoſito glutine ſimul compacta concluſiſſet, ita vt deinceps explicari ac euolui paginas, quod legenti neceſſe erat, fuiſſet impoſſibile.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Fingit Cyriacum ſanum à Superiore adactum ad ſuſcipiendum Viaticum.

IN quodam Cyriacorum Hiſpaniæ Cœnobio, cuius nomen conſultò reticetur, obiit F. Cyriacus, abſque Sacramentis. Magna inde concitatio in Priorem Cyriacum in Prouincialibus Comitiis, & non leuis in omnibus Prioribus timor, ne quid tale domi ſuæ accideret. Aliquo poſt tempore, Frater quidam media æſtate peruenit ad aliud eiuſdem Prouinciæ Cœnobium; æſtuans & facie rubens præ vrente Syrio. Vix mulo exſcenderat, cum accurrit ad hoſpitem Prior, & pro hauſtu ad ſitim temperandam, præcipit hominem in valetudinariam deduci, ac incœnatum componi. Et nequicquam reclamantem, ſeque ſanum & valentem conteſtantem, vrget & adigit minis ad ſumendam pro Viatico Euchariſtiam. Quod vbi factum eſt, ad extremam luctam, iniungi Oleo infirmorum hominem mandat; & vix ſorbitiunculâ ad ſuſtentationem impertitum, noctem ſub curâ Valetudinarij exigere præcipit. F. Hoſpes, eam tractationem, poſtridiè Tumulatione ac Inferiis excipiendam veritus, nocte concubiâ euolans, ad ſtabulum quo mulum ſuum aduenien s incluſerat, tentato egreſſu, è Cœnobio clam omnibus, ſe feſtinus proripuit; & fatuum Prioris Zelum ſupra paratos ſuſcitare Leuiathan proſcidit. Euge exquiſitam, laborantium procurationem. §. 90.

RESPONSIO.

ITeratò facetulus Theatrum aſcendit, nec amplius ludicris ſeria nugiuendus inſerit, ſed Hiſtrionico per omnia conſpicuus apparatu, Ludionis probroſiſſimas partes hic ſuſtinet; fabulam cudens in deriſum Religionis & Sacramentorum, adeò ſcurrilem ac irreligioſam, vt nec reſponſionem exigat, nec mereatur auditum. Rogandus tamen Dominus Sacramentorum ac Religioſi ſtatus Author, ne nocte concubiâ euolans ad ſtabulum, qui aſinos ſemper ac mulos commemorat, ceu ſibi cognatos; muli *Impoſtura.* *Irreligio.*

imitetur interitum, ringendo & calcitrando, habeatque poſtea ſepulturam Aſini, irreligioſus Nebulo ſub veſte ſacrâ Sacrorum deriſor.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Mentitur Mirandulam vexatum à Cyriacis ob nomen *Cabalæ.*

§. 91. A*d ipſum ignorantiæ verticem; pertigerat Cyriacus ille qui Ioanni Pico, Mirandulæ principi, ingeniorum aui ſui phœnici, negotium præ cæteris faceſſiuit, commotus mente præſertim ad nomen* Cabalæ. *Sic enim lego de eo in Apolog. q. 4. quæ erat de Cabala & Magia naturali.* Interrogatus quidam ex eis (*ex Cyriacis qui negotium Pico faceſſebant, eo quod Cabalæ meminiſſet,*) Quid eſſet ea Cabala; reſpondit fuiſſe perfidum quemdam hominem, & diabolicum, qui dictus eſt, *Cabala*, & hunc multa contra Chriſtum ſcripſiſſe; inde ſequaces eius dictos eſſe Cabaliſtas. *Exclamat ad eam ſupinitatem Picus, & meritò.* Quis quæſo hic riſum teneat? *Præmiſerat verò,* Horrendum iſtis Patribus videtur hoc Cabalæ nomen, & ex ipſo penè ſono timendum, ita vt fortè ſint ex ipſis, qui Cabaliſtas, non homines, ſed Hirco-ceruos potiùs, vel Centaurum, vel omnino monſtruoſum aliquid eſſe ſuſpicentur. *Videſis Bonfrerium, in Præloquiis ad Scripturam c. 21. Sect. 1. n. 2. has offucias depellentem.*

RESPONSIO.

QVi impreſſam monetæ Principis effigiem adulterauerit, furcæ ac igni adjudicatur Legum decretis. Viden' Petre quid capiti tuo immineat, qui Pici Principis falſaſti imaginem & verba? Ioannes Picus, Mirandulæ princeps, vir ingenii ſupra ætatem peritiſſimi, Romam venit nondum 24. annos natus, de nongentis quæſtionibus in illo totius orbis theatro diſputaturus, quarum maximam partem fatetur ſe extraxiſſe è *Cabala*, quam Magiam Naturalem indigitabat. Vix aperto Palæſtræ literariæ campo, ecce Religioſi omnes vrbis Almæ, vt ipſe conqueritur;

queritur, manu factâ & eodem Chriſtianæ Religionis zelo incenſi, plures eius Theſes, tum Impietatis, tum Hæreſeos labe eſſe infartas vno ore conclamant, quas ipſe purgare conatur. Acriorem impetum *Cabala* excipit, altoque ſpiritu detonant in Magiam, quam ille naturalem & innocuam, furuam alii & Negromanticam contendebant. Summus hic Genius & iuuenili ardore æſtuans in defenſionem famæ propriæ, non mediocriter hâc concuſſione nutantis; Apologiam emiſit doctrinæ vindicem, cuius veſtibulum hâc Chriſtianâ moderatione adornat; neminem à ſe nominatim nec directo, aut etiam obliquo ictu impetendum. dum diluendis tantùm obiectionibus inuigilat. Verba eius exſcribo in præfatione apologiæ. *Hieronymo ſuadente, imò cogente etiam aggreſſus ſum ſcribere Apologiam, non vt quemquam lacerem vel accuſem, ſed vt à maximo, quod mihi iniuria obiicitur, Impietatis crimine, iure me excuſem.* Neminem itaque nominatim ſugillat; ſed ſingulis quæſtionibus, ſingulas conatur purgare criminationes. Hinc quæſtione, non quidem quartâ, vt Tu perperam indicas, ſed quintâ; de *Cabala* agens, & in communi inſinuans Religioſos omnes, qui gregatim & indiuiſo ſpiritu ſub diuerſâ veſte militantes, in eius Dogmata Cabaliſtica inuolarant: *Horrendum*, inquit, *iſtis Patribus videtur hoc nomen (Cabala) & ex ipſo penè ſono timendum: Ita vt forte ſint ex ipſis qui Cabaliſtas non homines, ſed Hirco-ceruos potius, vel Centaurum vel omninò monſtruoſum aliquid eſſe ſuſpicentur. Quinimò audi rem ridiculam; cum ſemel quidam ex eis interrogaretur quid eſſet Cabala iſta, reſpondit ille, fuiſſe quemdam perfidum hominem & diabolicum, qui dictus eſt Cabala. Et hunc multa contra Chriſtum ſcripſiſſe, inde ſequaces eius dictos Cabaliſtas.*

Quiritationes iſtæ Pici irriſorio ſpiritu intortæ, duplici metiendæ ſunt aſpectu: Primò enim exaſperati Principis in ſummo orbis Theatro, Hæreſeos ac impietatis notâ inurendi ſi ſileat, hians vulnus, oſtentant amarulâ deriſione Æmulos ſuos, (nullo tamen ex proprio nomine nec ex familiâ notato) confingentis, fictoque acroamate impetentis inuictos Fidei pugiles, omnes indiſcriminatim Cœnobitas Romanos. Glomeratum aliunde agmen dum ludicro hoc ſcommate impetit, in aliquod tolerantiæ ſuæ leuamen confìcto; nullum ordinem Religioſum, nullumuè

Cænobitam ſingulatim carpit: de Cyriacis autem ſeu Dominicanis, nec verbum, nec apex. Vnde triplici Te reatu innodaſti hîc Petre, qui vbique inueniris falſus & falſans, mendax & mordax. Dum enim ad ipſum ignorantiæ verticem pertigiſſe aſſeris illum quem Picus aggreditur; fœderata pro rutelâ fidei Religioſorum cohors, vltimo ignorantiæ propudio à Te conſpurcatur: emotos mente intonas Regulares omnes, & ſupra fidem ridiculos, vt potè qui *Cabalam* putarint eſſe hominem diabolicum & Antichriſtum: *Cabaliſtas* autem Hirco-ceruos, Centauros, monſtra. Hâc Te, ſi potes muſcipulâ expedi. Qui Ioanni Pico negotium faceſſiuit, præſertim circa Cabalam, pertigit ad ipſum ignorantiæ verticem, eſtque emotus mente; Hoc fecere generatim & fœderato agmine omnes Religioſi Romæ tunc degentes, vt ipſemet fatetur & queritur; Ergò ſecundum Te & tuo calculo, ſummè ignorantes & mente emoti omnes Religioſi Vrbis almæ. Multum Tibi certè debet Profeſſio Roligioſa; multum Religio Chriſtiana, quam Regulares propugnabant, Tuque ignominiosè ac petulanter traducis.

Falſatio.

Irreligio.

Cæterùm, vbi fides Tua? dum enim cuſo ſat ſtolidè figmento, ais Cyriacum quemdam Anonymum Pico Mirandulæ Principi faceſciuiſſe negotium, præſertim ad nomen *Cabalæ*, ſubdis tanquam indubitatæ fidei teſtis, *Sic enim lego de eo in Apologia, q 4. quæ erat de Cabala & Magiâ naturali; Interrogatus quidam ex eis, (ex Cyriacis qui negotium Pico faceſcebant, eoquod Cabalæ meminiſſet;) quid eſſet ea Cabala, reſpondit fuiſſe perfidum quemdam hominem & diabolicum, qui dictus aſt Cabala.* Legiſti hoc Petre ibi? quibus oculis? Tuis an alienis? non certè Tuis, qui non vident niſi ea quæ ſunt, niſi forte emotionem mentis, ſequatur emotio & illuſio oculorum; nulla enim ibi prorſus de Cyriacis, ſeu de Dominicanis mentio. Legiſti ergò alienis & commodatitiis oculis. Corraſæ & emendicatæ famoſæ hinc inde ſchedulæ, Te deceperunt cæco furentem œſtro in Cyriacos: Quod comprobat interjecta parentheſis (ex Cyriacis) quæ diſtinctis exarata characteribus ſuadet vltrò, Te locum Pici citatum nec vel oculis corporeis attigiſſe, cum in eius citatione palpabundus erres inſtar cæci, & pro quinta quæſtione, quartam nutanti manu obtrudas. Ita enim cæci ſunt, & ineptiunt &

Falſatio.

ridiculi fiunt, qui proprios oculos non habentes, alienos mutuantur, vanâque & improuidâ feſtinatione libros præcoces, licet decennales, quaſi catulos cæcutientes effundunt. Interim qui pro *Cabala* pugnas, recordare quam acriter Tibi non ignotus Scriptor Raynaudus Theophilus, Cabalam arrodat, tanquam errorum & ineptiarum ſentinam. Videſis illum Partitione 1. Erotemate 13. n. 359. quod & nos infra exagitabimus, vbi de Reuclino *Perditio tua ex Te*.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Ridet Valeſium & Triuetum ob Commentarios in Auguſtinum de Ciuitate Dei.

F. *Thomas Valois, adiutore F. Nicolao Triuet, conſcripſit Commentarium in opus Auguſtini de Ciuitate Dei, tam multis ignorantiis, ineptiis, gerris, aniliitatibus, figmentis fartum, vt videatur vna perpetua ſomniantis exerratio. Ludouicus Viues in Præludiis, ad ſuam eiuſdem Operis Auguſtiniani illuſtrationem, aggreſſus ſertum ex hiſce ludicris carpere; abiecit haſtam, videns ſi quis ſuſcipiat ludicrorum illius Fratrum commentarij colligendorum prouinciam, totum opus fore exſcribendum. Itaque Viues ſpecimine nugarum parcè decerpto & exhibito, dimiſit earum plenitudinem. Ego pariter vna & altera ex innumeris quibus integer Commentarius redundat nugacitate & craſſa ignorantiâ repreſentatâ, cæteras prætereo.* §. 92.

Ad Libri ergò ſecundi Caput 4. de Berecinthia differentes Commentatores Cyriaci, tradunt; Atyn fuiſſe ſpecioſum puerum, Berecinthia oblatum vt voueret caſtitatem, & ſeruiret ſibi in Templo ſuo. Itaque factus eſt Sacerdos, ſed poſtmodùm votum ſuum fregit; propter quod Dea irata immiſit ei furorem, quo penitus ſe exſecuit, dicens: Ah pereant partes quæ nocuere mihi! *In eius Deæ cultu alter ex iiſdem Commentatoribus eiuſdem Libri c. 26. ait* Symphoniacos *dictos eſſe, qui Deæ imaginem Syphonibus in eam a poſteriore intortis reuerebantur:* Syphon *enim vnde* Syphoniacus *dicitur, à Sybilo B. in F. commutato. Vnde ſonitus quo oppedentes in Deam perſtrepebant,* Syphon *dicebatur, & ipſi Deæ Miniſtri,*

Syphoniaci. Iidem dicebantur Corybantes, & dicebantur etiam Scenici à Scena, quæ propriè eſt domuncula in medio Theatri, quales ſunt domunculæ Tabernariorum, vel Mercatorum in Nundinis. In eâ domunculâ erat pulpitus, quem aſcendebant illi qui Fabulas recitabant, & quot erant carmina, tot reputabant appoſuiſſe fercula. Ad hanc Deam, quando eius imago erat in Peſſunio, Conſules, Prætores ac ſimiles victoriam aliquam conſecuti adibant, vota ſua perſoluturi, & eidem Deæ Domitianus Templum Pantheon conſtruxit. Hæc & alia de Berecinthiâ F. Valois ſuffragante Fratre Triuet, collato ſtudio; nam ad tanta eruditionis fruges aceruandas in hoc Commentationis horreum, non ſuffeciſſet eorum vnus. Sicut noſtrâ ætate, ad explanandam caliginoſiſſimam Ezechielis Prophetiam, duo inſignes viri, collato ſtudio in conſcribendâ eius interpretatione collaborarunt. Neque tamen (quamuis plus videant oculi quam oculus) vidêre hic Fratres, ſi nugari vacabat, aptiùs Syphonem accipiendum fuiſſe de aquâ pedum, quam in Deæ aram, allegato Iuuenale ſparſam à micturientibus (imo à mingentibus) volunt, ſic exponentes Poetam; quàm de Bombo poſtico, in Deæ faciem diſploſo. Cauendum eſt, ne rumpantur ilia Codro, ſi in talia legendo inciderit.

Dignum verò videtur, non præterire quæ de Sacris addunt, quibus nomen Phygialia, vel Phrygalia, ſiue Bacchanalia; in quibus viri & mulieres adunabantur, & faciebant totum: & dicebantur Phrygalia, à Phrygia, in qua iſta Dea colebatur. Quin verò omnes Poëtæ, vocant Phryges timidos, propterea D. Auguſtinus vocauit ea ſacra Fugalia, à fugâ quam ineunt qui timent. Ludos illos Scenicos, Berecinthiæ Deæ faciebant Poëtæ, & illis ſeruientes, in dicto pulpito recitabant; ſub eis Thymelici inſtrumentis muſicis canebant. Mimi autem & hiſtriones ea motibus corporis effigiabant, vt Commentatores aiunt ad c. 8. eiuſdem Libri, vbi ſubdunt Poetas alios fuiſſe Comicos, ſic dictos à Comis, ideſt pagis & odos, id eſt cantus; quaſi cantus villanus, quia circa pagos & villas conſueuerant cantari. Vel certè dicti ſunt Comici à comeſtione; quia poſt comeſtionem indulgebatur talibus. Poetæ hi Comici non agebant niſi de factis hominum priuatorum: ſicut Tragici (ſic dicti, quia cantabant propter hircum) erga perſonas publicas & ſtatum Reipublicæ verſabantur. Erunt autem duo genera Poetarum Comicorum; nempe aliqui

erant Veteres, qui toti erant in concitatione riſus, vnde canebant obſcœna; vt Plautus qui fecit Aulularíam, & Terentius: alij verò (hoc eſt Noui Comici,) mordebant vitia & ea denudabant; & *idcirco Nudi incedebant, & vocabantur* Satyrici, *ſicut Perſius & Iuuenalis. Poetarum item Tragicorum, aliqui erant puri Tragici, alij verò erant Elegiaci, quia tractabant de Elegiâ, hoc eſt de miſeria. Hactenus FF. Cyriaci eruditionem ſuam oſtentantes in Berecinthia: reuera autem profundam ignorantiam & craſſam barditatem, deridendam vel pueris exhibentes.*

De altera Dea (hoc eſt Mena) ad L. 7. c. 3. adeò craſſè philoſophantur iidem Nugones, vt referre propè pigeat, quæ ibi tradunt. Vno tamen verbo me expedio. Quod ergò D. Auguſtinus dixiſſet, Deam Menam conferre fluores monſtruos ad eius quod conceptum eſt, incrementum; aiunt hi Cyriaci, fluorem menſtruum ſumi duobus modis; nempe & pro ſanguine, qui quot menſibus excernitur, & pro ſanguine puro, qui remanet in matris corpore ad fœtus alimentum. Prior ſanguis menſtruus, confert fœtui per ſui abſentiam, quia cum ipſe expellitur, ſanguis, vnde fœtus augetur, efficitur mundior & ad augendum melior: Et hoc eſt conferre per accidens ad fœtus incrementum. Per ſe autem confert ad illud, alter fluor menſtruus; id eſt alter ille ſanguis, qui per eiectionem alterius purgatur. Sic illi. Tot verba (& hic & ſuperius) tot errores; nec poſſent vlla Arcadia pecuaria rudere inconcinniùs. An non ipſi hominum Apices & germanè *loquentes? Ita ſanè iuxta iſtorum Gloſſam. Nam ad L. 2. c. 13. cùm D. Auguſtinus dixiſſet:* O animum Germanè Romanum! *ipſi ſic gloſſant;* Germanè id eſt altè, vel immaniter. Nam Germani habent alta & immania corpora. *Et eodem Libro c. 15. cùm D. Auguſtinus dixiſſet de* Lino *vel* Lanula *capiti Flaminum adhibita*, Flaminem Apice teſte in Romanis ſacris excelluiſſe. *Gloſſa iſtorum habet.* Apex nomen eſt cuiuſdam Hiſtoriographi Romanorum. *O miram Metamorphoſim! Deus e limo hominem finxit; iſti ex lino aut lanâ (ea enim erat Apſi materia) hominem formant, qui teſtetur, hominem geſtatorem Apſi, vel Apſus in Romanis ſacris excelluiſſe.*

RESPONSIO.

EViluit in perſonâ Tuâ vulgare illud effatum, *Nec Hercules contra duo.* Accedant duo Auguſtini Commentatores FF. Valois & Triuet Cyriaci, ſecumque pertrahant, quotquot repererint, Patrum Scholiaſtas, vbi de adulterationibus ac fabellis ſermo intercedit; palmam vltrò ceſſuros Tibi, ad mendacia & fictiones natiuâ pronitate aptato. Non itaque mirum, ſi in prato viridi, guſtumque demulcente paſcens Aſellus laſciuiat, & petulanti libertate in obſcœnos quoſque Fabularum ſuggeſtus irruat, Lectorum oculis ſubiiciendos, qui multiplici forent obuelandi ſipario. Auguſtinus profana Ethnicorum myſteria, iuſto ludibrio traducturus, in libris de Ciuitate producit: Expoſitores mentem Authoris, vt explicent, fiatque turpior Infidelium ludicra pietas; quæcumque eius verba aliquid obſcuritatis obtendunt, tenentur excutere, vt latens ſenſus emicet, officio Commentatorum ad hoc adacti. At euentilat fœdiora quæque ſingulatim impudoratus Senex, non vt Cyriacorum gloſſas expungat, aduerſus quas nihil omninò opponit animus vecors & iners: ſed vt expandat in lucem publicam, ac ſpurcâ exaggeratione diffundat, quæ Auguſtinus & Gloſſatores ſtrictim attigerant.

Ad quinque reuocamus Capita quæ puerilis Ariſtarchus obtrudit, publicum daturus animi ignorantiſſimi, infideliſſimi ac ſupra fidem obſcœni ſpecimen. Primò opponit Atyn violantem votum ſuum & in furorem actum, ſe-ipſum execantem, (*ſe exſecuit* inquis; Latinus diceret, ſe execuit.) Arreptitios vocat Auguſtinus Sacerdotes Deæ Berecinthiæ: duplicem huius abreptionis cauſam adducunt Commentatores præfati. Prima eſt, quia dicti Sacerdos vino inebriati, inſaniebant, quod & Romæ factitatum afferunt, dum eius feſta celebrarentur. Alteram afferunt rationem ex Ouidio, quæ innititur fictione poetica de Athy dilecto à Deâ & eius Sacerdote, quis ſemetipſum execuit in rabiem abreptus ob effractum votum. Hoc referunt ex Ouidio. Prædictam fabulam confirmat Calepinus Tibi familiaris, V. Athys. Nec habes quid opponas. Cur ergò eorum Gloſſas refers, rides & carpis? Fortè cum Sacerdotibus Berecinthiæ, arreptitius ipſe, & vrgente furoris æſtu

Obſcænitas.

L. 4. faſtorum.

dementatus, ſæuis in immeritos.

Secundò ſugillas eos, eo quod dixerint Symphoniacos dictos eſſe, qui Deæ imaginem Syphonibus in eam à poſteriori parte intortis reuerebuntur (debuiſti dicere, reuerebantur) à Sybilo B. in F. commutato. Hic certè quot verba, tot mendacia. Nec enim ibi quicquam de iſtâ nugaci commutatione in Sybilo B. in F. Nihil etiam de illâ reuerentiâ à poſteriori parte intortis Syphonibus, Deæ exhibitâ. Nec etiam dixerunt Symphoniacos appellatos à Syphonibus. Sicque vna phraſiuncula triplex & enorme Mendacium intexuit. Verba Expoſitorum ſunt hæc. *Hic communiter habetur, Symphoniacos: Sed Syphoniacos eſt æquè bona litera, ſunt canentes tubis vel alio modo ſonitum magnum facientes. In feſto autem Berecinthiæ, fiebat ſpiritus magnus concutientium, cymbala, & æs cum ære percutientium, vt patet per Ouidium l. 4. de Faſtis: & etiam per Iſidorum Ethymologiarum l. 4. Strepitus erat tantus quod erat horribilis ad audiendum: vnde Ouidius.* Quærere multa libet, ſed me ſonus æris acuti, terret, & horrendo Lothos adunca ſono. *Vocat ergò hic B. Auguſtinus Symphoniacos iſtos ſic ſtrepentes.* Subiungit deinde Scenæ interpretationem & apparatum, qualem refert nec impugnat Pſeudo-Petrus. Quare ergò obtrudit, ſi non habet vnde impugnet? Symphoniacus eſt ſeu arreptitius. Mendacium 3.

Tertiò ſemper ſibi ſimilis, eâdem leuitate obiicit ex cap. 6. & 8. Sacra Berecinthiæ ab ipſis dicta Phrygalia, Fugalia, ſicut & Poëtas alios Comicos, Tragicos alios. Quidni? Cùm & Auguſtinus ſic indigitet, ipſeque Viues, qui illi major eſt Auguſtino. Certè, quam hic barditatem Cyriacis irrogat, primus ipſe & ſolus incurrit; *nec poſſent vlla Arcadia pecuaria rudere inconcinniùs*, quàm prouocato ad pugnam hoſte, nec dum enſe euaginato, victoris deoſculari manum, armaque ad pedes eius demittere. Valeſium & Triuetum ſugillaturus imbellis Nebulo, conclamat ad arma, multaque notaturus inſurgit; & dum eorum dicta recenſet, vt piſcis *Colaus*, muteſcit nec habet quid ingerat. Barditas.

Quartò, quid iuxta ridendam Infidelium æſtimationem, Dea Mena conferret fœtui iam concepto, ex doctrinâ Medicorum determinant nec Tu quid in oppoſitum effutias habes, obſcœna hinc inde aucupans.

Quintò denique quod per hæc Auguſtini verba, *animum*

germanè Romanum, intellexerint, non animum genuinè Romanum: ſed altè & immaniter Romanum, ſeu generoſum; quod excelſa & enormia ſint Germanorum corpora: ſicut exiſtimarunt Tò *Apex*, eſſe nomen Hiſtoriographi Romani, dum Auguſtinus dixit, *Flaminem Apice teſte in Romanis ſacris excelluiſſe*. Hæc, inquam, illi Cyriacos vellicandi geminata occaſio. Fateor duo illa vocabula *germane* & *Apex*, æquiuoca ſunt & ad varias ſignificationes natiuo pondere nullâque vi ingeſtâ deflectunt, & vtramque textus Auguſtini explicationem libere excipiunt. Primum quidem vocabulum; vt ſi quis, exempli causâ diceret, Ille eſt Gallicè Hiſpanus, hoc dicto, grauitatem cum agilitate connecteret: ſicut connectit eminentiam cum generoſitate, indicatque animum eminenter generoſum, qui dicit, *Germanè Romanum*. Apex autem videtur quidem ſupponere pro eminente aliquo capitis ornamento; nihil tamen obſtat quin vetus Roma habuerit Authorem qui diceretur Apex, & qui talia de Flaminibus ſcripſerit; nec huic interpretationi repugnant textus aut ſenſus Auguſtini: Imò litera videtur hoc innuere, quæ dicit Flaminem fuiſſe Sacerdotij genus in Romanis præcellens, teſte Apice. Lanea autem vitta capillos ligans, de quâ hunc Apicem intelligit Viues, teſtis eſſe nequit, nec argumentum huius præcellentiæ & ſingularitatis, cum tres forent Flamines; ſed Authorem huius nominis videtur indicare. Cæterùm in re dubiâ & liberâ, elige quod volueris, nemo ſuccenſebit.

Cæterùm, quàm Te exhibes vacuum & inanem, garrule Senex! In tremulo capite Tuo hæc à Te inducta faba cuditur; doctos enim Commentatores Auguſtini Valeſium & Triuetum non appetis, niſi vt illuſtres. Eorum Gloſſemata Tuo ſilentio veneraris & amplecteris, dum nec vno verbulo impugnas. Proptereanè erat Tibi à viris Religioſis & ſapientibus deſciſcendum, vt ad diſcipulum Eraſmi, Sacrorum irriſorem more Magiſtri, & multiplici furfure maculatum, Viueſium, irreligiosè deflecteres? Vt video, cæco furore æſtuas, nec hoſtem quem impetis, noſti. Dabo Tibi genuinum F. Valeſij ſpecimen, (cuius germana imago, Collega Triuetus.) Valeſius ille eſt natione Anglus qui Auenione, dum Summus Pontifex Ioannes XXII. (cui Ordo Prædicatorum prædilectus) opinio-

nem illam inſinuaſſet de ſuſpensâ Sanctorum viſione beatificâ vſque ad finem mundi : quam tamen ante mortem ipſemet Pontifex damnauit : Frater Thomas Valeſius magni nominis Prædicator , occaſione ſtatim arreptâ , aſcendit Suggeſtum ſacrum & prædicans coram infinitâ multitudine , coram primoribus Aulæ Pontificiæ, pluribuſque Cardinalibus , adeò acriter & apoſtolico plenus ſpiritus inuectus eſt in prædictum errorem nominatim , vt teſte Spondano, qui eum tacito nomine indicat, coniectus fuerit, & propter ipſum plures Cyriaci , in vinculâ ; exclamaritque hoc reſciens Ludouicus Bauarus , qui ſe Imperatorem dicebat , quiuè vltimo odio Pontificem & Dominicanos, quia Pontifici ſummoperè addictos , proſequebatur: *Iam video Ordinem iſtum eſſe reuera Ordinem veritatis*: Quaſi diceret , Amicus illis Pontifex , ſed magis amica veritas. Præter Spondanum , expreſſo Valeſij nomine , idem referunt Caſtillus *a* & Michael Pius. *b* De quo & Iacobus Tirinus Societatis Scriptor , in Catalogo Authorum quos ſecutus eſt in expoſitione Scripturæ ſacræ : & habetur ad calcem tertij Tomi , cum nullius Authoris laudes texat, hæc tamen ſubjungit: [Thomas Anglicus Gvalenſis ſeu *de Valois* coguomento Iorgius, Angelico Doctori non abſimilis, ſiue acumen ſpectes , ſiue ſtylum , ſiue doctrinam , ſiue profeſſionem : fuit enim ex eodem Ordine Prædicatorum. Huius ſunt Commentatij &c.] Ille ne ergò Petre, inuictus Fidei Pugil , qui tanto animo ac ſufficientiâ ſublime dogma Religionis Catholicæ , prædicti erroris euerſiuum , in tali rerum contextu propugnauit , acumine, ſtylo & doctinâ ſimillimus Doctori Angelico ; ſupinus eſt ac ridiculus, qualem Tu infrunito ore clamitas ? Vtinam vel vna guttula doctrinæ ac ſapientiæ Chriſtianæ quâ exundabat Frater *Valois* Cyriacus, caput & cor Tuum irrigaret.

An. 1333. n. 6.

a *3. p. c. 76.*
b *1. p. l. 2. col. 355.*

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Ignorantiæ arguit Cyriacos, circa ſanguinem fuſum in Paſſione.

§. 93. *IGnorantiæ nota eſt, præpropere damnare; vt etiam Ariſteteles obſeruauit. At hoc ſolemne eſt Cyriacis, fuitque tam olim. Cum primum aliquid audiunt ab alio prolatum, quod apud Suos non ſit protritum; illicò inlidunt anathema maranatha. Dixit vnus Minorita, in Sanctonibus, in quodam ſuo Cænobio, haberi guttas aliquas ſanguinis Chriſti patientis, inſperſas alicui materiæ è Terrâ ſanctâ aſportatæ. Confeſtim it Cyriacorum clamor cælo, & confeſtim decernitur damnanda ſententia, admittens aliquem Chriſti ſanguinem eſſe in terris reſiduum. Turrecremata ad caput inuitat. de Conſecr. diſt. 2. ei ſententiæ inurit notam erroris in Fide, ſuum faciens virulentum ſenſum Ioannis de Poliaco. Sed Eccleſia per Pium II. nigrum illud Theta eraſit. Scripſit Suares, probabiliter defendi poſſe, Chriſtum conceptum fuiſſe ex materno ſemine. Conuolant in eum tanquam in cadauer hæreticum, Cyriaci. Scripſit Coſmas Philiarchus in Apparitionibus Sacramentalibus abſcedere Chriſtum, cum aliquid carneum aut cruentum aque omnibus obiicitur ad longum tempus. Id quod etiam anteriùs in Germania dixerat quidam Theologus. Hunc confeſtim, Frater Henricus Inſtitor, Ordinis Cyriacorum, fungens munere Inquiſitoris, hæreticum pronuntiauit; & ſub excommunicationis interminatione eam aſſertionem retractare mandauit, præpropero & caſſo mandato, cum ſit contra torrentem Theologorum, de quo alibi. Nec aliter Philiarco contigiſſet, niſi Florentia eſſet in Tuſcia, procul à Germania; & niſi Franciſcani eſſent in Tuſcia Quæſitores. Scripſit Ludouicus Molina, ſe non poſſe capere quomodo Prædeterminatio voluntati ineluctabilis, cohæreat cum expeditâ libertate. Succlamatum ſtatim eſt à Fratribus Cyriacis; Tolle, Tolle, crucifige eum: Semipelagianus eſt, eradatur de terrâ viuentium & cum Iuſtis non ſcribatur. Ægidius de Conninck contra receptum apud Cyriacos ſenſum, dixit aquam vino admixtam, immediatè verti in Sanguinem; & aquam non poſſe à vino ita ſubigi, vt vinum fiat. Confutatis*

hiſce ſcriptis, flammis addictis, Petronius & Coquetius Cyriaci, (vterque ſub nomine Hyacinthi, *Paliurus,) de Authore ſtatuunt, quod de ſuſpecto Hæreſeos eſſet decernendum. Hinc patet quod aſſumebam, Cyriacos attendentes ad pauca, facilè pronunciare, euidenti ignorantiæ ſuæ argumento.*

RESPONSIO.

MVltum garris, nihil probas, Falſario toties in crimine flagranti deprehenſo, vetat lex prudentiæ reſpondere, donec teſtem aut textum adduxerit. Ne vacuus tamen abeat Lector, hæc præmonemus. Cyriacos æquo examine librare cuncta, proprioque nomine ſingula obſignantes; quæ Eccleſia & Miniſtri eius cenſorio erroris ſtylo, ex præfatis confixere, ii erronea vocant; cætera, purè Theologico commiſſa certamini, de quibus alterno Marte digladiantur, falſa ſimpliciter dicunt, & à veritate abludentia. Erat Pſeudo-Petri, ad diuerſa quæ iniecit, diuerſum etiam Theta iis inuſtum diſtinguere & notare. Verùm, quia hic labor, licèt minutulus, captum euanidæ mentis longè ſuperat; importabili hoc onere fatiſcentem leuemus, breuiculo ſingularum Propoſitionum Indice. Quod Chriſtus ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit ex Damaſceno; ſicque Sanguis omnis aſſumptus à Verbo, quem ſubſtantialem & perfectum dicunt, fuit reſumptus à Chriſto; Potuit autem remanere in terrâ quidam ſanguis excrementitus. An dum aliquid carneum vel cruentum apparet in Euchariſtiâ, abſcedat Chriſtus, problema. Sicut & illud de conceptione Chriſti ex materno ſanguine & conuerſione, immediatâ aquæ in Sanguinem.

Cum autem Molina ſcripſit ſe non poſſe capere quomodo Prædeterminatio ineluctabilis voluntati, cohæreat cum expeditâ libertate, ſucclamatum ſtatim à Fratribus Cyriacis: Impoſtura luculentiſſima: negant enim omnes Cyriaci vno ore, Prædeterminationem eſſe ineluctabilem voluntati; imò docent eluctabilem & ei poſſe à voluntate reſiſti. Quapropter cùm mendax ſis, ſicut Iudæi, quorum profers verba & diras, de quibus Chriſtus inducitur dicens, *Circumdederunt me viri mendaces*; de Tuo ore colligo, Iudaicum illud ſcomma in Te retorquendum. *Tolle, Tolle*, hunc Impoſtorem, *crucifige eum: Semipelagianus eſt, eradatur de* *Impoſtura.*

terrâ viuentium, *& cum iuſtis* veritatem amantibus *non ſcribatur* mendax perpetuus. Quod autem aqua vino admixta, mediatè vel immediatè vertatur in Sanguinem, item problema. At Petre, Impoſtor impœnitens, quid in caput Tuum malo omine præſagiiſti, dum Proſam quæ quotidiè in Eccleſiâ pro Defunctis recitatur, Scriptioni Tuæ inſerens, denegandam Tibi alterius vitæ benedictionem præſignaſti, calamo velut futuri præſago; negante exarare vltima verba proſæ: Confutatis hiſce ſcriptis, flammis acribus addictis, *voca me cum benedictis*? Hæc vltima non es auſus ſcribere, timens pœnam eius, qui dicitur *pater mendacij* & qui à beatitudine non excidit, niſi quia prius exciderat à veritate; de eo enim ſcriptum eſt, *& in veritate non ſtetit.* Miſerere ergò animæ Tuæ, & ſi expectas Beatitudinem, ama veritatem.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Debacchatur in Cyriacos religioſo ſilentio Decretum circa Conceptionem ſeruantes.

§. 94. *Videat verò Lector, Cyriacorum ignorantiam malignitate commixtam. Paſſim cum ad eos defertur liber, aut ſcriptum quodcumque commendans Conceptionem paſsiuam Deiparæ à puritate, dicendo*; puriſſima Conceptio, *vel* pura Conceptio, *iubent has voces expungi, quia Eccleſia docet nihil eſſe definitum ex Fide circa Conceptionem. Hoc vltimum verum eſt; ſed iſta cauda, ad quem vitulum pertinet? Quanta ignorantia eſt, exiſtimare aſſertionem puritatis, ſiue nitoris à Labe peccati, eſſe affirmationem eiuſdem nitoris, tanquam ex Fide definiti? Et tamen S. Thomas (qui Cyriacis eſt pro Deo ſcientiarum,) apertè cum S. Anſelmo l. de Conceptu Virginali c. 18. agnoſcit in 15. diſt. 44. q. vn. art. 3. ad 3. puritatem Deiparæ, (audin'?* puritatem) *fuiſſe huiuſmodi vt maior non poſſit ſub Deo intelligi. Et ibidem conceptis verbis agnoſcit, Conceptionem illam caruiſſe peccato originis. Neque tamen idcircò affirmat hoc eſſe ex Fide diuina credendum; alioqui va Cyriacis nitorem illum inficiantibus; nam iudice S. Thoma, eſſent Hæretici Hæc tamen non tam eſt nuda ignorantia notionis vocum, quam malignitas in obtrudendâ priuatâ Ordinis De-*

ctrinâ, & excludendâ piiſſimâ ſententiâ prætextu non violandi decreta Eccleſia.

Similem ignorantiam notionis vocum, cum nonnullâ mixtura pugna pro domo ſuâ, cernere eſt in decreto quod horum artificio exortum eſt circa auxilia Diuinæ Gratiæ. Cùm enim initiò cautum duntaxat eſſet, ne inter tractandum de auxiliis, quiſquam alterutram partem ſugillaret acerbiùs; ſed quiſque partem quam amplexus eſſet, modeſtè & ſaluâ charitate propugnaret, Cyriaci videntes magno cum cordolio, ſe in dies obrui molibus ſcriptionum, prætexentes pacem; extorſerunt ſecundum decretum, ne ea materia de Diuinis Auxiliis efficacibus eluctabilibus vel ineluctabilibus, tractaretur libris editis; Cuius decreti, ipſi ob munus quod apud S.S. Inquiſitiones gerunt, curam habent. Sed ita cum amicis ſuis, qui poſt Decretum ſcripſere, ſe habent, vt gratiam edendi faciant; vel ſi ediderint ſe inconſultis, diſſimulent violationem Decreti. Teſtes qui poſt Decretum ſecundum, vulgarunt Tractatus de eo negotio, & impunè tulerunt, quia ſtabant pro Prædeterminatione & auxiliis ineluctabilibus, Gibieuſus, *in opere de Libertate Dei & creaturæ;* Didacus Aluares *libris 4. Reſponſionum ad obiecta ſibi & ſuis,* Michael Zanardus *in 1. p. & ibidem* Nazarius *ad q.* 23. Theophilus Muntius *diſp. 6. Theolog.* Albelda *de Diſcrimine auxiliorum,* Gregorius Martines. *1. 2. q.* 11. Guillelmus Camerarius *in antiquitatis victoria*, Philippus à S. Trinitate *1. 2.* Tr*actatu 3. diſp. 3. & 4. aliique permulti poſt interpoſitam prohibitionem vulgati: & tamen quia amici erant Cyriacis, irreprehenſi. Si autem pro contrariâ parte dicatur verbulum, vel ſi præcisè dicantur hæc verba,* Gratia efficax non prædeterminat, *vel* Gratia efficax poteſt abiici; *illicò ſpongia Cyriaca iſta inducit. Contendunt enim Cyriaci, hoc eſſe contra Decretum de non tractando. At ô Boni* tractare *non eſt ſimpliciter aſſerere; ſed eſt diſputando agitare; & hinc & inde vltro citroque diſcutere aliquam quæſtionem. Videſis. D. D. ad leg.* 11. *§. vltimo* ff. ad L. Iuliam: *vbi* tractare, *exponitur* diſcutere. *Diſcuſſio autem non poteſt fieri per ſimplicem aſſertionem: Eſt ergò maligna ignoratio terminorum, vt faſtidium creetur aduerſario, cuius Cyriacus Quæſitor pars ſimul & iudex eſt, vnicum verbum, vel ſimplicem propoſitionem, vocare* tractationem, *& idcircò eius vulgationem prohibere. Audaciùs verò fecerat qui ſtrangulaturus ſententiam Ieſuitarum, voluit eâ prohibitione tractationis de efficaciâ auxiliorum, com-*

prehendi tractationem de Libertate expeditâ, & tractationem de Scientiâ futurorum ſub conditione; ſine quâ ſcientiâ, excluſis Prædeterminationibus, tolleretur infallibilitas diuina prouidentiæ, circa Electorum ſalutem, & tota Doctrina Ieſuitarum rueret, magno Cyriacorum commodo. Iamque mollitudo Vitellica manus dederat, contenta vt tractatione de eâ ſcientiâ abſtineretur, ne crabrones Cyriacos commoueret, ſed ſapientiorum curis, artificium illud Cyriacum diſiectum eſt, monſtratumque, aliud eſſe, tractare de auxiliis, aliud tractare de ſcientiâ illâ.

RESPONSIO.

QVi malignantis ignorantiæ arguit, quam Cyriaci exhibuere Summorum Pontificum decretis, obedientiam; neceſſe eſt vt Sanctitati adſcribat ac merito, quæ ſanctiora Eccleſiæ conſtituta, perduelli animo, manuque hæreticâ conuellit, audaciam. Quid inſanis vltra lymphate Senex: Ter Tibi reſponſum eſt ad illud met quod importunè refricas, velut vltimum deſperatæ cauſæ perfugium. Imperauit Eccleſia in eâ quæſtione de Conceptione ſilentium, prohibuitque ſub æquali interminatione alterutram partium cenſuram. Obſequenti per omnia famulatu paruimus & paremus. Sed Tu in huius Diatribæ Coronidem quid ſeruaſti? Et (Villani inalpini ruſtica delibatio!) *iſta cauda ad quem vitulum pertinet?* Cauda eſt vituli ſub debili & cinereo capite laſciuientis, multò infeſtior caudis vulpium Samſonicarum, quæ Philiſtiim meſſes immiſſo igne combuſſerunt. Huius enim vituli, aut veriùs annoſi bouis cauda vltimaque ætas, incendit domum Dei, & pacem à Pontificibus vtrique concertantium parti imperatam, malignè ſeu malo igne æſtuque furēti cremat. Nec inulta temeritas. Nouo ſiquidem fœdere ignem & aquam ignorantia maligna & petulans in eodem ore conciliat, dum cauda vrens fit ſpongia ſtagnans, & eluens teterrimam Hæreſeos labem, quâ toties Cyriacorum famam licentiâ irreligioſâ infecerat; vindice Numine & vtinam ſtimulante conſcient â adactus ad Palinodiam Nebulo, quâ fatetur ante faciem Solis & orbis vniuerſi, Cyriacos quicquid ſentiant de Conceptione, non eſſe vllâ hæreſis notâ inurendos, nec Fidem ab iis vel tantiſper vellicatam. Videamus itaque ex eodem ore aquam & ignem permiſto fluxu exundantes.

Palinodia.

Diatriba 1. hanc de Conceptione materiam attingens §. 9. ſic ais. *Ex iis infertur multos Cyriacorum fuiſſe, aut etiam nunc eſſe* Hæreticos. En ignem fatuum, quem ſpiras: En caudam vituli ardentem. Nunc autem extinguendo huic incendio *ſpongiam* ſubminiſtrans, ſubiungis: *Neque tamen idcirco affirmat id ex Fide credendum*; *alioquin Væ Cyriacis nitorem illum inficiantibus, nam iudice S. Thoma eſſent* Hæretici. Eſſent? Ergò ſecundum Te non ſunt Hæretici; quos tamen tales aſſerebas, pro fluxâ capitelli Tui rotatione vbique impingens; nec mutatâ Theſi, mutas ſortem, ſemper Tibi ſimilis nugax ac mendax. Fingis extortum, Cyriacorum artificio, Decretum prohibens quicquam edi in lucem publicam circa Diuinæ Gratiæ auxilia, prætextu quidem pacis, ſed ſecuritatis intuitu; præuertentium hâc arte molem Lucubrationum quâ opprimebantur à Prædeterminationis impugnatoribus. Sic garris, ſic calumniaris. Verùm pacem petit victus non victor; accreſcitque, triumpho excreſcens, ſpoliorum moles, aiebat Traianus. Hæc meditare & intelliges magno cum *Cordolio* (ſic ſe explicat ruſtica progenies) à partibus Gratiæ ſemper conſtitiſſe victoriam. Vtque ſeruata ſeduliùs, pacis quam ambientibus dedere, fomenta agnoſcant omnes; & ſimul erubeſcat effrons illa Tua mentiendi peruicacia; pro his quos adduxiſti Cyriacæ Scholæ ſtudioſis, qui non meditatò, ſed velut obuiâ occaſione abrepti, aliquid delibarunt circa auxilia Gratiæ; poſſem innumeros alterius partis Scriptores opponere, qui ſub alio titulo, captâ & quæſitâ occaſione, in auxilia Prædeterminantis Gratiæ inuolarunt. Duos tamen tantùm profero Societatis Scriptores, genio quidem & Doctrina valdè diſpares, qui apertè de Auxiliis ſcripſere. Suares quidem, vir doctus & præcipui nominis apud Suos, cuius opus exiit recenter è prælo Lugdunenſi. Alter valdè familiaris Pſeudo-Petro, leuis quidem armaturæ miles, ſed audaculus ſupra vires; vocatur Theophilus Raynauldus, *qui vt Gibieuſum* laceſſeret, Tractatum edidit contra auxilia Prædeterminantia; & ineruditâ temeritate cymbam ſuam ignoto mari naufragaturus commiſit. Neutrum tamen læſæ Pontificiorum decretorum Maieſtatis accuſauit Schola Cyriaca; illum viuâ ratione depellens, huic pronâ commiſeratione indulgens.

Mendacium.

Cæterùm quem Theologica deſeruere præſidia, non iuua-

bit Codex nec Digeſtum. Vbique rudis miſerandus Senex, Iure-conſultos vndequaque in concilium euocat, ventilandæ vnius voculæ cauſâ, quod Grammaticali gurguſtiolo foret relaxandum. Petit Senarus-conſultum, quò ex apicibus iuris, penſatis Legibus, diſcuſſis Paragraphis, Codice decurſo, Digeſtiſque iterùm recoctis ad legem Iuliam, decretoriâ ſanctione pronuncietur tanti res momenti, an ſcilicet, *tractare* ſit idem quod *diſcutere*. Huic enodandæ difficultati totus incumbat Vlpianus, deſudet Cuiacius, quippe cuius cauſâ tanquam capitalis negotii conuenerint, *Quæſitor* ſeu Delator, *Pars ſimul & Iudex* (quid-ni & Lictor?) Cyriacus. . . *ſtrangulaturus ſententiam Ieſuitarum, dum voluit eâ prohibitione tractationis de efficaciâ auxiliorum comprehendi* Tractationem *de Libertate expeditâ, &* Tractationem *de Scientiâ futurorum ſub conditione, ſine quâ ſcientiâ, excluſis Prædeterminationibus, tolleretur infallibilitas* Diuinæ *prouidentiæ circa Electorum ſalutem; & tota doctrina Ieſuitarum rueret, magno* Cyriacorum *commodo*. Lugendum planè ac ferale ſpectaculum! Conuenere ſimul quaſi ex condicto: Leges, Codex, Digeſta, Paragraphi, Quæſitor, Delator, Teſtis, Pars, Iudex, Lictor, ſtrangulandus Reus.

Puerilitas.

Digna certè hæc Opilione Inalpino, non Scriptore vtcumque ferendo, qui dum Cyriacos tentat impetere, Patres Societatis obliquo ictu percellit; quique Religioſum venerandumque cœtum voce adeò propudioſâ traducit, vt nec Ludio profanus qui in Theatro omnia ridet, audeat doctrinam eorum *ſtrangulandam* pronunciare. Sed non mirum ſi Tantæ Societatis placita adeò putido verbo ſugillat, qui & in ſupremum eius caput, probroſum ſcomma euomit. Exerto enim ore R.P. Vitelleſcum petit pacis amantem, dum fœdâ nominis alluſione attribuitur ei à Nebulone iſto *moluſtudo vitellica*. Quo caſtigando acroamate, euanidum animo & Cyriacis fauentem, cum Societatis, cuius clauum tenebat, diſpendio inducit. Exurge Religioſa Societas in profanum hunc Blateronem, Neroniano percitum œſtro. Nero præcipua veteris Romæ capita vno ictu volebat decutere; Hic Cyriacorum Magiſtrum Generalem R. P. De Marinis, ſimul & Societatis Generalem Præpoſitum, R. P. Vitelleſcum, vltimo addicit propudio. Quid autem Cyriacos crabrones commoues, incaute Nebulo? Caue Tibi; melius dixiſti quam putes: Crabrones enim non parcent Tibi, quia

Irreligio.

bi, quia Aſinos, vndequaque ſpiculo penetrante transfigunt.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Ridet eloquentiam D. Soto, ridendus ipſe ob ſuam.

PRo coronide ad abſtergendum amarorem ex tot Cyriacorum gerris, ineptiis, ignorantiis, ſubiicio facetum Paradigma concinnæ ineptitudinis, quod ſubminiſtrat Dominicus Soto in Senatu Cyriacorum haud quaquam Pedarius, ſed de primoribus vnus. Is volumen ſcripſit de Iuſtitia & Iure, *decem libris comprehenſum. Indicem Librorum & Quæſtionum adeò affabre adornauit Sotus, vt quod ad Libros attinet, decies; quod ſpectat ad Quæſtiones, ſeptuagies, eòque amplius commutarit Phraſim, qua numerus Articulorum vel Quæſtionum eſt exprimendus: & quaſi peccatum foret in Confeſſione exprimendum, iterare verbum in hac Oratione ſua, ad ſingulos Libros & ad ſingulas Quæſtiones, fatigauit Collectores phraſeon, vt haberet vnde declinaret tautologiam; ſuamque locutionum eodem ſenſu fœtarum peritiam oſtentaret. De Libris ſic habet. Liber primus* in ſeptem Quæſtiones ſecatur. *Liber ſecundus* in Quæſtiones finditur nouem. *Liber tertius* Quæſtiones ſibi ſumit ſeptem. *Liber quintus* Quæſtionibus locupletatur duodecim. *Liber ſextus* in Quæſtiones diſtrahitur ſexdecim. *Liber ſeptimus* Quæſtionibus adornatur ſex. *Liber octauus* Quæſtionibus tribus perficitur. *Liber nonus* Quæſtionibus ditatur octo. *Liber decimus* Quæſtionibus abſoluitur quinque. *Papæ! quanta multiplicium phraſeon de eadem re ſubiecta feracitas!* §. 95.

At multo magis fœcunda Soti vena ſe prodidit circa Quæſtiones, quibus contentorum Articulorum numerum ſic exprimit, ſemper ad gloriam Dei euariando. Prima Quæſtio amplectitur Articulos quatuor. *2.* Articulos ſortitur duos. *3.* Articulis abſoluitur quatuor 4. Articulos ſibi vindicat quinque. *5.* Articulos habet quatuor. *6.* Articulos comprehendit octo. *7.* Articulos continet tres. 8. Articulos tenet quatuor. 9. Articulis duodecim ſuperbit. 11. Articulis conficitur ſex. 12. Articulis eſt contenta quatuor. 13. Articulos habet non

plus duos. 14. Articulis donatur quatuor. 15. Articulis perſtringitur duobus. 16. Articulis eſt prædita tribus. 17. Articulos poſſidet quatuor 18. Articulos complectitur octo. 19 Articulis tribus expeditur. 20. Articulos ſibi vendicat ſex. 21. Articulos vult quatuor. 22. Articulos ſibi poſcit ſeptem. 23. Articulis conſtat duobus. 24. Articulis explicatur tribus. 25. vnici eſt Articuli. 26. duorum eſt Articulorum. 27. Articulis inſtruitur quatuor. 28. Articulos continet quinque. 29. quatuor eſt Articulorum 30. Articulis dotatur nouem. 31. trium eſt Articulorum. 32. Articulos continet ſex. 33. Articulis peragitur quatuor. 34. Articulos poſſidet quatuor. 35. Articulis fulcitur quatuor. 36. Articulis pertractatur quatuor. 37. Articulos exigit quatuor. 38. Articulis declaratur tribus. 39. Articulos poſtulat quatuor. 40. Articulorum tantum eſt duorum. 41. Articulis adornatur tribus 42. Articulis exornatur ſex. 43. Articulis enucleatur tribus. 44. Articulorum eſt duorum. 45. Articulos ſortitur duos. 46. Articulis enodatur tribus. 47. Articulis eſt contenta duobus. 48. Articuli eſt vnius. 49. Articulis perficitur duobus. 50 habet Articulos duos. 51. gaudet Articulo vnico. 52 Articulis præfulget quinque. 53. Articulis finitur duobus. 54. Articulis excolitur tribus. 55. Articulos vult quinque 56. duorum eſt Articulorum. 57. Articulos capit tres 58. Articulos occupat quatuor. 59. duobus duntaxat Articulis abſoluitur 59 Articulis decem ornatur. 60. Articulos quatuor complectitur. 61. Articulos retinet tres. 62. Articulis fruitur quatuor. 63. Vnum atque alterum habet Articulum. 64. Articulos obtinet quatuor. 65. Articulis quatuor perficitur. 66 duorum tantum eſt Articulorum. 67. Articulos eſt nacta duos. 68. Articulos eſt adepta tres 69. Articulos eſt ſortita duos. 70. Articulis eſt contenta quatuor. 71. Articulos ſibi vſurpat quatuor. 72. Articulos expoſcit quatuor. 73. Articulorum quinario concluditur. 74. Articulis concluditur fœliciter plus minus ſeptem.

Quid ais Lector? quam vbers vena Latinitatis, locupletatur, ſuperbit, ornatur, extollitur Soti de ea eadem re locutio? Obſtupuere omnes ad vnicum illum verſum, tot Tibi ſunt dotes, quot ſydera cælo, *milleſies ac vigeſies biſque replicatum, ex iiſdem vocibus variè collocatis. Nec minor fuit admiratio, ob vnum illum verſum de ſanctâ Agathâ*, [Quis detme

ſacros virgo Tibi fundere verſus?] *Ex iiſdem vocibus reuerſatis multiplicatum in verſus vltra ter mille, à Petro Herrera in Catanenſium hiſtoriâ. Soto ſi huic verſuræ ſe addixiſſet & reuerſandis hiſce ſubcinericiis panibus dediſſet operam, ſupra omnes micuiſſet; vt ex hoc Indice coniectatur, qui ſimul prodit cordis in hoc Cyriaco inopiam.*

RESPONSIO.

Diatribam claudit ſcurrilis Comediæ hiſtrionicus apparatus. Verùm *reſpondendum ſtulto ſecundum ſtultitiam eius.* Eloquentia ſicut virtus moralis, mediam occupat ſedem; & inter extrema vitioſa, pendulo greſſu obambulans, nec deprimi patitur, nec efferri. Dum nimiâ delicatæ elocutionis affectatione peccat; venuſta deformitas. Talis Soti ſtylus, àccuratior fortè quàm par erat, culpanduſque in eo, animi indulgentis ſæculo prurienti affectus, vbi noua placent, ſubducitque rerum magnitudinem, ſolitus earum decurſus. Peccat itaque dum peccare timet, reumque forſan facit temeratæ Locutionis, exquiſitior loquendi ornatus. Quem tamen falſat Ariſtarchus, cùm affingit Soto, ſemper variaſſe ex nimiâ affectatione, dum enumerat Articulos. Ad hoc euincendum, oculos tantum Lectoris interpello, qui plures Articulos eodem verbo Subſtantiuó expreſſos aduertet, alios verbo *contineo*, alios verbo *habeo* &c. vt falſum comprobetur ipſum ſemper variaſſe. Huic Impoſturæ alteram adiicit, dum Quæſtionem 59. exponens vt patet, duos tantum tribuit illi Articulos, & eidem ibidem ſtatim decem irrogat, quaſi eademmet quæſtio, modo in duos, modo in decem Articulos diuidatur. *Falſatio. 14*

At dum ſerpit & ruſticatur Idioma; barbaries auditur incompoſita nec condonanda, qualem in Te deprehendimus, Petre, cuius lingua & calamus villanum ac aggreſtem innuunt Pædotribem. Probat & euincit ruſticitatem tuam ſequens Epiſtola ad Te directa, quæ Tuis compacta verbis, indolis ac eloquentiæ Tuæ nobile exhibet argumentum. Pagellas non deſigno, ſed Paragraphos, è quibus ipſiſſima Tua verba depromuntur.

Venerandum *caput Cucurbitæ*. §. 85.

Accepimus *magno cum cordolio* §. 94. quod cum Vallisclauſæ *in Senatu haud quaquam ſis Pedarius, ſed de Primoris-*

bus 95. *domeſticis opinionibus antrocupatus*, 164. *impar tamen congreſſus Achilli*, 140. Cyriacos, quaſi *ſtrangulaturos ſententiam Ieſuitarum*, 94. *primus ad macellum detuliſti, & vnà cum omnibus qui eis ſtomachum facere voluerunt*, 65. *notaſti eos; non cretâ, ſed carbone*; 143. *ac retuliſti in album nigrum*; 14. *Sed non habens vnde redantruares*, 47. *& tanquam in alienâ vitulâ araturus*, 70. *pilum in ouo & in ſtupa nodum quæſiſti*: 152 Ordinem celeberrimum *reprobans, propter Quadrigas Aminadab*. 145. *Strinxiſti in eum lingua Macharam*, 24. *ſperans per ſenſus ſubuentaneos in Tuo cerebro natos, illudere Lectoribus*, 140. *& ob hoc ſtudium dignus haberi ciuicâ coronâ*, 142. Tuumque Tenebrionem licet ſtatim damnandum atque comburendum, tamen *pro inflammatione libri Authori irrogata, nec inde infamiam Authori ſic damnato creari, aut librum eius impediri diſtractione. Vt videatur libro ſic maledicto accedere, quod cumino, adhibitis maledictionibus ſeminato; fœlicius enim creſcit ac multiplicatur: vt eſt apud Plinium*. 166. . . . . Sed *harpagauit Te* ſtatim, 151. *Cyriaca phalans vniuerſa*: 138. *tam multi etiam Magnorum qui ſunt in terra*, 20. *erubuerunt de tot ſtultilogiis, quæ ſunt adeò inſipida, vt nullo quantumuis accumulato pipere adhibito, deſatuari queant*. 137. Vnde *tanquam reus maieſtatis Cyriacæ traductus es*, 143. & conuictus *quod Superiorum quadra viuere noluiſti*. 162 Tum *quia petacitatem pertæſus*; 24. Tum quia *Tibi à religioſæ vitæ cunabulis inſonat aliqua in principiis literariis cantilena*. 162. *Sed in vanum tentaſti Rhetoricare*, 58. *Theologiſare*. 70. *Græcari*, 74. *Scriptor ſtrumoſe*, 57. *pileo tenus Doctor*, 151. *vt hoc Moretum intereres Cyriacis*. 152. *Nam iuſtam excepiſti recruciationem*, 148. *cum ſuperpondio atque auctario*: 124. *ſi quidem capitilauium ex Palatino Lixiuio retuliſti*, 140. damnatus à Pontifice, qui Libellum Tuum *adeò altè infoſſum voluit, vt emergat nunquam, nec niſi per Antiphraſim luceat*. 150. *Nec aliter de eo, quam de aliquo impietatis carcinomate loquendum, ſi quando adiguntur homines memores eſſe nominis eius per labia ſua* 150. . . . . Dicunt homines: Voluit *hic Bambalio*, 114. *coniſcare* in Cyriacos, *allegationibus quæ non ſunt rectipides*, 110. *& poetare*. 99. *tanquam Deus Fabulinus*, 100. emittens in eoſdem Librum, cuius totus contextus *eſt vna perpetua Gangræna mendaciatus*. 115. *Sed reuenit tempus*; 117. *vt qui firmari ſtabilius debuerat per ſaburram ſanctæ demiſſionis*, 161. *tanquam Rhamnus & Paliu-*

rus, *non Scriptor*. *Opus ſat ſpiſſum edidiſti de vniuerſali corruptione* Dominicani Ordinis, *quod eſt vna perpetua lepra Maledicentiæ*, *ſempercrepans conuicia*; *& aureo peplo craſſam telam & verè maſtrucam ſardoam ſubtexens*; *tantâ ruſticitate & ſpinoſitate*, *vt nihil ſit quod ſeligi poſſit*, *vbique crepans delirationes*. 117. Sed *totus mundus non eſt beſtia*, *nec ita obbrutuit*, 168. quin aduertat, quod dum Tu dicis *Officia Curiæ Romanæ non debere exerceri per vnos aliquos Religioſos*, 164. *harpagare*, 167. voluiſti illa Officia, *bipedum artificioſiſſime*, *quaſi nihil incommodaretur Charitati & Iuſtitiæ* 148. Sed vix *plenas cuppas vappæ huius propinaſti*, 168 *Quod dixiſſes Te Agrippam eſſe*, *furuæ Theurgiæ Propolam*; *aut ſi quid aliud horridius & abominabilius Erebi excrementum proferri poteſt*. 151. . . . . Verum *has & alias ſordes quæ non latent*. *præſtat non emouere cum turbatione pacis narium*, *& euerſione pacis publicæ*, *tametſi non fugiunt odoratum vim multorum ſupra vulgus ſagacium*. 167. Ex his agnoſcat itaque *Beatitas Tua*, 44. imò *Barditas Tua*, 46. *malè materiata*: 56. *iſta cauda ad quem vitulum pertineat*. 9. Debes namque in poſterum ſilere, tanquam *alter piſcis Colaus præ ſacræ Latinitatis ruditate*. 81. *Poeſim etiam attigiſti*, *ſed adeò infæliciter*, *vt Tyrones in Prima Grammatices*, *Proſodiam ligulâ dimetientes non cantent pueriliùs*: 57. *nuſquam donandus canoniſmo literario*, 112. *vtpote nunquam benè nummoſus quantum ad rem literariam*. 165. Vtinam fores quantum ad pietatem *Pro coronide ad abſtergendum è Cyriacorum animis amarorem ex tot gerris*, *ineptiis*, *ignorantiis*, *non debes ſubiicere facetum Paradigma concinnæ ineptitudinis Tuæ*, 95. ſed eluere Chriſtiano pœnitentis affectu. Vale & ſape.

En tibi Lector, reſtauratæ facundiæ Tullianæ ſpecimen non ſpernendum. Petre *loquela Tua manifeſtum Te facit*, decetque bruteſcentem animum bruta & bruteſcens facundia. Hoc tamen inter Te & Sotum diſcrimen, quod ille ſupra communem vrbanæ Eloquentiæ modum erigitur; tu infra vltimæ plebeculæ garrulitatem imperitam deuolueris & ſerpis.

SEXTA REFLEXIO.

An Cyriaci, ſeu Dominicani, ſcribant Mendacia & Impoſturas.

OBRVTOS æternâ caligine Cyriacos credidit laruatus hoſtis ſub conuiciorum ac calumniarum ingenti mole, numeroſoque apparatu; dum ecce rediuiuâ micantes luce contuitus, parat nouam pugnandi artem; & (quod mirere,) palmam ipſi vltrò concedunt Dominicani, victores quia in hâc paleſtrâ victi. Dum ſudum aerem occupant nocturna ſilentia, ſtellæ præcipites labi putantur è cælo, & à tergo, longo flammarum albeſcentium tractu funereæ faces, ſolemni pompâ in occaſus ſuos quaſi quibuſdam deducuntur exequiis; quas tamen ſi per plagas, vnde refixæ ſunt, quæras; rediuiui luminis lege, ſuis ſedibus reſurrexiſſe dignoſces. Tot impetitus telis; tot aſſultibus, probris & contumelioſo dirarum pondere funeſtatus orbis Cyriaci honos, certum Pſeudo-Petro ominabatur triumphum; cum reparata diſcuſſis nubeculis, in priſtinam lucem, abſcondita, non extincta eiuſdem cæli luminaria, viuidiùs emicarunt; ſimiliſque euaſit Ordo Prædicatorius grano frumenti, quod Terræ immiſſum, non mortem medulliùs capit; ſed in melioris naturæ iura tranſmiſſum, viridantibus foliis redimitum caput exerit, perennitatis gloriam fructu populoſo aſſecutum. Accenditur glorioſo hoc apparatu, ringentis Æmuli virulentus acor, nouaque verſipellis vſus arte, impoſturarum malignus indefeſſuſque contextor, Impoſtores conclamat Cyriacos, qui mentiendi ſolertiam plenam illi vendicant. Quod enim vltimum Impudentiæ innuit cumulum; chimericas, ipſiſque gratuito ludibrio affictas Impoſturas, veris horrendiſque ipſe vſus Impoſturis, criminatur. *Qui prohibet furari, furatur.*

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Impoſturarum opificem facit Albertum magnum, ipſe Impoſtor celeberrimus.

HÆc cauſa immunitatis à relatione in Indicem, non po- §. 96.
teſt veriſimiliter proferri: quia Cyriaci ſunt homines;
atque adeò ſcripta & verba eorum, falſiloquiis ſunt obnoxia;
præſertim cùm agitur honor Ordinis, vt teſtatur verſatus diu
inter eos Ambroſius Catharinus. Pauca Commenta per Cyria-
cos obtruſa, ſignatum venio. Revereri tamen placet Albertum
Magnum, tametſi ſatis conſtat legi apud eum Commenta mul-
ta, huic loco apta. Antonius Bernardus Epiſcopus Caſertanus l.
29. Euerſ. ſingular. certam ſect. 2. aliter cum Alberto egit, re- DIATRIBA 6.
fellens Pomponatium, qui nixus Alberto l. 3. de motu anim.
aſſerenti ſe vidiſſe duos pueros, quorum vni ſi deferretur iuxta
oſtia clauſa, aperiebantur; ſi dextroſum ſita eſſent; ſicut al-
teri contingebat quoad oſtia clauſa ſiniſtrorſum, inferebat cau-
ſas naturales poſſe agere abſque contactu. Hoc ergò Pomponatii
placitum refellens Bernardus ait quoad pueros illos ex Alber-
to teſte oculato adductos. Videret hæc Ariſtoteles, diceret-
que; Albertum narrare ſomnia & qui dixerunt hæc ſe vi-
diſſe, eos quoque fuiſſe deceptos, & nihili faceret Alberti
authoritatem; præſertim cum is ſit qui ſuo tempore viderit
plura in rebus naturalibus miracula, quam cæteri omnes, à
principio mundi, vſque ad hoc tempus. Quæ quidem cum
rationi conſentire non videantur, rationi conſentaneum eſt,
vt opinemur, eum ſibi finxiſſe illa quæ narrat vidiſſe; præ-
ſertim cum ſint ſupra naturæ ordinem; ipſe verò non refe-
rat ad cauſas ſupra naturam. In quo ſanè magis videtur eſſe
reprehendendus, cùm eſſet ex iis qui Chriſti ſanctiſſimam
Religionem ſectantur. *Revereor (vt iam præmiſi) Alber-*
tum; proptereaque nolo adſcribi Antonio Bernardo, mendaci-
tatis eum arguenti; malo autem quæ apud eum leguntur incre-
dibilia atque fictitia, tribuere Interpolatoribus Operum Alber-
ti; ſiue fuerint Domeſtici, in hoc genere admodum naui; (vt
mox patebit;) ſiue fuerint externi: ſicut quæ de capite æreo
apud Albertum reſponſa dante, & per D. Thomam confracto

iactantur. Et quæ de Vere, media Hyeme in gratiam Imperatoris inducto, circumferuntur, commenta ſunt, non ipſius Alberti, ſed otioſorum. Deinde hæc nimis remota ſunt: propiora attingamus.

RESPONSIO.

M*Agno nihil magnum.* Quem non ſola natalitia, licet ex Regulis Sueuiæ, ſed virtus & doctrina (inquit Poſſeuinus) Magnum indigitauere Albertum; vno ictu decutit Petrus à Valle-Clauſâ, & ſolo æquat magnitudinem eius, noui Gigas roboris, triplici Impoſturâ implexum denuntians Albertum. Primam deſumit ex Caſertano, referente Albertum velut teſtem oculatum mirandi illius prodigii de duobus pueris, quorum vni, quæ dextrorſum ſita erant & clauſa oſtia, aperiebantur; alteri; ſi ſiniſtrorſum. Illud, inquis, eſt celebre Alberti commentum, in quod

Mendacium. 3. primùm detonas. At quo marte? qua fide? Triplici mendacio vnum impugnas; imò nullum, quia confictum, vt in figmenta Tua nouis figmentis inuoles. Vna catena mendaciorum ligat Te cum Tuo Caſertano. Citas enim Albertum l. 3. de Motu animalium, cum duos tantum ſcripſerit; nec certè mirum, fœcunda enim Tibi ineſt mendaciorum ſcaturigo. Numera itaque inter domeſticas impoſturas, Librum illum tertium, qui nuſquam fuit nec erit. Nec dicas hunc eſſe errorem Typographi; quia nec Tractatum notas nec caput, quod oſtendit Te niti & vti deceptione alienâ, cumque in fine libelli Tui nulla errata ſignaueris, cenſeris approbare omnia. Quis enim præcocem cauſetur fœtum, quem nemo curabat, & quem à decem annis elaboraſti? Num ſaltem decem dies impendi poterant corrigendis errantis præli lapſibus? Mendacem legiſti; exſcripſiſti quod ille ſcripſerat, ſicque deceptus fide alienâ, Tuam abieciſti. Qua enim fronte cum Tuo Caſertano audes proferre Al-

Impoſtura. 2. bertum huiuſce ſe portenti exhibentem Teſtem oculatum, cum ipſe non dixerit ſe vidiſſe; imò infrà falſum declarat; Narrat tantum quod dicitur factum in Germaniâ. Verba eius affero, vno tractu calami duplicem confoſſurus Impoſtorem.

L. 1. Tract. 4. c. 3. Quæſtio erat, An anima per ſolum Intellectum aut Imaginationem poſſit ad nutum mouere corpora ſeparata.

Ille autem ſic loquitur. *Certiſſimè enim, vt inquiunt, eſt quoſdam ſic naſci, vt mira faciant; & quoſdam ſic, quod huiuſmodi facere nequaquam poſſunt; & huiuſmodi non eſt dubium aliquam cauſam eſſe: cum omne opus animati cauſetur ab anima ipſius, oportebit vt dicunt, cauſam horum operum eſſe in animâ mouente per intellectum & imperium. Exempli cauſa, poteſt induci quod apparuit multis videntibus duobus geminis in Germania natis, quorum vnus dum ferretur iuxta oſtia, omnia oſtia verſus ſuum latus ſiniſtrum aperiebantur, quantumcumque ſerrata fuiſſent: & hanc virtutem quam ille habuit in ſiniſtro, habuit frater eius in dextro: & in breui ſpatio temporis ambo defuncti ſunt.* Vbi Petre? Vbi Caſertane, reperiſtis, Albertum dicentem ſe huius portenti fuiſſe teſtem oculatum? Vbinam aſſerit ille ſe vidiſſe hos duos pueros: quorum intuitu, mendacij arguitur? Ille dixit, apparuit multis videntibus; non dixit, apparuit mihi, vel me vidente. Dic ergò Tuo Caſertano, baculo arundineo, quo inniteris, vt propriis verbis eius contundatur mendacitas; cum dictis Alberti non conuenire quæ illi adſcribit. *Videret hæc Ariſtoteles, diſceretque* Caſertanum *narrare ſomnia: rationique conſentaneum eſt, vt opinamur eum ſibi finxiſſe illa quæ narrat vidiſſe* in Alberto. *In quo ſanè eo magis videtur eſſe reprehendendus* (& cum ipſo Pſeudo-Petrus) *cum eſſet ex iis qui Chriſti ſanctiſſimam Religionem ſectantur & adminiſtrant.*

Nec dum ſatis Petre. Tertia ſupereſt Impoſtura, in eo quod, dum dicis Pomponatium nixum Alberto magno, præfatam experientiam ex intuitu proprio referente, inferebat cauſas naturales poſſe agere abſque contactu, & vt initiò dicebamus, per Intellectum & Imaginationem poſſe mouere ad nutum corpora ſeparata, ſubindicas ſatis apertè, Albertum eſſe authorem & fautorem huius opinionis, cùm eo Pomponatius innitatur. Et tamen aperto Marte eam ibi impugnat duplici ratione. Quibus latè deductis, præfatam de duobus pueris experientiam, & ſimiles, in quibus per ſolum animæ imperium ſeparata corpora dicuntur moueri, negat abſolutè, falſitatiſque arguit. Licet fateatur, per Intellectum & Imaginationem poſſe moueri corpora ſibi coniuncta. Verba illius ſubingo. *Propter hæc igitur & multa alia ſimilia, dicimus falſa eſſe omnia quæ inducta ſunt: præter hoc ſolum, quod Intellectus & Imaginatio*

Impoſtura.

mouent corpora ſibi coniuncta & vnita per formam Intellectus vel Imaginationis, ſicut in ſcientia de Anima dictum eſt. Diſce ergò Sciole cum Tuo Magiſtello, Albertum ſic ſe geſſiſſe circa præfatam quæſtionem. 1. Propoſuit rationes Auicennæ & eorum qui dicebant per ſolum Animæ imperium moueri corpora ſeparata. Deinde ſubiungit experientias ab ipſis in confirmationem doctrinæ ſuæ adductas, qualis erat illa de pueris : vnde ſemper interſerit, *vt aiunt, vt dicunt.* Ipſe verò ſtatim duplici argumento rationem ſeu fundamenta eorum euertit, & ſimul falſa declarat exempla quæ illi adduxere. Fatere ergò ſocordiam Tuam & petulantem mentiendi pruritum. Caue itaque ne in capite Tuo plumbeo & perforato, quo tot per Te cuduntur & effluunt Impoſturæ, veritas conuincat reſponſa dari à ſpiritu mendace, ſicut quæ de capite æreo apud Albertum reſponſa dante, popularis fabella effutiuit.

Quæ autem de Vere, mediâ Hieme in gratiam Imperatoris inducto circumferuntur, & commenta putas non Alberti ſed otioſorum, ignorantiam Tuam apertè reuincunt, qui miraculoſum aut magicum putas quicquid imbecillitati Tuæ eſt imperuium. Negas quod non capis, otioſiſ-

An. 1247. n. 3 que annectis Spondanum hâc de re ſic effatum in laudem Alberti, conuerſionem illam Hyemalis temporis in Vernum, arte philoſophicâ aut miraculo operantis; ex Chronico Ioannis de Beca de geſtis Pontificum Traiectentium & Comitum Hollandicorum, & ex Ioanne Aleidi, Carmelitano. *Poſt quã digreſſum Coloniam* (Guillelmum Holandiæ Comitem, promotum ad Imperium) *ab Alberto Magno Ordinis Prædicatorum, tunc ibi profeſſore, poſteaque Epiſcopo Ratiſponenſe, conuiuio exceptum fuiſſe in die Epiphaniæ, horrenda Hyeme versâ in floriferum ver & floridam fructibus Æſtatem, iidem Hollandici Authores* (*ex quibus eadē Thritemius*) *arti Magicæ, rem amplificando tribuentes, tradunt: quæ potuit Albertus* (*ſi verè ea contigerunt*) *vel philoſophiâ naturali, vel etiam virtute ſupernaturali ſibi communicatâ præſtare, vt erat ſanctitate, iuxta ac doctrinâ prædictus.*

An. 1259. n. 16. Et infrà, *laudat eum impenſiſſimè Auentinus l. 7. Germanum eum Varronem appellans, etiamque longè Varrone doctiorem aſſerens, quem nihil penitus fugerit, qui omnia perfectè nouerit, naturæ ſecundùm Ariſtotelem veriſſimus interpres extiterit.* .. *Breuiùs ac pleniùs Bergomens l. 15. Tantæ eum*

fuiſſe doctrinæ, vt non ſolùm nemo ei anteponendus ſit, ſed nec quidem æquiparandus, & plura alia in laudem eius. Accedit & Elogium præfixum operibus Alberti, à Scriptore ſocietatis, Abbe nuncupato. [Albertus Deiparæ Philoſophus, impleuit Orbem octingentis libris; ſatis vnus omnibus Bibliothecis; nec mirùm ſi omnibus ſufficit, qui Thomæ diſcipulo ſatisfuit. Nulla opinio etiam falſa fefellit Albertum; modum poſuit artibus curioſis, ne vltrà pergerent, oſtendit vbi deſineret Natura, vnde inciperet Gratia.]

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Figmenta dicit quæ ſcripſit Vrette de profectu Suorum apud Abyſſinos.

F. *Ludouicus Vrette Cyriacus, ſatis ſpiſſum volumen vulgauit de rebus Abbaſſinorum, totum commentis refertum ab initio ad finem; ita vt hic Author ſit ſupra Cteſiam fabuloſus, & Mythologus ſupra Lucianum, in verâ hiſtoriâ. Cenſuit enim poſſe ſe de oris adeò diſſitis & rarò aditis per Europæos, ſecure mentiri*, De Longas vias, Luengas mentiras (*vt habet Hiſpanicum adagium à Cano memoratum* 11. *de Locis, c.* 6.) *Inter alia ait F. Vrette, per Abaſſiam vniuerſam, eſſe multa Ord. Cœnobia, ſed duo præ cæteris celebria; quæ, de* Plurimanis & Alleluya *nominantur. In priore, ait degere nouem millia Religioſorum Ordinis Prædicatorum, poſterior, ſeptem millia. Addit eſſe ibidem in Abaſſia tertium eiuſdem ſui Ordinis Cœnobium, cui nomen* Bedenagli, *in quo degunt fæminarum Deo addictarum quinque millia. Item addit, de causâ fundationis illorum Cœnobiorum; quæ iuuerit legere, cum quis fuligines bilis atræ excutere, & in effuſum riſum ſolui amauerit. Legi autem poſſunt apud illum, vel quia liber Luſitanicè conſcriptus eſt, & infrequentiùs occurrit, legi poſſunt apud Nicolaum Godignum l.* 1. *de Rebus Abaſſinorum c.* 34. *qui conuincit manifeſtis argumentis, & oculatorum teſtium relatione, omnia prædicta & ferè quæcumque in Fratris Vrettæ volumine continentur, ſordere continuo mendacio. Sed illud impium & pernicioſum, & cum graui peccato mortali coniunctum, vt bene ſtatuit Beſſerus l.* 6. *de Conſcientia c.* 21. *n.* 284. *quod cum multos Cœlites fictitios ex orâ illâ &* §. 97.

ex Ordine ſuo inferat cælo, factum eſt, vt aliqui improuidi; per eum acti in fraudem, non aliter quam Iudæi illi in lib. 1. Machabæorum c. 1. dicentes, Homo de ſemine Aaron venit, non decipiet nos, *retulerint in indices Sanctorum, & aut colendos, aut imitandos propoſuerint hos Cælites Vrettanos; hoc eſt*, chimeras Sanctorum, *qui in rerum natura nunquam fuerunt. Fecit hoc Syluanus Razzius, fecit etiam Antonius Balinghen & Congeſtor exemplorum ad ſacras Cathecheſes. Benignè faciat Deus benignitati nimiæ Nicolaj Godigni, qui adeò noxium Blateronem ſpongia potiùs tentauit eluere, quam ſtrigili (vt par fuerat) defricare & in cauſa fortaſſis eſt, cur congregatio ſacrorum Rituum ad tantam impietatem hactenùs ſiluerit.*

RESPONSIO.

COnſultò mutaſti linguam, vt laruatæ faciei reſpondens ſermo, laruatus quoque incedat; & qui Latino Gallicoque Idiomate bruteſcis, Hiſpano tentes, ſi non congruentius loqui aut veriùs, ſaltem tutiùs mentiri; Tanquam ex loquelâ dum peregrinus crederis, Gallis apud quos ſcribis, Luſitanico expreſſum Idiomate volumen Hurettæ, quem exagitas, obtrudens; ſub ignotâ linguâ faciliùs illudas, vera traducens, imponens falſa:
Barditas. Quia *de longas vias, luengas mentiras.* Prodit Te tamen extranea lingua, quam aſſumis nec calles, *longas* pro *luengas vias* turbulenter effutiens, grauitatemque Hiſpanicam puerili garrulitate vbique deformans. Verùm *qui ſatis ſpiſſum volumen vulgaſti* de rebus Cyriacorum, *totum commentis refertum ab initio ad finem, ſupra Cteſiam fabuloſe ſenex, impie ſupra Lucianum*, quid res Abaſſinorum contrectas, Ludouici Hurertæ Cyriaci relationes momico ſtrepitu irriſurus? Quæ de Ordine Prædicatorum per huiuſmodi Imperium diffuſo ſcripſit ille, deque Cœnobiis *Alleluia* ac *Plurimanis*, quadruplici probatione ad amuſſim exigendâ comprobantur. Primò mihi oſtendendum exiſtere in Abaſſiâ eiuſmodi Conuentus; tum eſſe valde populoſos; deinde Dominicanos ſedem fixiſſe in illo Imperio, denique præfata Cœnobia ſub illorum Inſtituto militare. Hæc ſi euicerimus, amandandus erit, ineptiens in omni linguâ Nebulo, vt violatam Luſitanici Operis

& Authoris famam, dignâ pœnitentiâ reſarciat; profligandus inde ad columnas Herculis orbiſque Hiſpanici vltimas oras, vt ad nos reſcribens ſolito more infibulata mendaciis mendacia; comprobet Adagium Hiſpanicum à Cano Hiſpano ſapienter prolatum, in huiuſmodi farinæ viros, *de luengas vias luengas mentiras.*

Vtrum duo illa præcelſioris notæ Cœnobia exiſtant in Æthiopiâ: quæſtio de facto, non ratione ventilanda, ſed comprobanda authoritate; non equidem Dominicanorum, quamuis illibatâ fide polleant, quia neminem in propriâ causâ teſtem aſſumi, lege ciuili cauetur. Excerpamus itaque extranea teſtimonia, nec ſuſpecta. Ex ſæcularibus, Dauity in deſcriptione Æthiopiæ quæ habetur in Tomo qui agit de Affricâ, nominatim percelebre agnoſcit ibi Cœnobium dictum, *Alleluya.* Ex Religioſis viris, Chriſtoual Suares Societatis Scriptor, in relatione de rebus Abaſſinorum c 3. & ſequentibus, teſtem ſe oculatum aſſerit præfatorum Conuentuum Idem de ſe profert Gonzalès Rodriguès Sodalis eius. Euictum itaque manet, conſonante eorum ſuffragio, Cœnobia illa vera eſſe, non fictitia; exſufflandumque riſu publico, qui fabuloſa credidit, Pſeudo-Petrum. At præter illos præfatos, idem Rodrigues & Franciſcus Aluares etiam Ieſuita, qui ad Conuentum *Plurimanis* ſe acceſſiſſe profitentur an. 1555. vno ore conclamant, numeroſâ Monachorum multitudine exundare.

Sed inquies: Incredibile eſt quod ſcripſit Huretta in vno illorum nouem millia inhabitantium agnoſcit; in tero ſeptem millia, & in tertio dicto, *Bedenagli*, quinque millia Monacharum. Benè arguis, ſed vide num Typographus, aut Tumet ipſe prodigâ, ſed fraudulentâ liberalitate notam vnam numeralem adieceris, pro 900. ponens 9000. pro 700. 7000. pro 500. 5000. Potentior fortè videri voluiſti ipſo Creatore, qui vno quidem verbo *fiat*, fecit omnia. Tu verò vnicâ literâ, vno apice numerali, per ſe nihil operante, ſed aliis eiuſdem numeris addito; ex nongentis Religioſis, nouem mille effeceris, creans è nihilo octo millia hominum ſupra centum in vno Conuentu, & pari liberalitate in aliis. Lapſus iſte ſi tuus non eſt, ipſius erit præli, facile vnum o intrudentis: aut fortè ipſius à quo relationes accepit Huretta. Nulli autem mirum videbitur nec incredibile, nongentos ibi congregari Fra-

tres, cùm teſte Baronio in an 798. n. 1. Cœnobium Conſtantinopolitanum Studitarum conſtaret mille Religioſis ſub Theodoro Studitâ Archimandritâ. Conſtat itaque exiſtere illos duos Conuentus, eſſeque populoſos. At qui eorum coloni? hoc iam inquirendum.

Dominicanos miſſos à Summis Pontificibus in diuerſas ac diſſitas orbis regiones, maximèque in Æthiopiam, nemo eſt qui refragetur, ſi Pontificia euoluat Diplomata. Teſta-
An. 1253. n. 3. tur eos miſſos ab Innocentio IV. Spondanus. De eorum
An. 1321. n. 3. fructu & profectu certior Ioannes XXII. miſit alios eodem teſte. Idem Pontifex poſt aliquot annos literas miſit ad Æthiopiæ Regem in fauorem eorumdem Fratrum & Re-
An. 1329. n. 21. ligionis incrementum, vt præfatus Author ſcribit. Exercuerunt itaque in Abaſſiâ apoſtolicum munus Fratres Prædicatores. Româ igitur toties locutâ in huius veritatis confirmationem, quis reclamet, niſi infidelis aut transfuga? Poſſem & nouis eam communire adminiculis, illis ſcilicet Authoribus, quos in hunc finem adduxit Huretta, nec mendacij conuicit Pſeudo Petrus aut Godignus. Ioannes Auban *a* refert quod ſub ditione Preſto-Ioannis ſunt multi Religioſi D. Antonij & D. Dominici Caralogenſis. Petrus Calzolauius *b* de hiſtoriâ Monaſtica Aubano ſubſcribit. Antonius Sabellicus *c* anno quo ſcribebat, putà 1604. dicebat poſſe numerari 1140. Conuentus Dominicani Inſtituti, præter eos quos in Armeniâ & Æthiopiâ incolebant. Et ſupra *d* aſſerit ſe vidiſſe quoſdam huius Ordinis Æthiopicos Profeſſores. Volateranus *e* dicit ſe Romæ vidiſſe Dominicanos ex Æthiopiâ venientes, qui linguâ Chaldaicâ celebrabant. An hi Authores quos Huretta refert fidem non merentur?

a *l. 1. c. 4. de moribus nat.*
b *Dialog. 1.*
c *Æn. 9. l. 8.*
d *Æn. 7. l. 9.*
e *L. 12. geograph.*

Supereſt itaque vt ſub Dominicanorum in Abaſſia degentium moderamine, duo illa præcipua Cœnobia militare oſtendamus; quod facilè vt ſpero, perficietur. Conſtat enim ex variis relationibus Patrum Societatis (vt Domeſticos taceam) qui ad illas regiones appulerunt, abundare ibi Monachos ſub regulâ S. Antonij, totoque regno diſperſos; nec hoc difficile creditu, cum ſat vicina ſit Abaſſia Ægypto, in qua Religio S. Antonij cœpit, ſparſa eſt & floruit per vaſtiſſimos illos Thebaidis tractus. Hæc itaque Monachalis profeſſio, primas Imperij religioſas domos à fundamentis erexit, aut occupauit iam erectas;

ſed relaxatâ in dies regulari diſciplinâ, belliſque frequentibus penè deletâ apud populos deliciis ac turpitudini ita addictos, vt teſte Tertulliano, ſolis ardores imitetur æſtuans Regio, habeaturque loco miraculi, caſtum eſſe & Africanum. Euersâ, inquam, paſſim vitâ regulari & ſuper inductâ horribili licentiâ; qui primi ex Europâ aduenere Miſſionarij ac Euangelij Præcones, fauoribus apud Reges aucti, præcipua etiam Imperij Cœnobia obtinuere, prout fieri aſſolet; vt ex his domibus, velut cæterarum capitibus, pietas ac Religio in minores faciliori ac fœciliori alueo transfunderentur. At Hiſtoria Eccleſiaſtica nullá docet factam Miſſionem in Æthiopiam ante ſæculum 13. quo mendicantium Ordines in Eccleſiam Dei inducti ſunt. Primi autem ex Regulæ confirmatione & Miſſione in Abaſſiam, fuere Dominicani, qui aliquot annis à morte D. Dominici miſſi ſunt in interiores illas Africæ regiones ab Innocentio IV. vt diximus: Quid ergo mirum, ſi reſtaurandis præcipuis Imperij ſedibus Religioſis, ac Cœnobiis fuerint deſtinati, occuparintque celebriores illas domos, è quibus Fides & Regularis diſciplina, vberiùs in cæteras dimanarent; vt teſtantur Razzius, Balighen & alij, quibus non minor debet haberi fides de rebus Cyriacorum, licet ſint Cyriaci, quam Pſeudo-Petrus fidem adhibeat Vvadingo Minoritæ de rebus Minoritarum, & Orlandino de negotiis Societatis, cuius ipſe eſt alumnus & membrum?

Nec argumenta in contrarium, quid ponderis habent, imò approbant improbando; fatetur enim Chriſtoual Suares dum ad præfata illa Cœnobia, (& ſimul alij ex eadem Societate accederent) ſe reperiiſſe examina Schiſmaticorum, Latrunculorum, omnique ſpurcitiâ ſordentium incolarum, nullo planè diſciplinæ, imò nec Fidei Chriſtianæ exſtante apud eos veſtigio. Vnde probabiliter infert iam extinctos in ea Regione Dominicani Inſtituti cultores, qui à Pontificibus fuerant eò miſſi, & illos qui ex eis ſuccreuerant. Nec credibile inquit, Alumnos S. Dominici eò proſtitutionis deuolutos, quales erant illi Pſeudomonachi facinoroſi ac omni impudicitiâ ſordentes. Verùm exceptio hæc (quæ interim fatetur ibi Domicanos extitiſſe horum Cœnobiorum anteà cultores) pia quidem, ſed nulla: ſi enim in media Europâ & in ipſo Chriſtianiſmi

ſinu, adeò fœdati ſunt in pluribus Regularium mores, quid mirum, ſi in peius abierint Cœnobitæ, nullum cum capite Eccleſiæ nec cum Superioribus Ordinis ſui, qui fouendæ pietati adlaborant, commercium habentes, flagrante bellorum incendio, & ablegatâ cum Fide, obſeruantiâ? Quò impietatis prorupere in Europâ viri Religioſi, Equites Templarij poſt tot in promouendâ Fide Chriſtianâ patrata facinora, vt eorum Ordo funditus fuerit deletus? Nemo itaque miretur, ſi poſt tria ſæcula, ex quo tempore in Æthiopiâ radices fixerat Ordo Prædicatorius, communi rerum fato ſuppoſitus, quæ ſucceſſu temporis in deterius vergunt, licet ſedulâ manu curentur; priuatus omni Europæo ſubſidio, & inteſtinâ Imperij viciſſitudine abreptus, in præcipuis illis Cœnobiis, vbi maior rerum abundantia faciliorem ruinæ parabat viam, adeo fœdè ſit prolapſus? Superfuere tamen ſalui ex illo naufragio plures alij minores Conuentus, quorum aliqui cultores viſi ſunt in Europâ.

Nec obſtat quod Franciſcus Aluares in ſua Relatione dicat Imperatorem Abaſſinorum petiiſſe ſibi ex Luſitaniâ mitti vitam S. Dominici, quaſi de eo nihil anteà audiuiſſet: Imò quia mira audierat, nec congruentia tanto Parenti videbat obſeruari à pluribus eius Alumnis, & exemplar quærebat illibatum ad quod deuios reduceret; ſicuti ſanctiſſimus Rex Ioſias repertum in quadam tripli ruinâ Deuteronomium, oſtendit populo à patriis legibus multum deficienti, proteſtatus ſe eos reducturum ad obſeruantiam Diuinæ legis in præfato libro contentæ. Dicunt inſuper non à D. Dominico indigitatum Cœnobium dictum *Alleluya*; ſed à *Tacleupeuanoth*, Ordinis Dominicani alumno, miraculis ac inſolitâ Sanctitate conſpicuo, nomineque ſuo illic totum Ordinem cohoneſtante; ſed veluti D. Bernardus primos Ordinis Ciſtercienſis Fundatores, ingenti virturum ſuarum micatu obtexit, dictique ſunt ab illo, Bernardini, ſemper tamen Ciſtercienſes; ſic & illi Dominicani, ſeu Prædicatores, nomen fortè mutarunt, non inſtitutum, aliâ tamen de causâ.

In tantâ autem morum ac diſciplinæ Cœnobiticæ ſtrage, ſubſtitit quædam tanti Inſtituti portio, puritatem Fidei Chriſtianæ rigoremque Obſeruantiæ inuictè propugnans, quæ tantum eidem Ordini decoris præſtiterit poſt tot ruinas,

ruinas; vt quicquid Beſerus irreligiosè garriat, inclyti Martyres & ex Imperatorum Æthiopiæ proſapiâ oriundi, ſanguinem pro Chriſti Fide ibidem effuderint ſub habitu Dominicano; vt benè notauit Spondanus. Quia Dominicanus *Taclauareth nepos ex ſorore Monarchæ Abiſſinorum, quem Præſbyterum Ioannem vocant; miraculis inſignis, Martyrio coronatus eſt ab Impio Rege, cujus impuritatem Zelo chriſtiano coarguebat.* Verba ſunt Spondani. Hoc certè decerat Pſeudo-Petre, veluti impietatis vltimæ ſignaculum, vt illum & alios Cælites Martyres, *chimaras Sanctorum* diceres cum Caluino. Parcat Tibi tamen Deus & Godigni imprudenti zelo, qui ſpongiâ conatus eſt eluere, quod humillimâ veneratione erat proſequendum: dum Te Blateronem noxium & reum, (poſtquam reſipiſcere neſcis) non ad eluendam ſpongiâ conuiciorum ac ſpurcitiarum tuarum ſentinam; nec ſoluto riſu excutiendam bilis atræ fuliginem; ſed ad defricandum ſtrigili caput emotum, Opilioni Arcadico relaxamus. Rudem autem Te & imperitum Geographiæ non parùm probas, cùm imperuiam Europæis Æthiopiam putes ob nimiam locorum diſtantiam, cum ferè duplo elongatior ſit China ſeu Syna, & Peruuiana Regio; ex quibus tamen ferè quotannis nouæ Relationes obueniunt. Neſcis ex Moſambicâ (vbi Luſitanorum Cyriacorum celeberrima ſunt Cœnobia,) ſat facili breuique viâ adiri Abyſſinorum Imperium ex parte Orientali; cùm ex Septemtrionali ſola ferè Nubia interiaceat Ægyptum inter & Æthiopiam? Cæterùm aduerte, Fratercule, quid in illâ Relationum meſſe quæ ex remotioribus Orbis partibus in Europam noſtram aduentant, Tibi poſſem reponere. Nolo tamen; præſcriptas mihimet Leges ipſe ſeruaturus. Non eget fictitiis Sanctis Ordo Prædicatorius, qui veris abundat: fingunt qui egent, veram indigentiam fictâ abundantiâ ſolaturi.

An. 1341. n. 12.

Impietas.

Ignorantia.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Cyriacis Bernenſibus capitale crimen affingit.

§. 98. *Contermina eſt fictioni Cælitum, fictio cæleſtium Operum, puta Miraculorum, ac Reuelationum. Non fuere parci huiuſmodi mercium adulterinarum, Cyriaci; ſed ea maximè celebris in hoc genere mendacitas fuit, quam deſcripſere Trithemius, Surius, Baſelius, Petrus Martyr, Anglerius, ac Henricus Spondanus, aliique. Frater inter Cyriacos Laicus, Ioannes Ietzer, Zurzaco oriundus, profeſſione Sartor, implanatus eſt à quatuor primariis Bernenſis Cœnobij Patribus, Ioanne Vetter Priore, Stephano Bolthoſt Concionatore, Franciſco Vleti Suppriore, Henrico Stenieckeo Procuratore, ad confingendum miraculum contra immaculatam Dei-paræ Conceptionem. Sed veritate retectâ, Bernates nondum tunc Zuingliano mero inebriati, egerunt apud Iulium Secundum, Romanum Pontificem, vt Lauſanenſis Epiſcopus in eos inquireret. Quod cum Epiſcopus, ritè ac ex iuris præſcripto feciſſet; quatuor primarij Dominicani (vt ait Surius) degradati ſunt, poſteàque flammis abſumpti, ob falſa miracula, ad falſitatem aſſerendam conficta.*

RESPONSIO.

Contermina virtutibus ſunt vitia: Veritatem ementiuntur Commenta, & tanta eis inſerta affinitas, vt in ſuppoſitâ narratione, quouis examine adhibito, nutet adhuc probroſi euentus veritas; totque pigmentis colorata ſuppoſitio, fabuloſo licet implantata contextui, hiſtoricum redoleat apparatum. Duplex tamen detegendæ Impoſturæ via aperitur. Excutientur primò Teſtes, vt inde fabella pateat, vnde veritati ſuperſtructa eſt fucata ſimplicitas. 2. gratis data, nec admiſſa Tragica illa narratio, ſplendore nouo, cumulabit Cyriacos, penſatuſque ex causâ euentus, magnum fiet infamatis, innocentiæ argumentum. Bernæ apud Heluetios ſcena conſtituitur; quinque inducuntur Teſtes, qui rem ita peractam narrant. Anno 1508.

alij 1509. vt ex variâ temporis ſupputatione ſuperſtructum opus ſtatim vacillet. Verùm Teſtibus Teſtes oppono ferè æquè numeroſos; aut potius adductorum teſtimonia, aliorum ſilentio infringo. Res enim eſt adeò inſolita & grauis ex omni ſui parte, vt ſi vera foret, omnes planè Europæ fines peruaſiſſet; nec tacuiſſent Scriptores qui minutula exſcribunt. At vt cæteros prætercam, Genebrardum Archiepiſcopum Aquenſem interpello, qui in colligendis ſingularibus alicuius momenti euentibus exactiſſimus, Tragicum hoc non ſiluiſſet portentum, maximè cum de Dei-parâ, cui addictiſſimus erat, ageretur. Ille tamen nihil planè hac de re meminit. Imò ipſomet anno 1508. quo res accidiſſe obtruditur, ſummo Ordinis Cyriaci dehoneſtamento; Ordinem ipſe laudat, recenſetque miſſos ab eo in Indias Occidentales Præcones Apoſtolicos. Hæc tragedia perhibetur, acta in Germaniæ, Italiæ, ac Galliæ meditullio, vbi Bernæ Sedes; & Archiepiſcopus Aquenſis, ſolo Delphinatu interiecto, ferè conterminus Heluetiis, miſſaſque ad ſe quotidiè ex Italiâ ac Germaniâ ſchedas excipiens euentuum, quos Chronologiæ ſuæ inſerebat, hunc ignorauit aut tacuit?

Dices forſan, ex prudenti zelo ſiluiſſe, ne obliquo ictu in Eccleſiam Catholicam probrum illud à Cœnobitis admiſſum, recideret. At in aliis præfatum Ordinem quoquo modo vellicantibus, etiam cum materni honoris imminutione, non tacuit hiſtoricæ veritatis amator, compeſcuitque in eo charitatis veritatē, charitas ſeu amor charitatis. Sed ex eodem ipſo capite dolus aperitur; nam ſi probroſa Eccleſiæ Catholicæ, pudenda hæc Religioſæ gentis traductio; præteriri non debuit ab Hæreticis, qui vel in minima conſpurcandæ Religionis momenta inuolant. At Caluiſus Chronologus ac Hæreticus Scriptor, qui fæculenta in Eccleſiam Catholicam ſcommata paſſim eiaculatur, nec intactum quid præterit, quod in eius vergat infamiam, nullam tamen huius Tragediæ ſuſpicionem ingerit, quam in Germaniâ actam ignorare non potuit Scriptor ipſe Hæreticus & Germanus. Silentium huius-modi in hoſte publico Eccleſiæ, Religioſique ſtatus, probatio eſt certiſſima & perſpicuum argumentum compactæ gratis fabellæ. Tertium teſtem adduco in Religioſos viros effuſum hoſtem, Sleidanum intelligo, temporis illius Scriptorem

Hæreticum, & propagandis leuiculis Religionis Catholicæ næuis, mollitis ſuper iacula ſermonibus imminentem; qui nullam prorſus huius rei mentionem habuit. Galterius denique Societatis Ieſu Scriptor, qui Dominicanos non palpat, vbi obuia vellicandi occaſio ingeritur, maximè vbi de Conceptione fit ſermo, ſi Chronologiam eius euoluas, vbi ſingula & minutula refert, nihil de hâc narratione inſeruit, intentus fabuloſa à veris ſecernere. Argumento itaque eſt, fabellæ loco habitam ab his Scriptoribus, quam non ignorarunt rumore publico ac plebeio ventilatam, Bernenſem Stropham: quam alij turbulenter & nullo præuio examine, exſcripſere vnus ex alio. Quod eſt alterum detegendà Impoſturæ argumentum.

Claret in texendâ Hiſtoriâ idem contingere, quod in vitâ ciuili queritur Seneca hominibus accidere, qui rumorem non veritatem ſecuti, non ad rationem, ſed ad ſimilitudinem viuunt hi; illi ſcribunt. Inde iſta tanta coaceruatio aliorum ſupra alios ruentium. Quodque in ſtrage magnâ hominum euenit, cum ipſe populus premit, nemo ita cadit vt non alium in ſe trahat, primi exitio ſunt ſequentibus. Hoc ſicut in vitâ humanâ contingit, ita in ſcriptione Hiſtoricâ: Nemo ſibi tantùm errat, ſed aliis erroris cauſa & author eſt. Nocet enim applicari antecedentibus, & dum vnusquiſque mauult credere quam iudicare, nunquam de vitâ aut Hiſtoriâ iudicatur, ſemper creditur; verſatque nos & præcipitat traditus per manus error. Exſcripſit hanc fabellam Spondanus, Scriptor aliunde grauis, ſed nimio, vt ipſemet fatetur abreptus amore Authoris, quem exſcribit, putà Vadinghi Minoritæ; qui exaſperatus in Bzouium Cyriacum, ob vellicatum, vt putat, Scotum, corraſit vndique quæ in omnes Cyriacos aperto liuore ac ſolemni Satyra effutiit cum ſuo Thadæo Dermitio. Ex Vadinhgo itaque excerpſit Spondanus, vt indicat in margine; Vadinghus ex Anglerio & Surio; hi ex Baſelio Monacho Hirſaugienſi, qui Appendicem 18. annorum adiunxit Nauclero adeò inaccuratè, vt nec Naucleium expurgarit ab Interpolationibus Melancthonis, qui mille ineptias teſte Spondano immiſcuit, homo hæreticus; Baſelius ex Trithemio. Hic autem vnde excepit? Tacuiſti de induſtriâ Nebulo, ne fraus ex Authore pateſceret. Mutuatus eſt ab Eleutherio Bizeno, ſeu Reuclino laruato fi-

milibus ſtrophis & impoſturis aſſueto, vt probat ſequens Paragraphus, conducens omninò ad præſentis calumniæ conuictionem: quique in Apologiâ Metricâ pro ſeipſo à ſeipſo editâ ſub nomine Eleutherij, Triumphum ſuum de Fratribus Cyriacis prædicauit; vbi Commentum de negotio Bernenſi inſeruit, ſub larua Bizeni latens, ex quo alij traducto per manus errore, deſumpſerunt. Author itaque ſtrophæ Reuclinus; at primus Propola, amiciſſimus ei Eraſmus, iuxta proprium nomen, mus rodens omnia pietatis momenta, deblaterans in Monaſticam vitam ipſe Ex-Monachus, & inſertiens ſcripta ſua, maximè Eccleſiaſtem ſuum, & Dialogos, infinitis nugis & contumeliis ac calumniis, quibus Religioſos viros, ſtatumque Regularem perpetuis onerat ludibriis. Commentum Reuclinus metricè expoſuit, Eraſmus ſoluta oratione, in Colloquio illo, ab Eccleſia confixo & in prima claſſe librorum vetitæ lectionis notato; quod inſcribitur, *Exequiæ Seraphicæ*, vbi Ordinis Seraphici & aliorum dehoneſtamento incumbit ſacrilegus Scurra, impius Eraſmus, Reuclinianæ Impoſturæ propagator & eiuſdem farinæ cum Reuclino, ſtrophæ fabro: Excute itaque Laruam, Reucline, Cyriacorum vt infrà patebit hoſtis antique & fabellæ artifex. Ab hoc fonte ſtygio profluxere riuuli venenati: Ab hoc in Cyriacos implacabili odio, æſtuante Grammaticulo, Commenti authore, in ſequentes demittitur vna catena tenebrarum & mendaciorum, quâ fuere omnes huiuſmodi Scriptores pariter colligari; traductuſque per manus error incidit in Delrionem, qui & Epiſcopi Lauſanenſis in præfatos proceſſum, eâdem quâ accepit fide, refert: quaſi eâdem manu quâ confingitur Impoſtura, ſuis non fuerit adornata coloribus, vt veriſimilitudine placeret, quæ à veritate abludebat. Non itaque attendendum quot hæc ſcripſerint, ſed quo Authore omnes ſcripſerint, putà Reuclino, ſub nomine Eleutherij Bizeni, iniurias ſibi ab Inquiſitoribus Cyriacis inuſtas (qui & Libros eius cenſoriâ notâ confixerant & à Pontifice curauerant iteratò damnati, vnde & de Fide malè Reuclinus audierat) vlciſcentis hoc celebri commento metricè ab ipſo deſcripto. Vbi enim debile aut ruinoſum ſtruitur fundamentum, proprio pondere nulloue impellente corruit ſuperſtructa domus, ſeu manu inimicâ nec ita Catholicâ elaboratum figmentum.

Patet aliunde hians lacuna : adeò enim delicata eſt Hiſtoriæ concinnatio, vt vnius circunſtantiæ variante contextu, integra labaſcat conficta moles. Duo Senes, Iudices populi teſtimonium ferunt aduerſus Suzannam; *credidit eis multitudo quaſi Senibus & Iudicibus populi, & damnauerunt eam ad mortem*, inquit Daniel. In procinctu, apparatum funus : cum ecce Propheta teſtibus à ſe inuicem ſeparatis, vni dixit : *Si vidiſti eam, dic ſub quâ arbore videris eos colloquentes ſibi; qui ait; Sub Schino;* Alter verò reſpondit, *Sub Prino*. Hæc ſola teſtium variatio ſtropham detexit, falſique teſtimonij reos conuicit. Quæro iam à Reuclino, ſeu Eleutherio perſonato fabellæ contextore; cuius inſimulati reatûs perierunt illi? Reſpondet cum Pſeudo-Petro eiuſmodi mercium adulterinarum non parco; Ob conficta quædam miracula contra Conceptionem Dei-paræ. Interrogetur Bergomenſis in ſuâ Chronologiâ : Rationem hanc affert inflicti ſupplicij, quia ſtigmata D. Franciſci, fraudulentâ imitatione euacuare ſunt conati. Quid Munſterus in Coſmographiâ, eadem retractans? Reſpondet & addit, Quia contra Euchariſtiam & ſacras Imagines proteruo ore fuerant debacchati. Siccine variant teſtes? vna & indiuiſa facies veritatis, multiforme mendacium. Falſum ergò Teſtimonium, nec conſtat Hiſtoriæ veritas, altercante teſtium ſigillo. Abrepti ergo rumore doloſè ſparſo Authores, ſcripſere quod alij dicebant, non quod erat. Denique quæ illæ viſiones? Quæ illa conficta miraculâ? Nemo indicat Et ad fabellæ cumulum : quæ addit Munſterus ab illis Cyriacis tentata aduerſus Euchariſtiæ Sacramentum, ac ſculptas Imagines, ſufficiunt ad plenam totius Impoſturæ reuincendam calumniam; quaſi verò Sacramentarij & Iconoclaſtæ fuerint illi Cyriaci. Sicut quod ait, F. Laicum, profeſſione Sartorem, ab ipſis dementatum, eos in ius vocaſſe. Num ergò viro dementato fides habenda in quatuor præcipuos Cœnobij Patres igne abſumendos? Certè Sartoris huius dementati acus non benè conſuit chimericum hunc proceſſum.

Verùm gratis demus totum quod obtenditur, ſic, vt narrant, admiſſum; ignique ferali quatuor illos Cyriacos Bernis conflagraſſe; (quod colonis Tuæ vallis ſat frequens, Petre, publicæ tabellæ demonſtrant; nec corpus vllum etiam ſolare quod maculis quibuſdam non infuſcetur) cau-

ſa ipſa luctuoſæ conflagrationis nunc inquirenda. Duplicis perſecutionis turbine pulſata Cyriaca nauis ſub initium 16. ſæculi. Vna à Luthero ac ſequacibus eius irrogata; altera à præcurſoribus Lutheri, de quibus aliquid breuiter perſtringendum. Lutherus, vt teſtis eſt Spondanus latens intus à multo tempore, Hæreſeos virus, exerit; prædicat contra Indulgentias, tentatque funeſtum ab Eccleſiâ Catholicâ diuortium. Quis præſenti malo obſiſtet? Cyriaci. Ex parte Pontificis mittitur Cardinalis Caietanus Cyriacus in Germaniam, qui authoritate Pontificiâ munitus, minas & pœnas niſi reſipiſcat, recenti Transfugæ intentat. Syluester Prietias pariter Cyriacus & Magiſter S. Palatij, primus ſtringit calamum in Hæreſiarcham; & aliunde Tetzellius Cyriacus Fidei Quæſitor Germanus, naſcenti occurrit incendio. Vvitembergæ Lutherus in Academia Lectoris Ordinarij officio fungens, 95. Theſes proponit, quibus Eccleſiam, Pontifices, & eorum in prædicandis Indulgentiis adminiſtros (qui Cyriaci erant) cruento dente laniat. Contrà verò Tetzellius Francofordiæ ad Oderam, 106. Propoſitiones Lutheranis oppoſitas edit, Fidei Catholicæ propugnator inuictus. Ex his ſcintillis eruperunt ingentes illæ flammæ, quibus magna pars Orbis Chriſtiani poſtmodum conflagrauit. Armauit interim in Ordinem Prædicatorium furentē calamum Lutherus, ediditque Satyram conuiciis, calumniis, diris, impietatibus fartam, (ex quo libro graues illas Arcadicorum, fatuorum, aſinorum, & ſimiles nomenclationes Cyriacis impingendas, plenâ manu collegit Petrus à Valle-clauſa) abiitque poſt beſtiam ferè tota Germania, & truculenter ſæuitum in Quæſitores Fidei Cyriacos, eorumque Sodales, pro Fide indiuiſo ſpiritu depugnantes. Hanc tamen vexationem licèt duriſſimam, à Luthero & ſequacibus eius, Ordini Dominicano irrogatam, præceſſerat alia à Præcurſoribus Lutheri impacta, nec diuturnitate nec impetu inferior. Hic attentum opto Lectorem. *An. 1516.*

Audi Petre & arrige aures. Dicam quæ non ignotas, & quæ perdilectus Tibi Theophilus Raynaudus, Exſcriptor celebertimus, Erotemate 13. n. 353. ſcripſit, aut veriùs exſcripſit ex Sixto Senenſi Cyriaco l. 2. Bibliothecæ S. nempe libros Thalmudicos per Europam, maximè per Germaniam fuiſſe ſparſos; in quibus Chriſti perſona, diui-

nitas, mores, tota denique Religio Chriſtiana impiè perſtringebatur. Damnauit illos Gregorius IX. & igni addixit an. 1230 referente Bernardo Lucemburgo. S. Ludouicus Rex Galliæ idem fieri iuſſit an 1239. vt ſcribit Thomas Cantipretatus l. 1. de Apibus c. 7. Innocentius IV. an. 1244. idem edixit. Quod & ſequentes Pontifices ſtatuerunt. Cælo itaque tonante & toties crepitante, debuit ſilere terra, nec poſt tot Pontificum decreta contra libros Thalmudicos, Fidelium curioſitas mutire. Emiſit tamen è ſinu ſuo Germania prurientes & peruicaces Grammaticulos, qui iuxta Pauli vaticinium, à veritate auditum auertentes & ad fabulas conuerſi, Thalmudicas lucubrationes coràm commendarunt, ſuaſeruntque legendas. In contumaces ſtatim inuolat Quæſitorum Fidei æſtuans zelus: prohibitos Libros igni tradunt; rebelles Decretis Pontificiis coercent, & in ſe publica curioſæ multitudinis & humaniores literas profitentium, odia conuertunt. Inter quos protulit Germania *Reucinum*, dictum etiam *Capnionem*, virum alioquin linguarum ac humanæ literaturæ apprimè peritum; ſed magis dictioni quam pietati incumbentem: de quo Genebrardus Append. in Innocentio VIII. ait
An. 1491. *n.* 12. apud Spondanum. *Vir magnus, niſi Lingua Hebraica myſteria Cabaliſtis nugamentis maculaſſet.* Hic ab Inquiſitoribus pruriginem illam Thalmudicam compeſcentibus iure redargutus, ſcriptis frequentibus & aculeatis ipſos impetiit, & obliquo ictu, omnes Cyriacos. Querimoniâ ad Pontificem delatâ, vt Cenſuras effugeret Reuclinus, egit apud Cæſarem Maximilianum, vt libri Thalmudici ab igne
L. 6. de haret. c. 6. eximerentur. Ex quo peſſimè audiiſſe teſtatur Conradus Brunus. Inſiſtens tamen anteriorum veſtigiis Pontifex Paulus IV. an. 1559. exuſtionem Thalmudicarum lucubrationum imperauit, vetitamque indixit earum lectionem. Hic interim notabis, Petre in anteceſſum, amicum Tuum Theophilum Raynaudum, acriter & iuſtè caſtigatum à Poſſeuino eiuſdem Societatis Scriptore in Bibliâ Sacrâ V. *Thalmud*, dùm conſtitutionem Clementis VIII. an. 1593. irreligiosè detorquens, liberam fecit Lectionem Thalmudicorum librorum, quibuſdam ſeruatis

Operâ itaque & infatigabili Quæſitorum Fidei Ordinis S. Dominici zelo, combuſti ſunt libri illi profani & impij, quos nimiùm Reuclinus deperibat; malè acceptus

ipſe eiuſque fides, quod in rebus ſpiritualibus à Pontifice ad Cæſarem declinaſſet. Vnde & poſtea à Theodoro Bezâ Hæreſiarchâ inter imagines præcipuorum reſtauratorum Eccleſiæ Heterodoxæ, ſingulari ac magnifico Icone fuit conſignatus. Hinc coeuntibus ſtudiis, conſpirat ferè tota Germania, maximè ſuperior, contra Cyriacos cum Reuclino & amico eius Eraſmo, naſcentis Hæreſeos Lutheranæ, ſi non authoribus, ſaltem indifferentiâ irreligioſâ fautoribus: Ex quo fluxit prouerbium, *Aut Lutherus Eraſmiſat, aut Eraſmus Lutheraniſat.* Iunctus eis peculiari amicitiâ & vano humanioris literaturæ zelo Lutherus, antequam in apertam Hæreſim prorumperet; nec conſequenter petulantem eius in Dominicanos æſtum ingenerauit publicandæ Bullæ Cruciatæ impoſitum ipſis à Moguntino Archiepiſcopo Sedis Pontificiæ Legato munus; ſed latentem & præuiis dimicationibus eorum cum Reuclino & aſſeclis eius, accenſum furorem, foras emiſit. Quo factum, vt immiſſâ clam in Heluetiorum ditionem Hæreſi Lutheranâ; & cum errore, iniecto in Cyriacos antiquo liuore, agentibus Reucliniſtis, Eraſmiſtis, ac Lutheranis ſecretis (antequam Zuinglianus error Heluetiam inuaderet) quorum in hac parte cõmunis in Dominicanos æſtus, facile fuit apud inimicos & à Fide iam in animo deuios, inueniri teſtes qui ſpecioſo prætextu læſæ Deiparæ reos oſtenderent; quos iam implacabili odio ob propugnatam Eccleſiam & Fidem vindicatam, proſequebantur; maximè cum iam Spirenſes ſat vicini, conſpiraſſent contra Epiſcopos & Canonicos aperto aſſultu. Volebant Iudæi Chriſtum interficere, antiquo & inueterato odio ipſius necem machinantes. Falſos inquirunt teſtes; emercantur ſoluto pretio, qui dicant ipſum in Deum blaſphemaſſe. Dicunt & Innocens perit. Furunt in Dominicanos, Reuclinus Pontificio fulmine, ipſorum operâ ſæpè plexus: *Caluiſius an.* 1505. Eraſmus, qui teſte Alberto Pio, fabulam vocat Euangelium; refertque Caluiſus amicus eius, Eraſmum in libro qui inſcribitur *Moria*, ſeu *Stultitia*, Chriſtum *An.* 1508. ipſum* ſtultitiæ quodam modo affinem diſputare.

Furunt inquam in Cyriacos hi amici ac præcurſores Lutheri, à cuius diſcipulis, Bernæ clam errores ſuos diſſeminantibus, antequam infœlix ciuitas in apertam Hæreſim proſiliret; concinnatâ falſâ accuſatione cum ſpecioſo &

religioſo, vt dixi, prætextu, eodem igne conflagrarunt illi Cyriaci, quo ſub Nerone Chriſtiani, incenſæ vrbis falsò inſimulati. Quod confirmat Antonius de Senis in Chronicis, ſeu Bibliothecâ, vbi innocentes periiſſe affirmat, prævalente inimicorum odio, obque maleuolam in ipſos animam. Hic eſt ille Triumphus Capnionis, ſeu Reuclini de Fratribus quos (inquis Tu Petre ſequenti Paragrapho) Reuclinus domuerat. Vbi enim eos domuerat? Non Romæ, quia apud Pontificem cauſâ cecidit, victoreſque de Capnione Cyriaci, vt infra latè oſtenditur §. 135. Non in Germaniâ inferiori, vbi ambuſti ſunt libri Thalmudici & Reuclini lucubrationes aliquæ prohibitæ, imò combuſtæ Coloniæ Agrippinæ. Trophæum ergò ſuum erexit Bernæ in Germaniâ Superiori, cùm agentibus clàm Reucliniſtis, nouæ Hæreſis fuligine reſperſi Bernenſes non pauci, quod iure non poterant, falſâ accuſatione extorſerunt. Poſitus itaque in biuio Lector, ad quam voluerit partem deflectat: ſiue enim iniectam narrationem, commentum putet, Dominicanis non nocet, nec fuſcat: ſiue hiſtoriam, fauet & illuſtrat Sed vt verum dicam, fabula eſt non hiſtoria, præfata damnatio. Excreuit autem ſuppoſititius ille Triumphus Capnionis de Fratribus, infartus nouis Additionibus contextui infartis à Diſcipulis Reuclini, ſed æquè fabuloſis. Hæc *Bernenſis ſtropha.*

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Cyriaco Anonymo Parrhiſium nefas imponit.

§. 99. T*Ametſi nihil videtur neceſſe, poſt tam luculenta Miraculorum ac Reuelationum figmenta per Cyriacos obtruſa, alia eam in rem exempla quærere; tamen non ibi ſtetiſſe artem* poetandi *Cyriacorum* (*retineo Emphaticum poetandi verbum, à Lucifero Calaritano l. 2. pro S. Athanaſio adhibitum pro verbo* fingo;) *docet Eleutherius Bizenus in Apologiâ Metricâ pro Reuclino, quam inſcripſit* Triumphum Capnionis, ſiue Reuclini de Fratribus, *quòs Capnio, ſiue Reuclinus domuerat, ac ne ſibi nocerent obſtiterat. Poſt adductam ergo ſtropham Bernenſem, addit eam narrationem iam eſſe antiquam, ſed nouas ac recentiores ſuppetere.*

Iam vetus hiſtoria eſt. Quod Galla Lutetia narrat,
Vnius eſt anni. Quoddam de plebe cadauer
Reſtituiſſe animæ, veſtraſque vt crederet artes
Decepiſſe rudem populum, pœnaſque dediſſe.
Veſtra hæc ſunt: & adhuc alios depoſcitis igni?

Affatur Cyriacos, exprobratque eis, (vt paulo poſt nominat) Parrhiſium nefas. *Hoc quale fuerit Annales Gallicani plenius produnt; tametſi Eleutherius ſatis expreſſit.*

RESPONSIO.

CHimericum de Fratribus Cyriacis, Capnionis Triumphum, ab ipſo Capnione compoſitum & ſuperbâ figmentorum colluuie tumentem, auxere Diſcipuli, eodem quo ipſe in Religioſos œſtro furentes; nugas nugis inſerentes, ſtrophas ſtrophis, & commento Bernenſi, *Parrhiſium nefas.* Illud Magiſter, hoc Diſcipuli æquali malitiâ ac infælicitate cudêre. Probant enim fabuloſo Triumpho additæ & inſertæ fabuloſæ narrationes; Poëticum eſſe ac fictum quicquid obtruditur, iuxta emphaticum *Poëtandi* verbum, adhibitum pro verbo *fingo*; *Poëtantemque* Authorem Triumphi, *fingentem* dicimus, metricè mentientem, infibulantem Bernenſi Reuclini ſtrophæ, Parrhiſiam. Hæc qualis fuerit, nulli Annales Gallicani ſolutâ oratione editi produnt, nec auſus eſt Pſeudo-Petrus, Scriptorem, tempus, aut Reum nominatim indicare, ne apertæ Impoſturæ conuinceretur. Prodent autem, cùm placuerit nouo Eleutherio Bizeno Poëticas additiones metrico ſtylo & fingente calamo cudere, & arte hâc, Reuclini ſui Triumphum chimericum chimericis proluſionibus adaugenti. Ne mireris, Lector, Triumphum ſuum ſub ementito nomine celebraſſe *Capnionem*, his ſtrophis aſſuetum; cum & lib. 3. de arte Cabalicâ eandem prorſus crambem recoquens, fingat Francofurti Simonem Iudæum in cauponâ compotantem cum quodam Marrano & alio Philoſopho pagano, eumdem de Cyriacis Triumphum Reuclini enarrantem. Seu, quod idem eſt; Reuclinus Reuclini chimericam de Cyriacis victoriam celebrat, modò ſub Eleutherii Bizeni, modò ſub Simonis Iudæi ementito nomine; & vtrobique fabuloſum cudit Triumphum. Author itaque ſtrophæ Bernenſis, ſicut & Francofurtianæ, Capnio; Parrhiſiæ autem,

diſcipuli Capnionis, Magiſtri merricam fabulam metricis & nouis fabellis adaugentes.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Syluestrum figmenti inſimulat circa liberationem Comitis Prouinciæ.

§. 100. *Plenam miraculi, Caroli Secundi Siciliæ Regis & Prouinciæ Comitis liberationem à captiuitate, quâ apud Arragonios detinebatur, factam interuentu B. M. Magdalenæ, narrant plerique Cyriaci, ex quibus Syluester Prierias, in Roſâ Aureâ Tract. 2. Sermone in feriam V. Octauæ Paſchatis. Res breuiter iuxta eos ſic habet. Carolus nauali pugnâ cum Rege Arragonum congreſſus ſub annum* 1279. *vincente Arragonio, captiuus Barchinonem ductus eſt, & duro carceri mancipatus, cùmque indubitatam mortem opperiretur, monitus eſt à F. Guillelmo de Iennatis Ordinis Prædicatorum, qui ei erat à Confeſſionibus, vt B. Magdalenam quæ in Prouinciâ Salyum ipſi Carolo ſubditâ prædicauerat, & in ſpecu ad S. Maximinum tricenariæ pœnitentiæ ſolitariâ perfunctâ labore obierat, in Patronam aſſumeret, eique cauſam ſuam & libertatem commendaret. Dictum factum: Et ecce pridie feſti B. Magdalenæ, apparens Carolo per noctem, Beata; vt ſe ſequeretur admonuit; cùmque aliquantulùm progreſſus Carolus ſibi videretur, audiuit de eo ſciſcitantem ductricem ſuam, vbinam ſe eſſe crederet: Illo reſpondente, intra muros Barchinonenſes: Falleris (inquit) nam non niſi vnâ Leucâ abes Narbone; & ſupra triginta leucas iam emenſus, calcas terram Tibi ſubiectam. Reponente Carolo; & quid pro tanto beneficio poſſet referre; reſpondit Sancta, Latent in S. Maximini ora, reliquiæ meæ. Subſtituto enim alio cadauere, deluſi ſunt, qui eas Vezeliacum aſportare quærebant; & vbi primum condita fuerant, remanſerunt. Tu eas honorificè colloca; & Fratribus meis Ordinis Prædicatorum Religioſis aceruandas committe, aſſignato cenſu annuo pro centum Fratribus, vt ſemper ibi vigeat ſtudium generale. Sic fata Magdalena diſparuit: Et Carolus eo ipſo loco Crucem figi iuſſit, cui hodieque nomen eſt* Crux de Leucâ: *moxque ſuper Gabellas Nycienſis ciuitatis, & alias, præſcriptum annuum*

cenſum Fratribus Sanmaximitanis conſtituit ; & duodecim Cœnobia Ordinis Prædicatorum, vel etiam plura in Neapolitano regno erexit. Sic Syluester, mox totam viſi cœleſtis narrationem retexens & taliter deſcribens. Hiſtorici autem Galli, totam de Carolo per Magdalenam liberato narrationem, & tranſlationem Caroli adeò ſubitam ; & commendationem Fratrum, ac pinguis reditus præſcriptam à Magdalena aſſignationem, ablegant ad Deum Fabulinum Carolum autem ad ſuos initâ pace cum Arragonio, liberum remeaſſe abſque miraculo, vt exploratum ponunt. Neque ſanè in Chronicis vulgatis & in Actis S. Magdalenæ extare aliquid eorum quæ retulit, Syluester fatetur.

RESPONSIO.

CEdunt Tibi Cyriaci nugatoriam fabellandi palmam, nec tecum contendere præſumunt, vbi Deo *Fabulino* litandum occurrit, ſibi ignoto, Tibi domeſtico. Triplici enim Impoſturâ, alteram (cuius & Tu es artifex) arietandi occaſionem audaculè aſſumpſiſti, dùm Miraculi narrationem texis, adulteras ; & cæcutientibus ſimul animo atque oculis, quos liuor ardens in Dominicanos abripuerat ; nomina ipſa turpiter deformaſti, *Tonnais* in *Ioannai* patriam in cognomen eius qui erat à Confeſſionibus Regis, conuertens. Fateor, hic lapſus alteri indulgendus foret ; Tibi neutiquam, qui dum indiſcretâ mordacitate cunctos vellicas, à cunctis & in cunctis meritò es vellicandus ; nec amplius aquâ abluendum fœtens caput, ſed iuxta verbum Tuum, ſtrigili defricandum. Imò qui alienas exſcribis ſchedulas, ſemper etiam deſcribis, à veritate aliena. Cæſpitationem, inſtans fœduſque ſequitur lapſus. Subiungis ; S. Magdalena dixit Carolo Regi, loquens de reliquiis ſuis quæ apud S. Maximinum erant repoſitæ ; *ſubſtituto alio cadauere deluſi ſunt qui eas Vezeliacum aſportare quærebant.* Vbi apud Syluestrum ſermo de Vezeliaco? Sicciné impudorate Authores adulteras? Sicciné Syluestro imponis, dum eum Impoſturæ inſimulas? Video, præualet & dominatur in Te deus *Fabulinus*.

Impoſtura.

Vitiatio.

Sed ad præcipuum quæſtionis cardinem conuoluatur oratio. Vtrùm præfata Caroli Regis liberatio, vera fuerit aut commentitia, noſtrum non eſt iam diſputare, ſed pon-

dere Sanctuarii libranda fides Authoris. Tu qui fabuloſam putas, miraculoſam Principis liberationem ope S Magdalenæ; fabulæ huius Authorem inſcribis Prieratem Cyriacum, decerpens ex ore eius totum narrationis à Te adductæ contextum; quo fit, Te indicante, vt Impoſturæ opifex, & hoc titulo, Impoſtor euincatur Syluester. Quid autem habet ille, loco à Te adducto? Dicit ſe an. 1497. dum deuotionis cauſâ ſacras D Magdalenæ reliquias veneraturus ad S. Maximinum acceſſiſſet, ſibi narratum aliquid, quod non habetur in vitâ S. Magdalenæ, nec in Chronicis vulgatis circa liberationem miraculoſam Regis Caroli è manibus Regis Arragonii Chronicam tamen, inquit, huius ſententiæ reperi. Carolus Rex Siciliæ Secundus, & Comes Prouinciæ &c Totumque miraculum vt vulgò narratur, deſcribit, ex illâ Chronicâ (verbum eſt Sylueſtri) quæ adhuc aſſeruatur in Archiuis S. Maximini manuſcripta, & incipit, *Mirabilis Deus.*

His ita conſtitutis; ad Te redeo, Pſeudo-Petre. Quis veſtrum Impoſturæ reus, Tu an ille? Ille dicit ſe narratum quod nec in vitâ S. Magdalenæ, nec in Chronicis vulgatis habetur; cuius tamen dum vellet certus fieri, Chronicam huius ſententiæ reperit id referentem; quæ reuera extabat & adhuc extat apud Sanmaximinianos. Continuit ſe itaque Sylueſter intra veritatis illibatæ cancellos, dum dixit, non quod iſta liberatio miraculoſa ſit vera vel falſa; ſed quod viderit Chronicam eam referentem, quod verum eſt, & adhuc extat Chronica & illa. Tu ergò Impoſtor, laruate Senex, dum illum aſſeris Impoſtorem, faciſque Authorem liberationis, quam fabuloſam dictitas, Sylueſtrum, qui eius ſe non Authorem, ſed tantùm, ex Chronologico opere exſcriptorem profitetur. Cæterùm quid de veritate præfatæ liberationis, miraculo editæ, ſit ſentiendum, poſſeſſio præſcripſit. & præter rationes & Authores pro miraculo militantes, præualet populorum pius communiſque conſenſus. Te autem, qui extra pietatis rationiſque orbitam palabundus vagaris, vtrâque imbuendum remitto ad Ribadeneiram Societatis Scriptorem, qui vitam D. Pœnitentis texens, vbi hanc hiſtoriam de liberatione miraculoſâ attingit, iiſdem planè circumſtantiis inuolutam, veluti veram ac certam amplectitur, trahens in eamdem mentem nuperum Cauſſinum Sodalem ſuum

contuſuruſque petulans os tuum, Syluestrum Prieriam Cyriacum Magiſtrum S Palatii, Authorem Summæ Syluestrinæ, & primum qui ex Italiâ ſcripſit aduerſus Lutherum, quem tu tamen velut Nebulonem ac Impoſtorem ſuggillas, ille virum grauitate, Doctrinâ ac pietate conſpicuum, condigno meritis elogio celebrat.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Fingit Vicentinum, malis artibus dominantem in Italia vt & Saūonarolam.

F. Ioannes Vincentius Ord. Prædicatorum, quomodo dementatâ per confictas Reuelationes plebeculâ, in ciuitatis Bononienſis dominatum ſe inſinuarit, & ſeptus armis ciues pro libito ex vrbe pepulerit; vel in ea retinuerit; narrat Baptiſta Fulgoſius l. 1. tit. de Religioſo cultu c. 1. ex Guidone Bonato, ſui temporis deſcribente. Et addit Fulgoſius, de Hieronymo Sauonarola, qui per triennium, Florentiæ ſparſis multis Reuelationum figmentis, exercuit dominatum, & tandem iuſſu Alexandri VI. non ſine tumultu & ſanguine captus, ac poſt ſolemnem exautorationem, viuus flammis combuſtus eſt, faſſus ſua commenta. Qui hunc Æthiopem dealbare conati ſunt, operam luſerunt, vt monſtrat Delrio Q. Magic. c. 5. q. 3. ſect. 6. §. 101.

RESPONSIO.

NOn abſimilis Pſeudo-Petrus Pſeudo-Prophetę Balaam, qui mercede conductus vt malediceret populo Dei, non diras intorſit, ſed benedictionem effudit pleno ore; dum enim dehoneſtare parat Ordinem Prædicatorium, nouo ſplendore inuitus exornat, extrahitque de tenebris quas effuderat, eiuſdem Ordinis æternum gloriæ decus. Quod vt liquidò pateat, inſignis eius Impoſtura, oculis eſt ſubiicienda. F. Ioannes Vicetinus (quem ille perperam vocat *Vincentium*, vt potè ab vrbe Vicenza ortum) Ordinis Prædicatorum, dementatâ quodammodo per confictas Reuelationes plebeculâ, Bononienſis ciuitatis dominatum inuaſit, vitæ ac fortunæ ciuium ſupremus

Arbiter, admittens & eiiciens vrbe pro libito quos vellet. At vnde hæc habet? Ex Fulgoſio, inquit, qui à Guidone Bonato acceperat. Audiatur itaque citato loco Fulgoſius, ſeu Fulgoſus. [Guido Bonatus ætate ſuâ ſcribit, ſe vidiſſe Ioannem Vincentium, ſeu Vicentinum, Ordinis Prædicatorum, qui hanc de ſe in hominum animis opinionem confirmarat, vt cum eo Deus loqui crederetur, & in eius verbo mortui ſuſcitarētur. Per hanç enim opinionem captis hominum animis, in Bononienſis Ciuitatis dominatum ſe inſinuarat, annumque in eâ egit armis ſeptus, ita vt in vrbe manerent, eaque pellerentur, quos ipſe Deo, aut gratos, aut inuiſos, tanquam diuinitùs moneretur, affirmaret.] Ait itaque Bonatus, Ioannem iniectâ ſanctitatis ſuæ opinione, dominatum obtinuiſſe in vrbe Bononienſi, ſubiicientibus ſe vltrò pietatis Regimini, ciuibus. Sed an vera & ſyncera, an ſuppoſititia & fucata fuerit hæc Ioannis ſanctitas, ipſe non explicat, ſed indeciſum relinquit. Nec dicit *dementatam plebeculam*; nec, *per confictas reuelationes dementatam*, vt Tu ei imponis; futileque

Falſatio. ac ridiculum planè Tuum argumentum, niſi illud euincat ex Fulgoſo & Bonato quorum vnicâ authoritate nititur. Fatere ergo, à Te de Tuo cuſas has reuelationes, de quibus apud præfatos Authores nulla mentio; & ex hac parte qui Ioannem Vicetinum denuntiaras Impoſturæ reum,

Impoſtura. calumniæ ac Impoſturæ conuinceris. Iterùm obiicio, qui dicis non furandum furaris?

Nunc opinionem illam ſanctitatis longo vſu in hominum animis confirmatam, obſignatamque miraculis ac mortuorum ſuſcitationibus, ſeuero examine trutinemus, & an à Deo, an à dæmone aut arte humanâ, ingeſta talis perſuaſio, ex grauiorum Authorum Iudicio colligamus. Sigonius, rerum Italicarum Scriptor celeberrimus l. 17. & cum eo Spondanus, Cyriacis nullatenus fauens aut indulgens, rem produnt. Iſte enim alterius ſecutus veſtigia, deſ-

An. 1233. n. 6. criptâ turbatione vniuerſæ Italiæ factionibus publicis ac domeſticis tunc laceratæ; ſic proſequitur: [Fœlicior in Italiâ pacis per earumdem Religionum (SS. Dominici & Franciſci) Fratres procurandæ, Gregorii Papæ ſollicitudo: quam enim tot Cardinalium authoritate haud præſtare potuerat, ſibi procurandam ſtatuens per Fratres Prædicatores & Minores, illâ maximè tempeſtate, Doctrinâ,

pietate

pietate atque integritate præſtantes. præcipuè *Ioannem Vicetinum* Ordinis Prædicatorum; quod ſummam eius eloquentiam atque incredibilem apud populos authoritatem, mirâ doctrinâ & Sanctitatis ſpecie nec non Miraculorum editione conciliatam, accepiſſet; (Bononiæ namque vrbanis, agreſtibus, artificibus, militibus, Magiſtratibus, Clero, ipſoque Epiſcopo, in eius arbitrio ſeſe profitentibus, nulla lis fuerat, quam non facilè diremiſſet, nulla diſcordia quam non ſedaſſet:) legatum deſtinauit, qui Lombardos & Marchianos circumiens, & in vnum conuocans; ingenti vbique & ab omni hominum genere honore ſuſceptus, orationibus ſuis pacis bona, belli detrimenta, & diuina mandata complectens, facilè omnes ad concordiam ineundam adduxit. Tanta denique fuit apud eos æſtimatione, vt etiam à Veronenſibus Dux ac Prætor ciuitatis acclamatus fuerit. Quem cum ille honorem iniiſſet tantum, ſexaginta homines hæreſeos conuictos cremauit.] Huc vſque Spondanus, qui alios ex eodem Ordine & Minoritas adiunctos poſtea Ioanni, ita populos ad deuotionem incendiſſe deſcribit, vt ex hoc ille annus vocatus fuerit, *Generalis deuotionis annus*. Atque, inquit ibidem [nouus Militum Ordo, qui *S. Mariæ glorioſæ* vocati ſunt, factus Authore F. *Bartholomæo* itidem *Vicetino*, Prædicatorii Ordinis. Quin etiam Mediolani hæreticis in dies magis furentibus, *F. Petrus Veronenſis*, qui poſteà S. Petrus Martyr eſt appellatus, eò acceſſit, Inquiſitionis authoritatem à Pontifice adeptus: ac cum multas conciones vtiles habuit, tum plurima contra Hæreticos decreta ſeueriſſimè fecit. Mutinæ autem F. Gerardus Rangonus Ordinis Minorum, & aliquando S. Franciſci ſocius, Ciues pariter inter ſe capitali odio diſſidentes reconciliauit; vir tantâ prudentiâ, vt propterea à Parmenſibus Prætor aſcitus ſit ad ciuitatem adminiſtrandam: tantâ ſanctitate, vt poſt mortem multa ſigna ediderit.] Vides, Pſeudo-Petre ex illâ nubeculâ, quam infuſcando Ordini Prædicatorum obtruderas, Tres ſplendidos emicuiſſe Soles, Ioannem, & Bartholomæum Vicetinos, & Petrum Veronenſem, omnes Cyriacos? Gerardus Minorita opinione Sanctitatis ciuitatem Parmenſem ad nutum regit; eâdem opinione veræ ac ſolidæ ſanctitatis, *Ioannes Vicetinus* Veronæ ac Bononiæ præeſt. Vnde nec mirum, ſi quâ pollebat authoritate &

zelo, quo in Dei gloriam æſtuabat, plena illi poteſtas obtigerit recipiendi & eiiciendi ex vrbe quos paci publicæ aut Catholicæ Religioni profuturos vel obfuturos præno-uerat. Hinc, vix factus Prætor Veronæ, cùm ſexaginta Hæreticos conuictos cremauit, eiecit autem ſine dubio, ſuſpectos & turbulentos.

Verùm quis ſpirituum ponderator, an Nebulo laruatus, qui ſpiritum Chriſti non habet; an verò Summus Pontifex, cui ſuprema ſpirituum lex & diſcretio concredita? Audiamus ergò Gregorium IX. an. 7. ad *Ioannem Vicetinum*
Epiſt. 130. hoc tenore ſcribentem, dum mirabilia quæ in Italiâ patrabat, attenderet. *Ad orationum vota conuertimur, & adorantes ſuper faſtigium virgæ eius qui percutit & medetur, fideliter petimus, vt gratiam quam magnificauit facere Tecum in mirabilibus ad laudem ſui nominis & ſalutem fidelium animarum, augeat & conſeruet, quò cum iuſtorum vitam in humilis patientiæ ſeruitute ſeruaueris, eorum morte precioſâ in conſpectu Domini mortaris.* Pronuntiatum hoc ſupremi Pontificis de *Ioanne Vicetino* elogium quis attenuet? Audiatur ſuper hoc iteratò Spondanus loco laudato. [De prædi-
N. x. cto Ioanne Vicetino non prætereat: cum plurima ab eo alia edita miracula etiam vſque ad 7. mortuorum ſuſcitationem, Thomas Cantipratenſis l. 2. c. 1. narret; ſcribere tamen Matthæum Pariſium, in Henrico 3. an. 1238. eumdem tandem aſtutiâ diaboli, gloriâ elatum & familiaritate carnalium amicorum eneruatum, Dei amorem, & hominum honorem, nec non & Prælatorum amittere meruiſſe reuerentiam.] Ioannem vellicat ſolus Pariſius, natione Anglus, corde hæreticus, hoſtis Dominicanorum ac Franciſcanorum, & Eccleſiæ Catholicæ impudoratus traductor; de quo hoc meritò tulit iudicium Spondanus.
An. 1223. n. 7. [Quod boni hic Author habet, id eſt, quod plurimas Epiſtolas à diuerſis ſcriptas, & acta publica verbatim referat: quod ſanè negandum non eſt egregii eſſe momenti. Hæc verò ſi dempſeris, in reliquis nulla tuta fides, cùm portentoſis plerumque mendaciis, calumniis atrocibus, ineptiſſimis narrationibus, & inſulſis commentis ſcatere noſcatur ex collatione aliorum Authorum melioris notæ.] Et infrà.
An. 1225. n. 6. [Et ne fidem adhibeamus Pariſio, in rebus Pontificum & Eccleſiæ Romanæ mentiri ſolentiſſimo.] An ergò nebulonis huius propudioſa blateratio infirmabit iudicium Sum-

mi Pontificis? commune populorum ſuffragium; totam denique Italiam paci & pietati redditam, zelo ac exemplis Ioannis Vicetini? Neque etiam ipſe Pariſius aliud dicit, quam gloriâ elatum & amicorum carnalium familiaritate eneruatum; hoc eſt, deferbuiſſe à primæuo ardore; non exprobrat autem illi grauem aliquem lapſum aut fœdum crimen. Teporem obiicit, non fœtorem. Potuerit autem hæc etiam de eo Pariſius audiiſſe ex falſis aliquibus rumoribus in eum concitatis (inquit Spondanus loco citato.) Inuidiâ diaboli; quæ & Te eò vſque dementauit Petre, vt dementationem indigitaueris, pietatem & amorem Dei, quem ſuis prædicationibus in cordibus hominum accendebat Ioannes Vicetinus, meritis ac miraculis clarus; maleuolorum tamen vexatus calumniis, vt inquit Odoricus Raynaldus tomo 13. an. Eccleſ. ad An. 1233. pag. 445. n. 35. cuius verba placet exſcribere. [Verum inter ea collata diuinitùs beneficia, quibus ingentem apud populos ſanctitatis famam comparat, arcano conſilio permiſit Numen, exercendæ ipſius, probandæque virtutis gratiâ, aliquos maleuolentiâ in eum ſuffuſos, famam ipſius iactis contumeliis lacerare; quibus à Pontifice acceptis, ad ferendas pro Chriſto animo præſtanti iniurias hortatus eſt, nec eum ſe iis appeti innocentem mirari debere, cum ipſe Dominus maioribus ab inuidis exceptus eſſet.] Adducitque literas Pontificis Odoricus. Non interiit itaque ſed interdiu minùs fulſit probatione illuſtranda Ioannis virtus. N. 4.

Eodem autem quo Vicetinus, afflatus ſpiritu Chriſti, ſodalis Hieronymus Sauonarola; ſed non eodem ſæculo natus. Eodem ſolo non eodem ſole creſcunt cognata hæc lilia, inæqualem ſub oppoſito ſydere ſubitura ſortem. Illi amorem; huic odium veritas peperit; ſed ſub diſpari fortunâ par gloria, nec veritatem tacuiſſe nec fouiſſe mendacium. Quis Hieronymus fuerit, præter innumeras Apologias à Pico Mirandulæ principe, à Marſilio Ficino & aliis confectas, quamplurimi iique primæ notæ viri ad meliorem vitæ frugem reducti conclamant. [Inter quos, (verba ſunt Spondani,) Fuit etiam *Marſilius Ficinus* Canonicus Florentiuus, Philoſophus anteà Platonicus magis quam Chriſtianus. Nec non *Nicolaus Schombergus* nobilis Sueuus Germanus, Iuri tunc dans operam, qui habitum Prædicatorum ab ipſo Sauonarola accepit & Cardinalis fa-

ctus eſt poſteà à Paulo III. Præter innumeros alios nobilitate, moribus & eruditione præſtantes omnium facultatum viros, qui ab eius eloquio ſpiritu meliore concepto, S. Dominici Sodalitium impleuerunt: aliorumque Ordinum Profeſſores, qui à concionibus eius ad amorem perfectionis incenſi ſunt: vt omittamus ingentes fructus in refrænandâ iuuentute Florentinâ, & pueris atque vtriuſque ſexus hominibus, ad pietatem & laudes diuinas conformandis. Grauiſſima nihilominùs in eum à maleuolis coniuratione facta, &c.] Guicciardinus qui tunc Florentiæ agebat, in laudes eius mirè ſe effundit. Hominem Dei qui viderunt, laudant; vellicant, qui non viderunt, aut inuiderunt. Quod vis tormentorum extorſerat, retractat ſtatim lingua ſui compos; afflatuque ſe actum diuino in iis quæ prædixit, liberè prædicat animus quandiu liber. Quid ergo ſub alba veſte & albiori adhuc vitâ (quam Lucubrationum, mirabilium operum ac mentis candor illuſtrat) Æthiopem vocas Scutra, intùs & foris quouis Æthiope atrior, ſicut vallis Tuæ clauſæ & caliginoſæ facies denigrata ſupra carbones exigebat? Sit itaque inter Sauonarolam & Te, ex vtriuſque veſte, de igne interiori, quo ambo conflagratis, iudicium. Flamma ſuperior & cæleſtis, alba, albicanti ſe tractu expandit; inferior & terrena, nigricans & cuncta denigrat. Hæcque diſparitas veſtros animos ex veſte diſtinguit. Igne cæleſti ſtellæ albeſcunt, terreno nigreſcunt ligna. Dealbati non eguit candentis oræ Cygnus, luduntque operam qui conantur dealbare Æthiopicam Valcluſini faciem. Igne debuit mori, qui igne vixerat; hunc accendit ignem pietas; illum inuidia, & vtroque depaſtus, remeauit ad eum qui ignis conſumens eſt; relinquens terris hoc animi immoti ac variantis fortunæ illuſtre ſpecimen. Cæleſti & terreno ſimul igne depaſtus occubuit Frater Hieronymus Sauonarola, præco Chriſti, amor populi, Magnatum terror, victima zeli, præda factionis. Sicut viuens, ita & moriens, omnibus omnia factus; perſecutoribus, hoſtia pacifica: amicis, iuge ſacrificium; Deo, holocauſtum: Cuius denique mors dum indicitur, myſterium politicum: dum toleratur, Apologia Chriſtiana *Qui legit, intelligat.*

L. 3. in fine.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Reuelationes S. Catharinæ Senenſis, vt figmenta exſufflat.

Onfictam à Cyriacis reuelationem de maculatâ Conceptione paſſiuâ Deiparæ, factam S. Catharinæ Senenſi, euincit Delrio ibidem ſect. 4 poſt Catharinum l. 3. de Immacul. Concept. ſub inidem. *Quod enim Fratres vrgerentur reuelatione B. Birgittæ, de nitentiſſimâ & prorſus maculæ experte Conceptione B. Virginis, vt clauum clauo truderent, reuelationi veræ, qualis fuit Birgittana, falſam ex ſua incude obiecerunt.* Dolus an virtus, quis in hoſte requirat? §. 102.

RESPONSIO.

VT clauum clauo trudas, ac nefariâ doloſitate in alios transferas Impoſturæ inuidiam, cuius toties conuictus es, nondum confuſus aut dolens; falſam ex ſua incude criminationem Cyriacis impingis; quaſi fictum aliorum crimen, Tuæ ſi innocentiæ nequit euadere argumentum, fiat ſaltem impudoratæ mendacitatis ſubtile velum, & deterſio quædam inolitæ prauitatis. Incautâ tamen garrulitate monuiſti quid de Te foret præcauendum, dum in ſummâ rationum ac probationum egeſtate, fraudes meditabaris & dolos. *Dolus, inquis; an virtus quis in hoſte requirat?* Verùm imbecillitati Tuæ vltrò condolemus, quæ enim gloria proſtraſſe imbellem? Dum tamen dolo occurrentes, temeritatem caſtigemus. Confictam à Cyriacis reuelationem S. Catharinæ Senenſis, oppoſitam reuelationi S. Birgittæ quereris, quam illi ex ipſomet Doctoris, Præſulis ac Sancti cum Deo regnantis Antonini Florentini ore acceperunt; niſi fortè velis ipſos etiam Cælites, vltimâ fœlicitate donatos, in ſacrilegum Impoſturæ crimen vocare? Ille ergò 1. Parte ſuæ Summæ hæc habet. [Si dicis aliquos Sanctos habuiſſe reuelationem de huiuſmodi, vt ſancta Birgitta; ſciendum quod aliæ Sanctæ quæ claruerunt miraculis, vt B. Cathorina de Senis, habuerunt reuelationem *Tit. 8. c. 2. ſub fin.*

de contrario : & cum etiam veri Prophetæ aliquando putent ſe ex reuelatione Spiritus S. aliqua habere, quæ ex ſo dicunt ; non eſt inconueniens dicere, quod tales Reuelationes non fuerunt à Deo, ſed ſomnia humana. Exemplum in Nathan Prophetâ loquente ad Dauid 2. Regum qui credebat ei ſpiritu Prophetiæ reſpondiſſe Dauid, & tamen non ſic erat vt poſteà patuit.] Ita D. Antoninus ; & concludit ſtandum determinationi Eccleſiæ cum ſuper hoc pronuntiauerit. Aureum hunc clauum quid conaris trudere clauo plumbeo ? Falſam itaque ex adulterinâ incude obieciſti accuſationem.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Fictas queritur Reuelationes addicentes Minoritas Doctrinæ D. Thomæ.

§. 103. B*Inas Reuelationes pro aſtruenda ſublimitate Doctrinæ S. Thomæ, retulit Lucas Vaddinghus in Additionibus ad Tom. 3. quas adiunxit Tomo 7. pro anno* 1308. *Prior eſt, quam narrat Baltaſar Aruis Serm. de S. Thoma, de quodam Minorita, indefeſſè Scotum euoluente & abſque fructu. Interpellato autem ea in re S. Franciſco, ait apparuiſſe illi S. Franciſcum, hærente lateri eius S. Thoma. Tunc Sanctum Franciſcum ſupplicі dixiſſe de S. Thoma*, Hunc lege, hic enim dicet Tibi quid Te oporteat facere. *Poſterior Reuelatio eſt ea quam narrat F. Ioannes de Viata, Sermone de eodem S Thoma. Exhibeo breuiculum. Franciſcano in quadam Theologica difficultate implexo, apparuit B. Virgo media inter SS. Franciſcum & Thomam, dicens illi Minoritæ; monſtrato S. Thoma,* Huic inhære ; eius enim doctrina ſemper permanebit. *Vtramque hanc narrationem, eſſe meram fabulam, à Cyriacis concinnatam ad extollendam S Thomæ Doctrinam, quaſi extra eam non ſit alia, proſequitur idem Vvadinghus. Commenta ita ſua obtrudentes in Concione prædicti Fratres non conſiderarunt quam graue ſcelus ſit Reuelationes falſas aut miracula conficta inter prædicandum obtrudere : In quam rem agit efficaciter Ioannes de Anania in c.* Fraternitatis *de Hæreticis, Videſis item de ſcelere affingendi Sanctis miracula, Petrum Damiani, initio vitæ S. Dominici Loricati.*

RESPONSIO.

DIcam in hac parte Tibi, nec incongruenter, quod Auguſtinus Iuliano viro Pelagiano. [Ne ſuperfluis (quibus ſcates) immoremur, omitto tumultus maledictorum & conuiciorum Tuorum, quæ ab initio putidæ Lucubrationis Tuæ ſpargere non deſiſtis; ne grauibus viris neuter noſtrum diſputator grauis, ſed leuis vterque litigator appareat. Eò ſi quidem dementiæ deuolutus es, vt Tibi portentum incredibile videatur & fictum, quod nec plebeiam admirationem demeretur.] Quid enim mirum, quod Eccleſię Catholicæ Doctor D. Thomas Pontificũ cõſonante oraculo, diſcipulum habeat Minoritam, quodque D. Franciſcus inter Diuos agens, vbi nullus alius partium zelus viget, quàm charitatis & veritatis, Alumno ſuo ſuadeat conſulendum D. Thomam, confirmetque calculo ſuo B. Deipara; cuius, & Filius Dei ter è cruce pendens doctrinam Thomæ approbauit? *Benè ſcripſiſti de me Thoma*.

Tenella certè nimis Vvadinghi conſcientia offenditur, quod vni ex Sodalibus ſuis præſcribatur emendicandum lumen à D. Thomâ, quaſi iniuria ſit Ordinis Seraphici, externi diſciplina Magiſtri; cum ipſe tentet (neſcio quo iure aut veritate) D. Thomæ olim Scholas terenti præficere Alexandrum de Ales, Cyriaco Minoritam. Omnibus ſe Doctor gentium debitorem non abnuit. Sicut itaque remiſit Chriſtus Paulum Ananiæ, lege Gratiæ imbuendum; ſic D. Franciſcus, ſic Deipara Franciſcanum obtulit inſtruendum Doctori Angelico, quem totius orbis celebriores viri, Academiæ primariæ, Ordines celeberrimi ac doctiſſimi, & nominatim à duobus annis, ſanctiſſimus ac ſapientiſſimus Ordo Patrum Minimorum in Comitiis generalibus Barcinone in Hiſpania celebratis, Doctorem vnicum & ſingularem ſe habere gloriantur. Non eget falſis miraculis doctrina tanti Præceptoris, vt ſublimitate ſingulari cæteris præcellat, quæ tot continet Miracula, quot Articulos iuxta Pontificis oraculum. Quibus autem merces Tuas vendis, profligatiſſime Nebulo, cum concinnatas dicis à Cyriacis has reuelationes? Audi, & Lector attendat primæuum huius veritatis fontem. Baſilius Pontius Legio-

nenſis Auguſtinianus & Cathedraticus Salmanticenſis in
c. 2. §. 13. Opuſculo Apologetico Salmanticenſis Academiæ, narrat eam ex Ioanne de Ieſu Maria Carmelitâ excalceato in lib. de Arte vitæ ſpiritualis qui illum Minoritam commiſſum D. Thomæ inſtruendum vocat F. Lauterium, additque ipſummet ſæpiùs hoc palàm narraſſe. Putaſne Auguſtinianum & Carmelitam concinnaſſe fabuloſas Reuelationes pro Ordine Prædicatorio contra Seraphicum? Si hæc cogitas, ſanandus es helleboro, non ratione.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Arguit Cyriacos velut accelerantes falſis miraculis Apotheoſim Pij Pontificis.

§. 104. *VRgebatur canoniſatio Pii V. ex Ordine Prædicatorum aſſumpti, & negotium bellè procedebat, pro inſigni illius Pontificis ſanctitate, & multis operibus ſupra naturam, quibus Deus mirificauit S. illum ſuum. Neſcio tamen quis Cyriacus, cenſuit ſplendori illorum operum aliquid deeſſe. Itaque ſuppleuit pro coſta carnem: ſed Auditores Romanæ Rotæ, qui in negotio Canoniſationum omnia penitiſſimè ad intimas vſque fibras diſcutiunt, aduerterunt ſutelam, vnde iniecta eſt negotio remora; ita vt cum perbreui conficiendum putaretur, dilatio ſit interpoſita: vt diſcant Commentores in huiuſcemodi rebus nec figmento, nec fermento, locum vllum eſſe debere. De veritate huius querelæ, locuples teſtis eſſe poteſt F. Baptiſta Marinus: nam aderat. An etiam intereras?*

RESPONSIO.

BEllè procedet negotium pro inſigni Barditatis Tuæ oſcitatione, ſi Te, etiam cum vigilas, *Dormitantium* liceat ore Hieronymi indigitare. Vigilantis enim figlina illuſio ſeu fabularis cogitatio Tua ſomnium eſt, in aliquo conſonum ſopori Protoparentis, cuius coſtam cum Dominus imperceptibili transfuſione ædificaſſet in Mulierem, *repleuit carnem pro eâ*, ſeu ſuppleuit pro coſtâ carnem. Nam ſimile Tibi viſus

eſt præſtitiſſe in negotio Canoniſationis præfatæ Pij V. Pontificis (Tacuiſti *ſummi*, ne inſigni illâ gloriâ cuius plures Candidati quam poſſeſſores, Ordo Prædicatorum Te referente, effulgeret) Cyriacus pro coſtâ carnem ſupplens, ſeu tali locutione adagicè ſumptâ, vagam tantum innuas falſi miraculi ſuppoſitionem, nullo ad corpus Pontificis ſuppoſito reſpectu; quæ Interpretatio puerilis eſt, & nugatoria, cum nullum obtendas miraculum, viam præſtruens Impoſturæ: ſiue iuxta ſonum literæ, de reali Carnis pro coſtâ, fortè corruptâ, intruſione velis inſtaurare querelã; quæ bardior adhuc foret Terminorum intelligentia. Elige. Intelligis vt puto, de ſuppoſitione miraculi à Cyriaco factâ. At quis ille Cyriacus? Edicito nobis nomen. Reſpondes Te non poſſe; dormiebas enim dum hæc ſcriberes, ſignatuſque eſt calamo titubante, *neſcio quis Cyriacus*. Tu neſcis, quis ergò ſciet, cum ſalus huius rei inſtaures querelam? Reum Impietatis ac Impoſturæ denuntias coram Romanæ Rotæ Auditoribus ſapientiſſimis & in negotio Canonizationum oculatiſſimis Iudicibus qui ad intimas vſque fibras diſcutiunt: abſoluis autem cùm denuncias, qui profitendo Tuam ignorationem & temerarium auſum dicis, *neſcio quis*. Aduertunt omnes puerilem ac ridiculam dictorum Tuorum ſutelam. Scis & neſcis; accuſas & excuſas. Scis, quia ſic ſcribis, *Cyriacus cenſuit*: Neſcis, quia ſcribis Te neſcire, *Neſcio quis*. Accuſas, dum querelam in eum inſtituis, quò ex vnius membri propudio, totus Ordo Prædicatorum traducatur: Excuſas autem, dum cogente conſcientiâ & vrgente Numine, fateris Te neſcire Reum, ais enim, *Neſcio quis*.

Barditas.

Contradictio

At ſi Cyriacus, *neſcio quis*, huius Implanationis opifex indicitur, ſub quo ſtatu venit concipiendus? Explico mentem meam, qui Tuam non poſſum penetrare, nec Tu ipſemet agnoſcis; iniecta eſt enim remora turbidæ mentis Tuæ cogitationibus tali commento inſulsè fabricato. Aut enim proluſione illâ, *neſcio quis Cyriacus*, intelligitur Cyriacus communis & vniuerſalis logicâ meditatione effictus, & vt vocant, Cyriaci Ordinis Idea Platonica, ſeu Cyriacus Idealis: aut notatur quidam Cyriacus ſingularis, qui termino indiuiduante, Petrus, Paulus, deſignetur. Si vagus ille & idealis præfato crimine operatur, Logica-

lis eſt actio non iuridica ; chimerica , non Iudicialis: adeunda eſt Academia non Tribunal ; & contra illum accerſendæ in Teſtimonium, Genereitas, Specieitas, primæ & ſecundæ Intentiones, & ſimilia Logicali methodo elaborata figmenta , cum de figmento agatur. Si autem ad ſingularem quemdam Cyriacum iniecta criminatio deuoluitur ; ex nomine , voce , facie , aliquouè charactere particulari denotetur reus. Non enim ignorari poteſt , cùm in mediâ Vrbe almâ & in ſacro Romanæ Rotæ Conſiſtorio iuxta Te , fraus Cyriaca patuerit. Nec etiam ſileri debet Sacrilegus nefandæ Impoſturæ artifex. Iudica ergò illum ex nomine: Reſpondes , *Neſcio quis*. Benè eſt , ſignaſti reum: Capiatur ergò *neſcio quis* : Suſpendatur *neſcio quis*: Vltricibus flammis abſumatur *neſcio quis*. Verùm qui Falſarij pænas toties incurriſti , conuincendo de tanto crimine , præfato *neſcio quis* , quos teſtes Iudicibus offers? Nullum adducis , nullum citas ; fortè quia non poterant inueniri in illa ſolitudine , ſeu in medio Romanæ Vrbis? Aliunde vt præſumo , teſtes omnes eâdem quâ Reus nomenclatione inſigniuntur , & quilibet dicitur , *neſcio quis*.

Calumnia. Fallor vnum huius negotij teſtem proprio nomine obſignaſti , R. P. Baptiſtam Marinum. At ille , dum hæc ſcribis , totius exercet Ordinis Generalem Præfecturam. Vis ergò contra iura , Patrem aduerſus Filios in Iudiciali foro teſtem adhiberi ? Abiiſti certè vt video , ex ſomno in delirium. Verùm ſi R. Pater Marinus dicat , prout dicet veritate adactus , Te Falſarium & Impoſtorem ; iuxtanè verbum Tuum , Teſtis locuples habendus eſt ? Recogita incaute quid ſcripſeris. Cæterùm vt in teſtem poſſit adduci , prius euincendum eſt , an fuerit præſens tenebricoſo illi negotio ; & num etiam complex implanationis ? Reſpondes , poſſe eſſe teſtem quia aderat , ſed neſcis an intererat. Mirabile acumen ! *Scio quia aderat* ; *neſcio an intererat*. Somnias adhuc Petre , euigila. Duplicem exhibet ſenſum hæc Propoſitio bimembris ; *Scio quod aderat* ; *neſcio an intererat* Primus eſt ; Scio quod erat præſens illi negotio : ſed neſcio an erat præſens illi negotio : quæ contradictio & implicantia , vltimum redolet euolutæ mentis lapſum. Aliter poteſt explicari. Scio quod erat præſens illi negotio , ſed neſcio an intererat veluti concauſa & complex negotij. Vtrumque accipio. Si enim complex , non erit

teſtis; qui ſecundùm omnia iura, diuina & humana, liber eſſe debet ac purus ab omni partium ſtudio; nec accuſationem inſtitueret, eodem ipſemet inuoluendus reatu; *nemo enim mentitur* nec teſtatur *in caput ſuum*. Si autem præſens tantum; hacque lege audiendus vt teſtis, causâ procul dubio cecidiſti, totamque Fabellæ à Te fabricatæ Scenam aperiet, vt & iam aperuit auditâ Valcluſini ſenis Impoſturâ qui nec Reum, nec Teſtem, imò nec confictum Miraculum ſignat vllum: ſicque iuridicâ teſtificatione, comprobata manet Cyriacorum innocentia; qui non aliâ, quam meritorum ac mirandorum, quæ Pius V. Summus Pontifex ex Ordine Prædicatorum aſſumptus patrauit, viâ ad eiuſdem inter Cœlites inaugurationem publicam ſe peruenturos ſperant. *Tertull.*

Vt autem Sole clariùs conuincaris Impoſturæ, ſi pro inſigni Barditate Tuâ, & impudoratâ Cauillatione, ſub cortice verborum æquiuoco, factæ circa Corpus Pontificis obtruſionis ſuſpicionem voluiſti Lectoribus iniicere; referam breui ex Spondano, quid de iſta Carnis pro Coſta, intruſione à Cyriacis operatâ, ſit ſentiendum; cum in teſtem cites R. P. Baptiſtam Marinum, qui nondum erat in rerum naturâ, quando Corpus Pij V. incluſum in Tumulo plumbeo ſepultum fuerat à Sixto V. apud S. Mariam Maiorem. [Sepultus fuit in Sacello S. Andreæ paruulo tumulo lateritio ad tempus extructo; inde poſteà deferendus vt ſtatuerat, ad Monaſterium Fratrum ſuorum Dominicanorum Boſci patriæ ſuæ. Quod cum totis 15. annis curatum non fuiſſet, Sixtus V. Pontifex Maximus in grati animi memoriam, quod ab eo creatus fuiſſet Cardinalis an. 1588. in ſplendidiſſimum monumentum marmoreum in Baſilicâ S. Mariæ Majoris in Exquilino monte ad Sacellum Dominici Præſepis erectum, ingenti celebritate deferri curauit.] Idem dicit Andræas Victorellus ad Ciacconium in Pio V. & Sixto V. Quomodo ergò furati ſunt Cyriaci Corpus eius, vt Carnem pro Coſtâ intruderent, cum nunquam venerabile Pontificis Summi corpus fuerit in poteſtate eorum; ſed apud S. Mariam Majorem lateritio primùm, deinde marmoreo incluſum Sepulchro quieuerit? *Impoſturà* *An. 1522. n. 5.*

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Multiplicis Impoſturæ reos facit Cyriacos occaſione P. Lemos.

§. 105. *COnfictam à Cyriacis Iunioribus, in Cœnobio S. Mariæ ſupra Mineruam degentibus, magnam copiam Miraculorum Thomæ de Lemos, anima ſimplex Hyacinthi Coquæj Libro ſuo de Viſceribus maternis B. Virginis erga Ordinem Prædicatorum, immiſit. Implanatus enim eſt Coquæus, literis Ludionum illorum ſenili ſimplicitati illudentium, vt retulit, nec ſine deteſtatione, grauiſſimus Antiſtes ex Cyriacis aſſumptus. Librum Coquæj cuſum in Belgio, fartum commentis, legere memini. In eo, Thomas de Lemos, aſſertor Prædeterminationum ineluctabilium, & monſtrorum contra robuſtiſſimam & adactricem Dei gratiam bellantium, Hercules; depingitur iis notis, quæ in doctrina ab eo propoſita confirmationem redundant. Quoties Lemos cauſam ſibi concreditam pro auxiliis adamantinis acturus, adibat Pontificem (& adibat non infrequenter) facies eius veluti Moſis, cornuta & vndique radiis micans obuerſabatur; Id quod Vrbanum VIII. de ſe fuſſum eſſe, habet Coquæus. Addit verò Lemoſium integro ante mortem triennio, cæcitate plena fuiſſe occupatum, niſi quod ad Altare ſacrificatum ritu Chriſtiano accedens, viſum recuperabat; quem rediens ab Altari, amittebat denuò; ſicque factum eſt Triennio integro, renouatâ quotidiè miraculosâ oculatione & cæcatione, donec anno 1628. conceſſit fatis Lemos; eſt elatus in ædem B. Mariæ ſupra Mineruam, cum immensâ populi Romani multitudine, quæ cum ſeſe ad contingendum corollis precatoriis, & æneis icunculis corpus in Feretro iacens, manuſque demortui piè fixo oſculo contingendas comprimeret; accedente cum cæteris, Lemoſij quondam Auditore Nicolao Monſtro; acceſſu autem ad oſculandum manum prohibito, non quia ſtatura puſillus erat; ſed quia præpinguis cum eſſet ac perobaſus, conferta multitudinis ad pium officum conſtipata, ſeptum perrumpere non poterat; Lemoſius charo alumno è feretro Brachium procul exporrexit, & manum ei oſculandam miraculo præbuit. Omnia iſta & alia ad Fabu-*

& ornatum à Samnionibus ipſi imponentibus conficta, bonus Coquetius tanquam verè geſta vulgauit; Vrbanus VIII. mendacitatis notauit, quod diceretur vidiſſe radiantem Lemoſij faciem, in confirmationem doctrinæ de Auxiliis ineluctabilibus in ſenſu compoſito, ab ipſo Lemoſio propugnata. Tota narratio, Romanis omnibus conficta & digna plagis eſt habita.

RESPONSIO.

IN iuuenili ætate Ludionem agere, (quod Tu Cyriacis Mineruitis ſolitâ nugacitate affingis,) condonandum aliquatenùs puerafcenti ætati; in ſenili, probroſum, in decrepitâ, monſtroſum, imò monſtrum. Sic tamen ludit & illudit octogenarius Petrus à Valle-clausâ, iam cinis & muſcus: Coquæj, & Coquetij ludicra alluſione ventilans nomen, vt ſenem ſenior carpat atrociùs. Ex triplici autem capite ſugillat Scriptorem Belgam. 1. Quòd de Rebus Romæ peractis falſo rumore deceptus, vnum ſcripſerit, cuius communiter apud Sæculares & Religioſos volitans fama increbuerat, putà, viſos ſæpè erumpere è capite Thomæ de Lemos Cyriaci micantes lucis radios. Quæſtio facti agebatur, quod per ora communiter volitabat, retulit ille, nec ſe tamen in eo infallibilem præſtitit, vbi fallibilem quemcumque Authorem oſtendit & probat Bellarminus. Vnde nec in hac parte cenſorio ſtylo perſtringendus Scriptor Belga, nec Cyriaci Mineruitæ: Sed deceptrix fama publica, ſi tamen deceptrix & falſa, de quo nihil ad nos. Puto autem quod nec Tu infallibilitate donatum Te credidiſti, dum ſuppoſititiâ quâdam Epiſtolâ Varſauienſi delusus, vt alios deluderes, ſtropham Smolenchinam prælo commiſiſti. Verùm dic nobis, poſito ad breue tempus innato & illato furentis animi liuore : quæ Te in Lemoſium ira accendit? Quid ille Tibi aut Valli Tuæ nocumenti intulit, vt ſic excandeſceres, faciem eius, oculos, manuſque, vno calami tractu diſcerpens? Cauſam improuidè detexiſti. Impactum corpori Tuo ab ipſo vulnus, ſequens querela demonſtrat: refluitque in Authorem plagæ, exaſperatus ſanguis.

Hoc vt innueres, meritò Thomam de Lemos vocaſti *Herculem* tanquam inuictum monſtrorum domitorem, qui ex cumulatiori Titulo pluſquam Hercules & Hercule

maior dicendus eſt, poſt tres in palæſtra publica eneruatos aduerſæ partis Heroas, cum iuxta vulgare Proloquium, *Nec Hercules contra duos*. Radiantem itaque ac cornutam (vt loqueris) faciem non inuidet Moyſi, qui nuſquam cornutis debuit nec voluit annecti, ineluctabilis Prædeterminationum propugnator. Plus enim decorant radij mentis, quam carnis, & immenſus ille luminum ac ſcientiarum fulgor, quo Clementem VIII. & Vrbanum pariter VIII. ac Purpuratos Patres in admirationem doctrinæ Thomiſticæ, viuo ac tonante verbo abripuit, perpetuum concreditæ ſibi cauſæ erecturus trophæum. At inter tot mentis ſplendiſſimos fulgores, & exundantes animi micatus, triennio ante mortem corporeâ orbari luce, donum fuit, non pœna, quò à terrenis plenè auulſa mens, vni Deo tota intenderet. Sicut & illud, quod ex rumore per almam Vrbem ſparſo ſcripſit idem Author, reſtitutum eidem in illa cæcitate triennali viſum, dum ad Altare accederet immolaturus Agnum qui eſt lucerna & lux Beatorum. Nunquid enim hanc gratiam conferre potuit Chriſtus inuicto Pugili, pro Gratia Chriſti depugnanti? Contuliſſe autem de facto, ex fama ſat publica habuerant Belgæ, qui Roma in Belgium redeuntes, anſam dedere ſcripto mandandi miraculum: quamquam ego putem nuſquam perfectè cæcum, at valdè caligantem: ſed confluentibus ex ſingulari animæ attentione, dum celebraturus erat, ad oculos ſpiritibus, nouo ſplendore inclareſcere ſolebat viſus, quod miraculi opinionem populis ingeſſit.

Nec nouum in Ordine Cyriaco miraculum, ſi famæ veritas conſonat, extenſio manus demortuæ Lemoſij ad os Richardi, olim diſcipuli: nam in Bullâ Canonizationis S. Catharinæ Senenſis narratur quod dum ad pedes D. Agnetis de Monte Politiano ac Cyriacæ, prona ac venerabunda ſe inflecteret Catharina Senenſis, pariter virgo ac Cyriaca, extendit mortua pedem & Virgini virgo deoſculandum, miraculo tibiam explicante, porrexit. Num autem abbreuiata manus Domini, aut exhauſta bonitas Saluatoris in gloriam ſerui ſui, quem velis nolis, in opinione Sanctitatis defunctum faſſus es, dum refers immenſam populi Romani multitudinem (quæ ſeſe ad contingendum corollis, precariis & æneis icunculis corpus in feretro jacens aptauerat) circumfuſam ac ſic agglomeratam, vt

Lemoſij quondam auditor Nicolaus Richardius ad oſculum manus non poſſet accedere, nec perrumpere confertæ multitudinis ad pium officium conſtitutæ ſeptum. Accurrens vndequaque hæc fidelium corona, multo pretioſior ſtellato diademate, aut facie coruſcante. Sicut itaque Agnes emortua pedem ad os Catharinæ miraculo tulit, ita etiam Lemos poſt mortem Richardio manum obtulit deoſculandam, Domino ita concedente, iuxta rumorem publicum, quem ſecutus Scriptor Belgicus, publicæ luci, prælo exarante dedit. *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius*, & honorantur à Domino mortui, qui dum viuerent, Dei honorem & laudem Gratiæ eius propugnarunt. Væ Tibi itaque, qui ſcurriliter ſubſannas religioſam ſimplicitatem Coquetij, fideliter referentis quæ fide humanâ exceperat; dum Tu in concinnandis fabellis & comminiſcendis calumniis omnem violas pudorem, fidem ac religionem: Vnde tota pudendi Tui libelli narratio Romanis omnibus velut conficta & digna plagis habita, proſtat in columnâ infami cum Flagrionibus ac Furciferis; & in Galliâ feralibus bis addicta flammis, faciem Tuam tetris & lugubribus radiis horrendam, ſub manu carnificum expreſſit.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Eymericum falſo accuſat fabricatæ Bullæ contra Lullum.

Suppoſitiones fictitias, falſationes & adulterationes alienarum Scriptionum Cyriacis fuiſſe non infrequentes, multi notarunt. §. 106. *F. Nicolaum Eymericum 2.p. Directorij q. 26. confinxiſſe Diploma ſub nomine Gregorij XI. contra Raymundum Lullum ſuadent quæ proferunt Vaſques, 1.p. diſp 133.c. 4. Dermitius Thadæj in Bzouio expoſtulato ad annum 1315. Idem Eymericus conuincitur finxiſſe Bullam Clementis V. circa Sanguinis Chriſti controuerſiam, definitam (ſcilicet) in fauorem Ordinis Prædicatorum contra Minoritas. At hanc eſſe apertam Eymerici impoſturam, inde liquet, quod Pius II. in Diplomate Anconæ dato, biduo ante mortem, teſtatur neminem*

ſuorum Prædeceſſorum quicquam in eâ cauſa definiuiſſe. Diploma Pij eſt penes Lucam Vuadinglnm.

RESPONSIO.

QVid agis, homunciole? Quæſo metire vires corporis, ſenectute euanidi; & animi, infantiâ fatiſcentis; nolique ad altiora Te, vano & ridiculo conatu tremulam manum extendere. Ventilatæ ſunt & decuſſæ à Bzouio & à defenſore eius Iuſtiniano ad calcem eiuſdem Tomi, Apologiæ pro Lulli ſcriptis, damnatis à Nicolao Eymerico Cyriaco & Inquiſitore Generali totius Regni Arragoniæ, iuſſu Gregorij XI. & eiuſdem Bullâ confirmatum eſt Quæſitoris Decretum. Inſurgunt in hanc Bullam Lulli defenſores, inter quos ex recentioribus, Dermitius Thadæus, & Lucas Vvadinghus, eiuſdem (vt iidem volunt) cum Lullo Iuſtituti, Franciſcani Scriptores. Hos tamen, qui aperto marte & ſtridenti calamo Eymericum impetunt, in hâc causâ actores & partes, in teſtimonium aduocas contra Eymericum? Vbi mens? Vbi pudor? Certè deſeruit Te penitùs ſenſus ipſe communis. Vaſques enim quem velut Teſtem inducis, mentem ſuam non explicat; partium rationes calamo ſegrege exponit, nec ad alterutram partem inclinat.

Tom. 14. an. 1372.

Impudentia.

Quid autem obtrudunt Lulliſtæ vt Pontificium illud Diploma confictum euincant? Dicunt non reperiri inter Extrauagantes eiuſdem Pontificis. Reſpondent Bzouius & eius Apologiſta Iuſtinianus; non mirum quod præfata Bulla non reperiatur in Regiſtro Gregorij XI. cum perierint integra duo volumina quibus continebantur Literæ Apoſtolicæ eius anni, putà Sexti Pontificatus eiuſdem, ſpectantes ad ſtatum communem Reipublicæ Chriſtianæ. Aitque, poſt relatos Lulli errores eiuſdem condemnationem per Diploma illud Gregorij XI. ab Eymerico allatum, Odoricus Raynauldus tom. 16. Annalium: [Sed hæc Lulliſtæ conficta ab Eymerico, vel ſubreptitium eſſe Diploma contendunt: at virum grauem egregiè de Religione Catholicâ meritum, nullius vtilitatis illecebra pellectum id facinus perfrictâ fronte auſum, vix credi poteſt, cum facillimè coargui mendacij potuiſſet.] An autem caſu aut malitiâ perierint illa duo volumina Gregoriana,

An. 1372. n. 35.

riana, complectentia Expeditiones communes & præcipuas anni ſexti, poſtqnam Sedes Apoſtolica, Auenione vbi degebat Gregorius, Romam tranſlata eſt, ignoratur. Conſentiunt tamen aduerſarij, illa periiſſe; & Franciſcus Diagus l. 1. Prouinciæ Arragoniæ ex p. 102. Archiuorum Regiorum ciuitatis Barchinonenſis, refert Epiſtolas Regis ad Pontificem, & Pontificis ad Regem de hâc materiâ: vbi expreſſa, inquit, fit mentio præfati reſcripti, ſeu Bullæ contra Lullum.

Illius autem Diplomatis eodem anno 6. emiſſi, certiſſima ſunt indicia, quod idem Gregorius alia duo Diplomata dedit an. 2. & 4. ſui Pontificatus, quæ de verbo ad verbum refert ibi Bzouius, quibus claret Libros Raymundi Lulli fuiſſe erroneos, quos ad ſe mitti voluerit Pontifex & diligentiſſimè examinari. Perlecti ſunt à viginti Magiſtris in ſacrâ Theologiâ; cùmque erroribus oppleti deprehenderentur, quid reſtabat aliud quam cenſura? Illam tulit Gregorius anno 6. teſte Eymerico. Poſt hæc accidit (non obſtante ſententiâ Bernardi Epiſcopi, inauditis Cyriacis, poſt obitum Eymerici contrarium proferentis decretum) vt ſub Paulo IV. in Indicem librorum prohibitorum coniicerentur vniuerſa Lulli opera, & pro notatis haberentur, quod adhuc obſeruat Italia. Vnde Tibi ergò efflons iſta petulcitas, vt falſationis ſacrilegæ inſimules Eymericum? Debueras certè imitari modeſtiam Spondani, qui licet amiciſſimi ſui Vvadinghi partes vbique foueat; hîc mediam elegit, inter contendentes Prædicatores & Minoritas, ſedem. [Quod ad ſcripta eius (Lulli) ſpectat, & vtrum reuerà facta fuerint vnquam authoritate Gregorij Papæ XI. ſicut aduerſarij Lulli contendunt; an verò ſuppoſita ab aduerſariis, vt eiuſdem defenſores multis actis publicis, aliiſque rationibus & argumentis nituntur: cum re ſæpius poſteà retractatâ, etiam ſub Gregorio XIII. & Sixto V. multa ſemper vtriuſque allata fuerint, quæ rem dubiam fecerint, & adhuc lis ſit ſub Iudice: nec nos eam definire videri velimus, ſatius fuerit Lectorem ad eos remittere qui recentiùs hæc tractarunt.] Lis eſt ſub Iudice; Spondanus nō audet definire, Gregorius XIII. & Sixtus V. licet ex Minoritis aſſumptus, Eymericum nec ſugillant, nec dicta eius damnant aut facta, & Tu, Fratercule, homo nihili, litem dirimis, ſupremâ poteſtate definis, falſidicum

An. 1372. n. 12.

Impudentia.

& falſificum pronuntias Eymericum? Vbi mens cum hæc ſcriberes? Abſcinde petulantem manum, aut fatere aptiorem remo quam calamo.

Nec fœliciori greſſu ad ſecundum querelæ caput demigras, quâ conuictum clamitas eumdem Eymericum finxiſſe Bullam Clementis V. quod apertè Te euicturum gloriaris ex Diplomate Pij II. Tibi ignoto, ſed cuius fides ſit penes Vvadinghum Minoritam, in hâc causâ partem & teſtem; concludiſque, ſed ſcapulis arcuantibus, naſoque in riſum acuminato (iniecto per parentheſim, *ſcilicet*) definitam controuerſiam circa Sanguinem Chriſti, in fauorem Ordinis Prædicatorum, contra Minoritas; (ſcilicet) quaſi Prædicatores causâ ceciderint, conuictuſque maneat Impoſturæ ac confictæ Bullæ Eymericus Cyriacus. Verùm antequam præfati Diplomatis veritas aut ſuppoſitio diſcutiatur ſeuero examine, Tu qui in re Chronologicâ peririſſimus es & temporum auſterus ſupputator; (ſcilicet:) extrica quæ ſubiicio. Spondanus & omnes cum illo, tam Chronologi quam Scriptores Theologi conueniunt illud Diploma editum, ſiue verè ſiue fictè, an. 1352. Quomodo ergò potuit Eymericus fingere hanc Bullam emanaſſe, vt dicis, à Clemente V. qui tamen obierat an. 1314. hoc eſt 48. annis ante editum præfatum Diploma? Fortè dices contigiſſe Clementi V. quod 2. Paralip. 21. refertur de Heliâ, cuius literæ delatæ ſunt ad Regem Ioram pluribus annis poſt raptum Prophetæ & tranſlationem in Paradiſum terreſtrem vel aliò. Sic ad Inquiſitorem Aragonicum delatum eſt Diploma editum à Clemente V. 48. annis poſt obitum eiuſdem Pontificis. Nec dum ſatis; Dei enim Fabulini ſacerdotes, qualem Te ſuſpicimus, fingendi arte peritiſſimi. Caue enim ne fœdiſſimo huic Anachroniſmo & turpiſſimæ hallucinationi, quâ Clementem V. induxiſti pro Clemente VI. à quo emanauit Tale diploma, nouam ſuperſtruxeris; forte enim Te decepit Inquiſitorum colludens nomenclatio & pro Nicolao Roſſelino, ſubſtituiſti Nicolaum Eymericum pariter Inquiſitorem ac Cyriacum; ſed illo iuniorem. Omnes enim, Spondanus, Cipulus, Suares, Vaſques & alij aſſerunt directam Bullam eius-modi à Clemente VI. ad Nicolaum Roſſelinum Inquiſitorem, poſteà Cardinalem; non ad Nicolaum Emericum, qui officium illud exercuit

Stoliditas.

Anachroniſmus.

tantùm ſub Gregorio XI. Sed hæc Typi facilè condonanda exerratio viro in re Hiſtoricâ ſummè rudi & imperitiſſimo. Hôc itaque prælibato animi Tui mirifico ſpecimine, rem ipſam æquo libramine diſpungamus.

Tenemus Te Nebulo, nec integrâ pelle, licet ſerpas vt coluber tortuoſus, euades. Tua ac Nicolaj, ſiue Roſſelini, ſiue Eymerici fides, Iudicum calculo eſt comprobanda; quos nec ſtudium partium abripiat, nec tenellæ Tuæ imaginationi ſuſpectos reddat priuatus affectus. Vnde excluſis hinc Prædicatoribus, illinc Scriptoribus Minoritis, quorũ ęqualiter intereſt, (audiemus tamen eos quos Iudices admiſerint) ſupremum litis dirimendæ iudicium Suari ac Vaſqueſio relaxemus, ratumque habeatur quod de præſenti quæſtione præfati Societatis Theologi protulerint. Quid autem Vaſques? Tertia parte Titulum hunc capiti 4. præfixit. *Sanguinem Chriſti vnitum fuiſſe hypoſtaticè Verbo, non ſolum dum viueret, ſed etiam in triduo, a Sede Apoſtolicâ definitum eſt.* Probat primùm ex verbis Clementis VI. in Extrauagante, *Vnigenitus*, de pœnitentiis & remiſſionibus: Confirmat ex aliâ eiuſdem Pontificis Conſtitutione, de quâ ſic ait. [Prædictum ſenſum mihi maximè probabilem efficit definitio altera eiuſdem Clementis VI. miſſa ad Inquiſitorem F. Nicolaum Roſſelli Ordinis Prædicatorum, in Regno Catalauniæ & eſt in 2. p. Directorij Inquiſitorum, q. 10. n. 1. quâ deinde hæc ſententia maximè confirmatur: cum enim quidam Theologus Barcinone in publicâ Concione ad populum dixiſſet, Sanguinem Chriſti effuſum in Paſſione fuiſſe à diuinitate ſeparatum, cum tamen corpus & anima vnita manſiſſent Verbo; prædictus Inquiſitor eam doctrinam, vt hæreticam condemnauit & de mandato eiuſdem Clementis VI. per literas Apoſtolicas libellum contra Theologum illum formauit, quem vidiſſe teſtatur Syluester Tractatu illo 5. q. 31. Eiuſdem damnationis meminit Ioannes Dominicus in ſuis Quæſtionibus Euangelicis, in die Paſchatis, atque de mandato eiuſdem Pontificis, idem Inquiſitor fecit, vt prædicta Propoſitio retractaretur in Eccleſiâ Cathedrali Barcinonenſi: Neque obſtat quod Dominicus de Dominicis, qui paulo poſt tempore vixit, in lib. de Sanguine Chriſti c. 3. in fine ad vltimum argumentum dicat, Decretum hoc Clementis VI. authenticum non eſſe, neque

Diſt, 36. q. 5. a. 2.

ex probatis teſtimoniis conſtare, habemus enim teſtimonium Syluestri & Directorij Inquiſitorum, quod maioris momenti in hac re eſſe debet. Sunt prӕterea aliqui qui dicunt Pium II. ſub excommunicationis pœnâ prӕcepiſſe, ne quis alteram partem damnaret aut notaret, donec ipſe authoritate Apoſtolicâ Controuerſiam definiret, ex quo colligere contendunt, nullam prӕceſſiſſe damnationem prӕdictӕ Propoſitionis factam à Clemente VI. Hoc tamen falſum eſſe teſtatur Syluester q. illâ 31. Vbi etiam affirmat, ſine dubio anteà damnatam fuiſſe illam Propoſitionem per Clementem VI. atque prӕdictam condemnationem & retractationem factam Barcinone per Inquiſitorem prӕdictum, approbatam fuiſſe ab eodem Pio II.]
3. p. t. 1. d. 1527. ſ. a. 4. ſect. 6. Huc vſque Vaſques, cui aſſentitur Suares additque non eſſe tutam nunc in Fide ſententiam Barcinone reuocatam.

Spondanus qui ad an. 1372. factum Inquiſitoris Roſſellini & Decretum Clementis leuiter attigerat, remiſit Lectorem ad an. 1462. vbi reſtauratâ eâdem Quӕſtione apud Brixiam à Iacobo Marchiano Ordinis Minorum qui idem prӕdicauerat, quod Barcinone fuerat expunctum, Inquiſitor Fidei Dominicanus illicò Iacobo prӕcepit reuocare quӕ dixerat, [& interim (verba ſunt Spondani) contrarium per vnum ex ſuis prӕdicari fecit Creſcente contentione res ad Apoſtolicam Sedem remiſſa eſt. Pius doctiſſimos vtriuſque Ordinis ad ſe euocat, & coram ſe ac totâ Curiâ Romanâ res per multos dies acri, ſed religioſo certamine agitata, dum media hyeme rigerent omnia gelu, in ſudorem reſoluebantur Antagoniſtarum corpora, tantus erat vincendi ardor] Denique poſt triduum) inquit idem Spondanus (cum partes quӕcumque voluiſſent, in medium produxiſſent, diſſoluto Auditorio, Pium cum Cardinalibus pleriſque diebus rem tractaſſe: maiorem partem ſententiam Prӕdicatorum approbaſſe, paucos cum Minoribus ſenſiſſe: Pium quoque in maiori parte fuiſſe; ſed non eſſe viſum eo tempore Decretum fieri declarationis, ne multitudo Minorum, cuius erat contra Turcos prӕdicatio neceſſaria, offenderetur; ac proptereà in aliud tempus deciſionem referri placuiſſe. Quam tamen nunquam placuit plenè decidere: ſed biennio poſt, Anconӕ dum eſſet nauigaturus in Turcos, Calendis Auguſti an 1464. die ante obitum decimâ quintâ, Conſtitutionem edidit, quâ

ad pacem inter illos Ordines & in vniuersâ Eccleſiâ ſuper hâc Quæſtione conſeruandam ſtatuit, nulli Fratrum prædictorum aut aliorum quorumcumque Ordinum, deinceps licere de ſupradicta dubietate diſputare, prædicare vel publicè aut priuatè verbum facere, ſeu aliis ſuadere, quod hæreticum vel peccatum eſſet tenere vel credere ſacratiſſimum Chriſti Sanguinem triduo illo ab ipsâ Diuinitate quomodolibet fuiſſe, vel non fuiſſe, diuiſum vel ſeparatum, donec ſuper dubietate huiuſmodi, quid tenendum eſſet per ipſum & Sedem Apoſtolicam definitum] Sic Spondanus, cui ſubſcribit Odoricus tom. 19. An. ad an. 146.. n. 103.

Ex cuius Spondani verbis duo veniunt colligenda, quantum ad veritatem agitatam; maiorem longè partem Cardinalium & cum illis ipſum Pontificem, amplexos ſententiam Prædicatorum, & quid decernendum foret, fuiſſe inter ipſos clarè agnitum & declaratum; non fuiſſe autem expediens decretum declarationis conceptæ eo tempore promulgare, ne multitudo Minorum, quæ contra Turcos prædicabat, dum ſe causâ ſuâ cecidiſſe attenderet, deſponderet animo, aut non ita fortiter in exercitu Chriſti militaret. Dilata itaque in aliud tempus promulgatio, & incaleſcentibus bellis impedita, dum Pius Pontifex Anconæ nauigaturus in Turcos, ſeque repentino morbo correptum ſentiens, (quem poſt 15. dies mors eſt ſubſecuta;) vt pacem ſeruaret inter hos Ordines, ſilentium impoſuit Bullâ ſuâ, donec ipſe ſanitati reſtitutus aut Succeſſor eius, conceptum mente decretum, ore & ſcripto promeret. Nullatenus autem derogat hoc Diploma iis quæ à Clemente VI. aut aliis Deceſſoribus ſuis de hâc re fuerant conſtituta.

Ex quo patet impudentia Pſeudo-Petri, qui vt Eymericum conuinceret confictæ Bullæ Clementis; impudoratè aſſerit Pium II. in præfato Diplomate Anconæ dato, non biduo vt mentitur, ſed quindecim diebus ante obitum, vt notat Spondanus, teſtatum eſſe neminem ſuorum Prædeceſſorum quicquam in eâ causâ definiuiſſe; cum nec verbulum vllum de hoc in toto illo Diplomate quod habetur in Bullario & eſt 11. & vltima Conſtitutio Pij; ſicque falſatæ Bullæ Pontificiæ reus Pſeudo-Petrus, crimen quod alteri voluit impingere, ipſe admiſit. Quis autem fuerit *Falſatio.*

Eymericus, quem adeo inſolenter traducis, dicet Tibi Sebaſtianus Salellus Societatis Scriptor in primo volumine Prolegom. 4. de origine & progreſſu Tribunalium Fidej, n. 7. vbi poſt aliquos Inquiſitores laudatos, ait. [Imprimis autem ſummis laudibus afficiendus D. F. P. Magiſter Nicolaus Eymericus Ordinis Prædicatorum, qui circa annum Domini 1358. ad officium Generalis Fidej Inquiſitoris in regnis Aragoniæ euectus eſt: ipſumque per 44. annos continuos, pro eximiâ eius doctrinâ Theologiæ ſimul & Iuriſperitiæ, valdè laudabiliter & fortiter contra Fidei hoſtes exercuit. Opus item edidit de hâc materiâ, cui admodum congruè *Directorium Inquiſitorum* nomen indidit; quo, non ſolum vti face valdè accenſâ, ſed etiam vti lucidiſſimo Sole dirigantur Miniſtri atque Officiales S. Officij, &c.] Hunc Tu Impoſtorem & Falſarium vocas, irreligioſe Nebulo?

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Criminatur Combefiſium & Sodales interpolati Athanaſij.

§. 107. *Libellus Athanaſij (fortè Iunioris) de Sanguine qui manauit Berytti, ex Imagine Saluatoris tranſfixâ: adulteratus recens eſt per Cyriacos, appoſito in calce libelli, aſſumento, quod neque eſt in Græcis Codicibus, neque in antiquâ Libelli verſione Latinâ adornata ab Anaſtaſio Bibliothecario. Detexere hanc adulterationem, Baronius in Martyrologium Romanum, ad 9. Nou. & in annalibus ad Annum* 765. *Bellarminus l. de Scriptor*; in Athanaſio *ac Martinus* Breſſerus *l. 6. de Conſcientia c.* 22. ad finem. *Ringitur contra eos Frtaer Combefiſius, in Notis ad Orationem de Imagine in puteum merſâ. Eſto autem demus gratis quod Combefiſius leuibus argumentis contendit; nempe illum libellum eſſe Magni Athanaſij: Nos de hoc non ſumus ſolliciti; ſed tantùm dicimus, limbum libelli habere aſſumentum appoſitum à Cyriacis quorum intererat. Contendimus, inquam, eam fuiſſe infidelem & indignam libelli adulterationem pro domo ſua.*

RESPONSIO.

QVid in Te magis demirer, imbecillitatem an malitiam, neſcio; niſi quod ambæ domeſtico fœdere coeunt, vt proſtitutæ ac perditæ conſcientiæ nobis genuinum ſpecimen prodant. Duo exagitas; Authorem libelli & aſſumentum; ex vtroque in Cyriacos turbidè ſæuis; ſed non æquali conatu. A primo enim, vix intentatam reuocas manum; & Combefiſio aſſerenti Magnum Athanaſium poſſe dici Authorem libelli, importunè non obſiſtis. Eſto, inquis, demus gratis quod Combefiſius leuibus argumentis contendit, nempe illum libellum eſſe Magni Athanaſij: Nos de hoc non ſumus ſolliciti. Miremur animi Tui indomitum robur! Adeò leuibus impetitus argumentis Combefiſij, vt fateris; à partibus Baronij in cuius verba iurauerasinitio, deficis; & ad hoſtilem exercitum nullo perſequente deuolas? Quid igitur facies, cum Te grauior aura percellet, acriorque impetus tentabit fugientem? Procul dubio negabis Tuos & Te ipſum. At edicito nobis, quæ contorturus mox acuebas jacula, in quos vibrante tremulâ manu emittes? Reſpondes, in Cyriacos. Quo reatu tenentur obſtricti? Dicis, Ob aſſumentum in calce Libelli appoſitum, quod neque in Græcis Codicibus, neque in antiqua Libelli verſione Latinâ adornatâ ab Anaſtaſio Bibliothecario, continetur: ſed demus Limbum libelli habere aſſumentum appoſitum ab iis? quorum intererat. At vnde habes infartum à Cyriacis Caue ne tot effutias mendacia, quot verba. Satis apertè Te explicas: poſtquam enim dixiſti, quod Libellus ille adulteratus eſt recenter per Cyriacos, appoſito in calce Libelli aſſumento: ſubiungis ſtatim: *Detexere hanc adulterationem.* Qui? *Baronius* inquis, *in Martyrologium Romanum ad 9. Nouembris.* Imponis: Narrat enim ibi hiſtoriam, de aſſumento autem nec verbum; tantùm abeſt quòd aliquem notet huius aſſumenti Authorem. En primum mendacium. Qui præterea? Idem, inquis, Baronius ad annum 765. Mentiris iterùm, non an. 765. vbi nec verbum de hoc; ſed an 787. à n. 23. ad 28. incluſiuè. Ille quidem dicit addita fuiſſe Libello quædam ex Apocryphis, quæ ſunt reſecanda; à quo autem fuerint intruſa, nec apex.

Leuitas.

Falſatio.

En Tibi verba eius n. 28. *Hactenùs hiſtoria de Imagine crucifixi Beryti, ex Anaſtaſij verſione: at verò quæ plura his inueniuntur in Vulgatâ, decurtes, ut potè addita ab eo qui exſcripſit admiſcens veris profana.* Vbi ergò notantur vel deteguntur à Baronio Cyriaci, huius infartionis architecti? En ſecundum mendacium. Ille enim, ſicut & alij, quos citas, adulteratum quidem dicunt, à quo autem, non dicunt. Verùm ſi Baronius Aſſumenti Authorem non expreſſit, fortè Abbreuiator eius Spondanus explicabit. At quid ille? Recitat eamdem Hiſtoriam in an. 765. [Quæ quidem, inquit, ab Athanaſio huius temporis Epiſcopo diligenter conſcripta, integrè recitata habetur in Actis Nycænæ Synodi poſterioris, Actione 4. Quam Tu tamen ex eiuſdem Synodi perantiqua Anaſtaſij verſione ſuſcipies, quod in Vulgata Suriana admixta quædam habeantur Apocrypha. [Hæc Spondanus, qui procul dubio non putauit Surium eſſe Cyriacum. An verò Cyriaci inſcio aut nolente Surio hæc adulterina eius ſcriptis immiſere? Quis Tibi hoc reuelauit? Addamus & tertium Tuum mendacium. Dixiſti hanc adulterationem eſſe recentem, & recens factam à Cyriacis: At eſt antiquior Surio, qui eam inſeruit ſuis operibus; Surius autem qui accepit habitum Carthuſianorum Coloniæ Agrippinæ an. 1545. vt habetur in vita, eius operibus præfixa, ſcripſit vitas Sanctorum circa an. 1560. à quo tempoae exffluxerunt centum anni. Falsò ergò dixiſti eſſe recentem commiſſuram illam centenariam, niſi fœtus ille adulterinus, iuxta Iſayam Tibi dicatur *Puer centum annorum*; quo nomine non mirum ſi qui iam es octogenarius, pueriliter inſanias. Quæ enim infantilior nugatio, quàm ſcribere ſequentia? Cyriacorum intererat Limbum Libelli habere illud aſſumentum, quod habetur apud Surium; & in eo conſiſtit, prout ex Apocriphis narratur; vas magnum fuiſſe oppletum ſanguine defluente ex Imagine Chriſti percuſſa; & ab Archiepiſcopo Berytenſi miſſas per vniuerſum orbem phialas plenas eodem ſanguine Quid autem hoc ad Cyriacos magis quam ad cæteros fideles? Niſi fortè velis latebroſo hoc ac cuniculoſo loquendi genere, ſingularem Cyriacis gloriam, diuina myſteria ac miracula, religioſiùs cæteris promouendi, pœnitenti affectu & reparatione Chriſtiana, ob

Mendacium 3.

impacta illis à Te maledicta, arrogare; aut certè licentiâ paganicâ reos illos inſcribere molorum omnium, quæ patrantur in Orbe: vti Ethnici traducebant olim primos Chriſtianos. Miſereor certè Tui, maloque amico ſilentio obuoluere, quam aperire aut vrgere preſſiùs, pudendos animi Tui lapſus.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Imponit Alberto M. & aliis Cyriacis circa Doctrinam Conceptionis.

Magnus Albertus adducitur ex 3. *Sent. per Cyriacos notatos à Catharino l.* 2. *pro immacul. Concept.* pag. mihi 50. *dicens*; [*Eſſe ſanctificatam Mariam ante animationem, concluſum fuit hæreſim eſſe, in Pariſienſi Gymnaſio, quia contraxit peccatum originale.*] *Subdit his adductis Catharinus*: [*Sed certè apud Albertum, verba hæc,* quia contraxit peccatum originale, *non leguntur, ſed addunt de ſuo.*] §. 108.

RESPONSIO.

NEcdum Falſationum finis, donec ad vltimum deſperatæ Cauſæ ſuffugium deuoluatur euanidum caput, ab ipſis à Scholâ Thomiſticâ Transfugis, in Thomiſtas emendicans teſtimonium. Quis ignorat Catharinum deſertorem paternarum traditionum, & in domeſticos non prius armatum; quin multiplici percuſſa Pontificio fulmine, ſcripta eius elanguerint? Hoc tamen arundineo & infido inniteris præſidio. Vna ambos Cenſura excipiet; vnus euoluet caſus decipientem Catharinum & deceptum Pſeudo-Petrum, dum eius premens veſtigia, ſugillas Cyriacos, ſiue additamentum illud factum velis ipſis Alberti exemplaribus impreſſis, ſiue locis eius in citationem adductis: vtrumque puerilis commenti obicem pari facilitate amoliar, exprobationemque depellam intruſionis in textum Alberti quatuor horum verborum, *quia contraxit peccatum originale*, quæ, inquis, Alberti non ſunt, & tamen Alberto, fraudulentâ implantatione fuere inſerta à Sodalibus. Al-

bertum audiamus non ſolùm in vetuſtis Editionibus, de quibus poteſt eſſe minor ſuſpicio, ſed in ipsâ omnium recentiſſimâ factâ Lugduni an. 51. curâ & emaculatione Petri Iammin Cyriaci, iuxta antiqua Exemplaria. Loco igitur à Te adducto ex 3. Sentent. ſic concludit. *Solutio. Dicimus quòd B. Virgo, non fuit ſanctificata ante animationem, & qui dicunt oppoſitum, eſt hæreſis condemnata à B Bernardo in Epiſtolâ ad Lugdunenſes & à Magiſtris omnibus Pariſienſibus.* Nihil vltrà. Vbi ergò verba illa, quæ de ſuo inſeruiſſe inſimulantur Cyriaci, *quia contraxit peccatum originale*? Erubeſce impudorate Senex, ſic vniuerſum ludificaris orbem, in te quæ ſola libri inſpectione fœtentem calumniam demonſtrat?

Diſt. 3. a. 4.

Falſatio.

Dic amabo, aut cum hæc ſcriberes, legeras Albertum, aut aliena nitebaris fidei? Calumniam adeò grauem Ordini Religioſo illinire, in fide Transfugæ ab eodem Ordine, hoſtis aperti & toties ab Eccleſia notati, nunquid non patentem redolet inſaniam, euerſumque cum conſcientiâ, iudicium? Exquire teſtimonium ab Hæreticis; & ſtatim traduces Fidem Catholicam. Conſule Atheos, & negabis Deum. Emendica ſuffragia Deſertorum Scholæ Thomiſticæ; conſule inimicum ſolemnem; quid mirum ſi Thomiſtica omnia placita conuellas Veruntamen in foueam quam ſuffodiſti, infœlix corrues, conuincerìſque nefandæ Impoſturæ cum Tuo Catharino. Si autem (quod debueras) adhibitâ proprii obtutus indagine legiſti Albertum, vbinam nactus es aſſumentum illud quod obtrudis? Excute millies præfatum locum, & indicante manu deſigna verba quæ de ſuo Cyriaci, Textui adiecerunt. Putabas neminem pudenda Tua reuelaturum? Putabas inexhauſtâ Impoſturarum grandine obtundendos Lectores? Silente Terrâ, reuelaſſent cæli iniquitatem Tuam. Verùm vt Te ex hoc capite, ignorantiſſimum demonſtrem: dic quo fine, verba illa cóclusioni Alberti intruſiſſent? Hoc nè vt verbis huiuſmodi Alberto affictis, illum traherent in ſuam de Cóceptione ſententiam? Pueriliş euaſio! imò inutiliſſima planè interpolatio, cùm firmo & inuariabili animi tenore, communi Fratrum ſuorum opinioni adhæreat. Dubius itaque hæreo, Petre, an ipſemet ſpiritus erroris queat frequentiùs Te, & effrontiùs mentiri; & cum omnia Cyriacorum ſcripta euolueris, nunquam offendes inſerta prædicto Al-

Stupiditas.

berti Textui verba, quæ obiectas, niſi Tumet de Tuo addideris. De ſunt exſcripta quæ hoc indicent; de ſunt exemplaria, quæ hoc euincant, non deerit tamen Tibi, Ordinem inclytum criminandi, rea fœcunditas.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Imponit D. Thomæ circa Altare Propitiatorii, & etiam Thomę Morelles,

Criptorum S. Thomæ varia falſationes & adulterationes, ac affictorum ei alienorum operum ſuppoſitiones à Cyriacis facta, non latent. Intruſionem Commentarij Petri Veronenſis in Mathæum, inter S. Thomæ Opera, factam malitioſè à Bartholomæo Spina ſuperius attigi, ex Vvielmio Spina diſcipulo. Dixerat S. Thomas 1. 2. q. 102. art. 4. ad 6. Propitiatorium fuiſſe lapideum. Hoc Thomas de Lemos (Beatus ille Coquetianus, Prædeterminatorum vexillifer, de quo paulò ſuperiùs) in Romanâ editione Summæ abſque vllâ veterum Codicum fide, ex ſuo cerebro mutauit, facta lapidis *mutatione in* lignum; *contra quàm, T*iburè *& alibi lignum lapideſcit. Videns ergò Lemos, eſſe contra Scripturam, quod Propitiatorium dicatur lapideum, falſauit textum, ne D. Thomas diceretur ignoraſſe veram Propitiatorij materiam: in quo comprobatur verum quod dixit* S. *Auguſtinus, poſſe aliquem, etiam dicendo verum, mentiri. Nam quamuis quod Lemos eraſit, falſum eſſet, & quod ipſe ſubſtituit, ſit veriſſimum; tamen mentitur, qui ait S.* Th*omam in re propoſitâ dixiſſe veritatem, vt ei Lemos falſarius attribuit. Denſa alia falſationes circa paſſiuam Deiparæ Conceptionem, à varijs obſeruatæ ſunt, & nominatim à Baptiſta Poza in Elucidario l. 4.* Tr*act. 4. & ſeq. Cui carò ſtetit tam accurata perſpicuarum falſationum annotatio; nam emouit aduersùs ſe crabrones, qua de re aliàs. Antiquiores* S. Th*omæ hac in parte falſationes, obſeruauit Pineda in* C*aput 7. Eccleſiaſtæ ad V. 29 Sanè 3. p. q. 27. art. 2. textum eſſe corruptum patet ex titulo articuli & reſponſione ſubiectâ; quibus* S. Th*omas tantùm inducitur quærens,* an B. Virgo fuerit ſanctificata ante animationem, *& nihil tradens, ſiue ibi, ſiue in reliqua quæſtione, de eo quod præcipuè quærendum erat, nempe de Sanctificatione in animatione prima. At D* §. 109.

Thomas non eſt adeò impertinens, vt tractans aliquam difficultatem, omittat quod eſt in ea præcipuum. Itaque textus ille fuit manu adulteratrice contactus. Et apud F. Ioannem Bromiardum, qui florebat an. 1260. (vt habet Chronicon Ordinis Prædicatorum,) locus ille legitur vt par eſt. Videſis Bromiardum in Summâ Prædicantium, V. Marſa. art. 2. Adducit enim Bromiardus S. Thomam eo loco dicentem, B. Virginem fuiſſe ſanctificatam non ante animationem, ſed in ipſâ primâ animatione. Ex quo ſequitur excluſio peccati Originalis à Deiparâ. Fratres autem, ne ibi hoc S. Thomas diceret, & ſibi contradiceret in 1. 2. adulterato textu effecerunt. Sed quid quærimus antiquas adulterationes textuum S. Thomæ quoad Conceptionem, cùm in diebus noſtris Frater Coſmas Morelles textum apertiſſimum S. Thomæ in 1. d. 44. q. vnic.i art. 3. ad 3. impudorate adulterauit an. 1613. in editione Antuerpienſi operum S. Thomæ, cui ipſe præerat emaculator: ſed perfidè munus ſuum geſſit, tantam maculam fœdiſſimè illinens textui, & affingens S. Thomæ quod ibi tradiderit Conceptionem maculatam, cum diſertiſſimè in omnibus retrò Editionibus, etiam Romanâ Pii V. contrarium aſſerat, & diſcurſus S. Doctoris id neceſſariò ferat. Teneo Te, Falſarie effrontiſſime & Adulterator impudentiſſime. Sic S. Thomam dehoneſtas, vt puriſſimam Virginem violes?

RESPONSIO.

ADuertimus huc vſque colluctans cum veritate mendacium, & fluctantem ex reciproco partium æſtu, victoriam, ſi Aduerſario credimus. Iam quaſi ex Prophetæ monitu, *corruit in plateis veritas*, tot telis fermè confoſſa, quot verbis. Quò fit vt triumphali curru ouans incedat Calumnia, quatuor vecta rotis, quas torquet & voluit ſpiritus vertiginis & erroris. Tot obiicit Aduerſarius, falſus & falſans, quia laruatus & latens; in hoc tamen apertè ſæuiens, quòd per Cyriacorum latus D. Thomam impetit; vt ſatagat Doctorem Eccleſiæ celeberrimum ac ſanctiſſimum, vltimo ſupponere propudio, tanquam imperitum, impertinentem, ſibimet contrarium, bonis plenum ſed alienis, eoque deuolutum infamiæ, vt adigantur Diſcipuli, iteratis falſationibus, Magiſtri pudenda velare. Hic ſcopus impiiſſimi Scurræ. Primum iam exploſum eſt de

Impietas.

excreſcentiâ Operum S. Thomæ, quem ille plenum negat, ſed tumentem: non legitimâ Sobole grandem & grauidum; ſed inflatum adulrerinis Lucubrationibus; quapropter Nebulonis idem refricantis compeſcenda graui ſilentio garrulitas: cúmque nodos reponat iam ſolutos, non eſt ſuperfluis immorandum. Vvielmo autem dicenti (ſi tamen dixit) Commentarium Petri Scaligeri Epiſcopi Veronenſis in Mathæum, immeritò D. Thomæ arrogari; oppono nubem teſtium primæ notæ, hoc Opus ei aſſerentium, quos refert & ſequitur B. Camblat nuperrimus Scriptor Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ, fundatiſſimus Patriciæ Theologiæ Profeſſor, in Prolegomenis ad primam partem D. Thomæ; Hi ſunt Petrus de Adria, S. Antoninus, Sixtus Senenſis, Flaminius, Garzo Plodius, Bellarminus, & alii, quibus magis credendum quàm Vvielmio. Demus interim graris litem pendere ſub Iudice; imò & aſſertum Veronenſi tale opus: Quid tum? Oſtendis, Petre, Te in lectione Patrum, maxime eorum qui ſingulari doctrinæ famâ præcellunt, planè rudem ac peregrinum; quorum genuinis Lucubrationibus ac fœtibus legitimis, inſertos euincunt aſcititios & adulterinos complures Sixtus Senenſis; Bellarminus, & alii. Imò hæc commiſſura, illuſtre eſt argumentum meriti ſingularis ac eruditionis pereximiæ, cuius ſplendoribus velint & poſſint minutili & immeriti Scriptores ſcintillare. Clamas iniurioſam hanc Patribus alienorum partuum inexpectatam commixtionem? Macte animo: Tutum Te facit ab hoc periculo, ineruditus & mordax Tuus ille, non benè; ſed multum ſcribendi pruritus; cuius Scriptatitionibus, nemo vel imbellis & Tyro ſuas Proluſiones admiſceat, ne fatale ac cenſorium fulmen, quod ex diuturno vſu fœtus Tuos configit, transfigat etiam ex importunâ ſocietate alienos. Hoc ictu confracta iacet prima mendacis Triumphi rota. *Calumnia.*

Nec ſecunda fœlicius conuoluitur; dùm vno impetu duplicem euoluturus Thomam, inſurgis. Thomam de Lemos falſationis arguis; factа *lapidis* mutatione in *lignum*; vt D. Thomam conuincas imperitiæ, quia ſcripſit Propitiatorium fuiſſe lapideum; cuius vt lapſum opportuno velo tegeret alter Thomas; eraſo lapideo, ſubſtituit ligneum. Eiaculationem fulminis præceps coruſcatio denuntiat & antecedit. Sic Tu vt vtrumque atrociùs lanies, priùs ambos

rides & illudis. Thomam Lemos, *Beatum Coquetianum* mimicâ deriſione indigitas; & ſtatim D. Thomam in cælis cum Deo regnantem, appoſito aliquali temperamento, *Impertinentem*. D. Thomas, inquis, *non eſt adeò impertinens*: ſenſus enim germanus huius Propoſitionis eſt talis; D. Thomas eſt quidem impertinens; ſed non adeò vt hoc dicat. Hæcque illa modeſtia animi nondum Chriſtiani, ex vnâ parte, Sanctum; ex aliâ, Sanctitatem profanâ garrulitate irridentis; donec vellicatis ex occaſione Cyriacis, concoctum liuoris antiqui virus in ipſiſſimam S. Thomæ faciem expuat os putidum & infræne. Verùm irreligioſi Scurræ expunctâ impietate; Scioli Impoſtoris ineruditam animaduerſionem alto ſpiritu compeſcamus.

Impietas.

Dixerat, inquis, *D. Thomas*, *Propitiatorium fuiſſe lapideum*. Reſpondeo te primo paſſu cæſpitare; falſumque, D. Thomam hoc ſcripſiſſe; licet errante prælo, in aliquas editiones illud mendum irrepſerit; cuius tamen nihil legitur in Antuerpianâ, nec in Romanâ Pii V. quam ſecutus eſt Morelles. Hoc itaque contra mentem S. Doctoris, fuiſſe intruſum multa euincunt. Si quidem in tabulâ Operum eius, verba S. Thomæ hæc referuntur: *Erat autem Tabula ſuper alas Cherubin*, nec adiicitur *lapidea*. Vnde Medina & Ioannes à S. Thoma, ambo Hiſpani, & in Academiâ Salmantinâ Profeſſores, excutientes illum locum ex 1.2. aſſerunt quod potuere oculo ſignante intueri. Nempe in antiquo Manuſcripto Salmanticenſi hæc haberi; *Erat autem Tabula*: de Lapidea nihil. Addit Grauina in Defenſione S. Thomæ in vetuſtis Vaticanis Codicibus haberi; *Et ſuper Arcam erat quædam Tabula aurea*, *quæ dicitur* Propitiatorium. Iuxta quæ Exemplaria, Vaticana Operum D. Thomæ à Pio V. correctio facta eſt. In Colonienſi Manuſcripto dicitur, inquit Grauina; *Et ſuper arcam erat quædam Tabula Aurea*. Ipſeque S. Thomas in caput 9. ad Hebr. Lect. 1. explicans eumdem locum Exod 25. ait. *Inter autem alas* (nempe Cherubin) *quibus tangebant ſe, erat Tabula aurea.* Quomodo ergò tam fœdus error irrepſit in quaſdam Editiones niſi Exſcriptorum aut Typographorum vitio?

Ne autem à charitate Sodalium Cyriacorum profecta videatur hæc reflexio, & æqua præſumptio; attende, Petre, à quo veritas extorſerit conſimile ſuffragium. Voci eius acquieſces ſtatim ac nomen audieris. Vaſques in Commen-

tatio præfati articuli tom. 2. in 1. 2. refert in Codice Salmantino antiquo, quod videre potuit ipſe Hiſpanus, ſolum haberi, vt dicebat Medina, *Tabula quadam*; nec adiicitur *aurea*, vel *Lapidea*. Quare verbum illud *lapidea*, quod habetur in aliquibus Codicibus excuſis, exiſtimat additum vitio Librariorum: quod & notauit Donatus in impreſſione Summæ D. Thomæ in paruâ formâ Romæ 1619. Ad Marginem loci illius, Scriptura apertè dicit Exodi 25. v. 17. *Facies Propitiatorium de auro puriſsimo.* Cap. 37. v. 6. *Fecit & Propitiatorium, id eſt, oraculum de auro mundiſsimo.* Putandumnè ergò D. Thomam, Scripturæ peritiſſimum, qui & idem ad Hebr. ſcripſerat, oblitum ſui & Scripturæ, in vltimo Opere ſuo lapideum inſcripſiſſe; quod nec Nouitius admitteret, cum oculo tãtum ſit opus? Purgantur & eâdem viâ Emaculatores; ſed impetitæ manus Gloſſema fuit, & Typographi innocenter præuaricantis. Emaculatione & expunctione egent ipsâ Scripturarum diuina oracula, præli deuiantis correctionis indiga, nec de hâc immunitate gloriatur aut gaudet D. Thomas, quam aduertit Combefiſius (in Apparatu ad Bibliothecam Patrum V. *Thomas*,) irrepſiſſe in Decretum Gelaſii diſt. 15. his verbis conceptum. *Venerabilis Sedulij Paſchale opus, quod Hæreticis verſibus deſcripſit.* An hæreticis verſibus? *Ita quidem vulgata illius Canonis per multos annos lectio: ſed genuina pro* hæreticis, *legit* heroicis. At Scribarum errores quid vltra incuſemus, quos Tumet ipſe pudendo lapſu expertus es, cum Tenebrionis Tui ſimul eſſes maculator & emaculator, prælo Lugdunenſi inuigilans, nec tamen cauiſti lapſum horribilem & in Authore licet octogenario, puniendum puerili flagro? Solemnem dico ſolœciſmum paginâ Tuâ 103. mihi autem, §. 73. vbi ſic loqueris. *Pars ſapientiâ alius, doctum Philoſophum cui nomen Conſtantio, morte poſteà apud Sinas in Miniſterio Apoſtolico obita, claro: negauit Parmæ facultatem quippiam edendi de Arithmologia.* Fratelle, fac conſtructionem: alius negauit facultatem doctum Philoſophum, cui nomen Conſtantio, morte claro, quippiam edendi Parmæ. Negauit facultatem Philoſophum, alius dixiſſet Philoſopho. Philoſophum morte claro, puto quod Deſpauterius dixiſſet, Philoſophum morte clarum, aut Philoſopho morte claro. Excuſabit Te tamen licèt præſentem & attentum Emaculatorem, ineuitabilis præli exercitatio. Cur

ergò verbuli vnius, *Lapideam*, in Opera S. Thomæ intruſionem, quam alia Exemplaria non habent, Scribæ aut Typographo non irrogas, vt S. Doctorem ſerues illæſum?

A D. Thoma, ad Thomam de Lemos recocta venena defluunt, adeò furens in S. Thomam, inſita animo Tuo rabies inardeſcit, vt Lemoſio in crimen vertatur ipſa *Thomæ* nomenclatio. Thraſonicè ipſum ludificas, immiſtaque ferocienti petulantiæ momica nugatio, reum facit, dum impreſſioni Operum D Thomæ præſideret, mendoſâ manu verum expreſſiſſe Gloſſema, velandæque S. Præceptoris imperitiæ, (qui ignorarit veram Propitiatorii materiam,) obtendiſſe elaboratum figmentum, quo præter naturæ ordinem, vbi ligna ſæpe lapideſcunt, ex lapideo, ligneum fecerit Propitiatorium, eraſâ ab Exemplari voce *lapidea*, & in locum eius implantatâ, *lignea*. Ais enim: *Videns ergò Lemos eſſe contra Scripturam, quod Propitiatorium dicatur Lapideum, falſauit textum, ne D. Thomas diceretur ignoraſſe veram Propitiatorij materiam.* Hic garris, hic ludis, nec vſquam (vt Auguſtini Pelagianos irridentis verbo vtar) *Choraula* feſtiuior. Caue tamen interim, ne in ætate decrepitâ, nec dum maturâ, inſolens & inſolita iſta præſidentia, ad lapidem quem Lemos ſubſtituit, allidat caput tremulum, & ne præ exilitate animi iam effœti, & à natiuitate ob inertiam vani, ligneus lapideſcas. Verùm vnde habes Tibure ligna lapideſcere? Impoſturam hanc vicini Incolæ notabunt. A quo etiam habes Lemoſium Emaculatoris munere præfuiſſe prælo, lapidem in lignum commutanti? Rotat capitellum Tuum natiuâ vertigine, pro Gregorio Donato, Thomam de Lemos ſupponens qui tali Editioni nullatenùs præfuit, ſed Donatus, vt intuenti patet. Hic ſecundus lymphatæ animulæ lapſus. Vbi illa ineffabilis tranſmutatio lapidis in lignum, in D Thomæ Summâ, quam omnes quærunt, nemo reperit? Demus tamen tale opus, vt poteſt fieri, politico fortè Vallis Tuæ auſu adulteratum, pari arte, inſerto duplici adulterino folio, vno addente verbis D. Thomæ, *Lapidea*; alio in fronte libri ſub Lemoſii nomine: qualiter ablatâ primâ pagellâ Tui Tenebrionis, nouam cum additamentis, eiuſdem operis veſtibulo appendiſti. Dolus an virtus quis in hoſte requirat, & in tali hoſte fraudibus innutrito? Sed concedamus dari talem Summam cum tali mendo, quid tum?

Mendacium.

Præ-

Præiudicata manet ex prædictis, D. Thomæ & Thomiſtarum de materiâ Propitiatorii, ſolemnis & communis ſententia, Scripturæ & Doctoribus conſona. Nec eſt vel Nouitiolus qui hunc lapſum ex præli errore profectum non aduertat, Tuique non miſereatur, qui turpiùs prolaberis ipſe, dum lapſus notas aut fingis alienos.

Auguſtinum, quem non amas, laudas tamen, quòd dixerit poſſe aliquem mentiri proferendo verum. Sic Lemos, inquis, D. Thomam falſans, vt veracem probaret, mendacio ſtabiliuit veritatem. Verum ergò putas illud, quod ſecundum Te Lemos ſubſtituit, ligneumque cenſes fuiſſe propitiatorium? Reſpondes, *veriſsimum*. Et vnde habes hanc veriſſimam veritatem? Ex Scriptura? Illa dicit fuiſſe aureum: *Facies propitiatorium de auro puriſſimo.* Exod 25. Ex Scripturæ Interpretibus? Cajetanus, Toſtatus, Cornelius à Lapide, Valſques, Menochius, hi tres Societatis Scriptores, omnes denique vno ore perſonant fuiſſe aureum. Ex D. Thoma? Ipſe in caput 9. ad Hebræos; *Inter alas Cherubin erat Tabula aurea.* Vis audire Scriptores Cyriacos? Omnes ſuſcribunt D. Thomæ. Tu ſolus ſegrex ab omnibus Doctoribus, Ligneum vis, non aureum. Bone Deus! quàm miſerandus es Alchimiſta! Metalla dum transmutas, deprimis; eſtque artis Tuæ ſingularis fructus, ſolemne diſpendium. Lemos induſtriâ ſuâ vſus, iuxta verbum Tuum diteſcit; conuertit enim lapides in ligna & ex mortuis facit viuos. Tu verò arte ruinoſâ & perniciosâ ſagacitate, ex auro, eoque puriſſimo lignum extrahis; acutiſſimâ mente Tuâ eminentior factus Patribus ac Doctoribus, qui Propitiatorium dicunt, non aureum, ſed totum aurum, idque mundiſſimum; Tu non lapidem, ſed lapideum quod minus eſt, indigitas. Contrita itaque eſt ſecunda rota, nec falſandus eſt textus Tuus, vt ſupinitas Tua prodatur & dignoſcaris ignoraſſe veram Propitiatorij materiam.

Ignorantia.

Tertia autem Rota quieſcit nec mouetur, quia deſinit in *Poza* ſeu Pauſain, è cuius elucidario extraxiſti innumera virulenta ſcommata, numeroſamque calumniarum meſſem, quibus procax Tenebrio exundat. Vnde non mirum, ſi in fœderatos veritatis ſimul ac Ordinis Prędicatorij hoſtes, fœderata ac congeminata Pontificum decreta detonuerunt; ſocioſque culpæ, confixit penæ Societas. Debueratis

certè ambo, ſi quid prudentiæ, intor tot fuliginoſi liuoris æſtus in Religionem Dominicanam reſiduum; attendere emotos ſemel *Crabrones* vrgere arcadica pecuaria aculeo audaci, acuminatâ cuſpide ac penetrante ſtimulo, qui pungit & cruentat azellos: quorum ſupinitas ex querulâ illâ voce falſati D. Thomæ in 3. p. demonſtratur. Cæterum vt Cyriacis inuidiam confles, iniectam de Conceptione materiam toties quid fatigas? præſcriptos limites religioſo ſilentio ipſi obſeruabunt, hoc vnum addentes, quòd contundendæ Tuæ Impudentiæ neceſſitas extorquet; opus tantum eſſe Lectori, oculis, vt calumniam Tuam primâ inſpectione detegat. Euacuat enim D. Thomas in eodem articulo, totam difficultatem luculentiſſimâ negatione, appoſitâ ad calcem corporis articuli, reſpondens ad quæſitum tituli & ſimul ad illud præcipuum, quod Aduerſarius adeò impertinenter queritur ab eo fuiſſe omiſſum. Non *fuit itaque textus ille manu adulteratrice contactus*; ſed oculo hoſtili & luſcioſo imperuius; qui euoluto per immoderantiam Liuoris innati, infrænisque licentiæ iudicio, amiſit & viſum, vt non videret quod cæci vident. Pari hallucinatione interpellat Bromiardum Cyriacum, qui Angelici Præceptoris veſtigia fideliter premens, cum eo concludit, ſolum corpus non ſanctificari antequam animâ rationali informetur; ſed corpus dum ei coniuncta eſt anima, quæ coniunctio & ſimultas animatio dicitur. Cui Tu tamen ſententiæ, erga Bromiardum nimis liberalis, de Tuo cerebello addidiſti, in ipsâ *primâ* animatione, manu adulteratrice textum eius contingens & fraudulentâ charitate intrudens quod rei ſummam continet, trahitque in ſenſum contrarium verba Authoris. Vſus eſt itaque adulteratrice manu perſonatus Nebulo, vt contradictionem affingeret D. Thomæ; quem ſibi perpetuò conſtantem euincunt Fratres, ingenuâ locorum ad inuicem collatione.

Impoſtura.

Falſatio.

Hoc religioſo candore obtritâ & minutim confracta manet quarta chimerici Triumphi Rota, conciditque proprio pondere ſolemnis & impudorata calumnia, quæ Coſmam Morellum adulterati textûs D. Thomæ, hæreticâ procacitate inſimulat. Præfuit Editioni Antuerpienſi Operum S. Doctoris Coſmas Morellus Cyriacus & Fidei Quæſitor Colonienſis; triplicique Impoſturâ, Mendax & Impoſtor Pſeudo-Petrus accuſat eum falſati textus ex 1.

Impoſtura 3.

ſentent.. Prima fraus & impoſtura claret in deſignatione temporis, quo facta eſt talis Editio Antuerpienſis, quæ vnica fuit; nempe anno 1612. Ioanne Kéebergio Typographo. Aduerſarius autem vt mendacium mendacio contegat, dicit factam an. 1613. quæ eſt effrontiſſima falſatio. *D. 44. q. vnicâ. a. 3. ad. 3.*

Secunda patet ex eo quod dicat Morellum affinxiſſe D. Thomæ quod ibi tradiderit Conceptionem maculatam; cum ex ipſo textu à Morello adhibito, nulla prorſus mentio de maculatione habeatur, imò contrarium videtur indicari; congruitque hæc Morelliana editio cum illâ Pij V.

Tertia denique, quod adulterauerit hunc locum additione aut detractione, cum tamen nec plus nec minus contineat quam cæteræ Editiones. Triplex illa Impoſtura ac Calumnia, luculentiſſima fiet ex ſolâ textus adductione. Ait enim D. Thomas iuxta editionem Morelli. *Ad 3. dicendum quod puritas intenditur per receſſum a contrario; & ideo poteſt aliquid creatum inueniri quo nihil purius eſſe poteſt in rebus creatis, ſi nullâ contagione peccati inquinatum ſit: Et talis fuit puritas B. Virginis quæ a peccato originali & actuali fuit immunis: fuit tamen ſub Deo in quantum erat in eâ potentia ad peccandum.* Vbi eſt illa maculatio Conceptionis? Vbi illa puritatis Beatæ Virginis violatio intruſa à Morello in textum D. Thomæ? *Aduleteratio.*

Teneo ergò te falſarie effrontiſſime, adulterator impudentiſſime. Sic S. Thomam dehoneſtas & vnà cum eo diſcipulos eius Thomiſtas, vt perfidos Authorum violatores, oſtendas, licentiâ pluſquam hæreticâ, pluſquam paganâ; nec enim Hæretici aut Ethnici pari impudentiâ ac irreligioſitate mentiuntur aut imponunt. Sed cui bono intentus Morellus, aut quâ neceſſitate adactus, falſaſſet textum Doctrinæ Thomiſticæ, nihil ſibi offuturum; cum ſi ad marginem eius loci attenderis, videbis explicationem illius textus dari ab ipſo D. Thoma in antecedente diſt. 17. vbi immunitas per deputationem explicatur; ſicut in l. 2. Sentent. ab omni priginali culpâ immunem vocat eum qui per baptiſmum purgatus eſt: quod & quadruplici argumento comprobat Bergomenſis in Concordantiis, V. Conceptio. Cæterùm animus horret, recuſarque manus ſcribere tria vltima verba tua, ſpurciſſimo blaſphemiæ ructu horrida: Nec dæmon ipſe ſat eff ons, vt audeat proferre quæ tu exaraſti. Auerte oculos Lector Chriſtiane, & ne vel *q. 2. a. 4. ad. 3* *Diſt. 31 q 1. a. 2. ad. 1.* *Impietas.*

primo obtutu attingas impuriſſimum, inauditum & execrabile Dei-paræ Virginis dehoneſtamentum, reſponſioni huic immediatè præfixum, expreſſione ſpurciſſimâ.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Multiplicis Falſationis inſimulat Bandellum, ipſe Falſarius.

§. 110. *Cyriacos in S. Thoma falſando adeò non parcos, quis miretur falſare ſcriptiones alienas, easque vel corrumpere, vel truncare, vel ſuis aſſumentis grauare, vel ſubiicere alienis Authoribus? Strenuitas Fratris Vincentij Bandelli à Caſtro nouo, in falſandis, & vitiandis, vel contorquendis locis Patrum, vt viderentur ſtare contra immaculatam Conceptionem, à tam multis eſt euicta, vt puduerit reliquos Cyriacos. Itaque cum Bandellus, ex depravatis, truncatis, adauctis, & quomodo libet corruptis Patrum libris, plenos aggeres protuliſſet; Capreolus in 3. d. 3. eam molem ad quadragenam reſtrinxit; Cajetanus autem proprio hac de re opuſculo, videns eam quadragenam teſtimoniorum à Capreolo adductam, & multo magis Bandelli Chiliades, eſſe ſaltationes extra chorum, vel apertas detorſiones, vel corruptelas, arctauit allegationes Patrum Conceptioni Immaculatæ aduerſantium, ad quindecim. Ac ne iſta quidem ſunt rectipedes, vt egregiè conuicit vir in* B. *Virginem egregiè addictus, Hyppolitus Maraccinus, in quem idcirco F. Caput Cucurbitæ coniſcauit, de quo alibi. Itaque qui loca Sanctorum Patrum, ne honori Ordinis incommodarent, toties corruperunt, (honori enim Ordinis præcipuè ſeruitum in totâ hâc Mangoniâ, refert qui aderat, & domeſticus fidei erat, Catharinus;) cui alteri parcent, aut à quo continebunt manus interpolatrices & adulteratrices?*

RESPONSIO.

NVgari & mentiri, duplex tibi polus; circa quem tota garrulitatis ineruditæ ac mordacis machina conuoluitur. Falſidicus, falſificus ac perjurus Nebulo, Cyriacos falſationis criminatur; Nugatio. Corrumpere aut truncare ſolitos clamitat; Mendacium. Bandellus falſat aut viriat loca Patrum quos adducit; Capreolus aduertens immenſam Bandelli corruptelam, ad minorem ſe redegit: Syluam Bandelli, quadragenam Capreoli, & pudendas vtriuſque extra Chorum ſaltationes exhorrens, intra quindecim ſe Cajetanus coarctauit; Impoſtura, triplex vno tenore infibulata ſuppoſitio. Aduerſarius detonanti contra ſe hüic triplici bellicæ machinæ nihil opponit, nihil reſpondet, & vt verbum eius in ipſum detorqueam, ſilet mutus ſicut piſcis *Colaus*; riſu ergò & ſibilo exſufflandum puerile nugamentum. Quid defendemus, cum nihil impugnet? Quid purgabimus, cum nihil in quo tres illi Cyriaci peccarint, oſtendat? Incautè audes *conijcare* in Capreolum? Caue Tibi; vno cornu arietabit & infringet Tuum *caput cucurbitæ*; altero pedem, ne rectipes, ſed claudus incedas, effectus cum Tuo Catharino à caſtris Cyriacorum Transfugâ, nugiuendus ac mendaciorum mango; rudis Interpolator, adulteratorque aſſiduus. *Mendacium 3.*

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Fabuloſa dicit quæ ſcripſit ex Beroſio Ioannes Annius.

F. Ioannes Annius Ordinis Prædicatorum confinxit Libros quos nomine Beroſi Metaſthenis atque Philonis Biblici emiſit, ſcatentes erroribus contra Scripturas & ſæculares hiſtorias; Ideoque Annium quantumuis iuratum aſſertorem antiquitatis, illorum codicum è quibus ſuam Editionem adornauit ſuppoſitorum illis antiquis ſuorum commentorum, arguerunt, Volateranus l. 14. *Antropol. Canus* II. *de locis c.* 6. *Poſſeuinus in* Biblıotheca *ſelecta lib.* 16. *ſect* 4. *c.* 1. *Antonius Auguſtinus dialogo XI. antiq. Pineda l.* 7. *de Solom. cap.* 15, §. III.

an. 4. cui vacauit integra volumina fingere, & pro laboribus antiquorum Authorum a ſe refoſſis, venditare, quam liberaliter mendax fuit! An F. Petrus Iammi qui nuper præfuit Editioni Turcicæ Alberti Magni, cum codex M. S. antiquus habebat, lacunas non exiguas de ſuo expleuerit, (quod à non nemine inſuſurratur,) nolo definire. Viderint qui referunt.

RESPONSIO.

POſteriores ſe decepit Annius Viterbienſis, deceptus ipſe ab anterioribus. Nec mirum quod Beroſum Metaſthenem ac Philonem Biblicum commentitios emiſerit, putans veros, Malæ fidej laruatos Authores, bonâ fide, ſed inaccurato examine, prælo commiſit, nouâ Editione cudendos; vnde non falſationis, ſed incuriæ arguendus. Quanta autem immeneat difficultas, tutum ſe præſtandi à ſimili prolapſione, probant exempla eorum, quos ex Poſſeuino exſcripſiſti, & videmus pariter implanatos. Ioannes Driedo, Nauclerus, Valerius, Anſelmus, Ioannes Lucidus, Michael Medina, Sixtus Senenſis ignorantes Annium fuiſſe deceptum, & ipſi decepti ſunt; impoſueruntque illis licet oculatis, Authores ementito nomine prodeuntes. Quam ſit difficile Scriprores legitimos à ſpuriis ſecernere, comprobat decretum Gelaſij, innumeras ferè Lucubrationes, partim ſuppoſititias, partim Apocriphas reſpuentis, quas multi ex antiquis Patribus pro genuinis habuerant. Videſis Poſſeuinum in apparatu V. Gelaſius. Laudo autem in Te primum excuſſi pudoris veſtigium, dum alieno adſcribis vitio non Tuo, criminationem Fratri Iammin, falſificationis puro irrogatam.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Recantat quæ effutiit initio in Monteſonum.

§. 112. *DAmnauerat Academia Pariſienſis varios errores Fratris Ioannis de Monteſono Cyriaci. Is ea damnatione perculſus appellauit Pontificem, porrecto libello ſupplici, in quo ferè*

tot ſunt mendacia quot verba, aiebat qui tunc nomine Academia Pariſienſis, iuſtam fuiſſe Monte-ſoni damnationem, comprobabat libello qui extat ad calcem Magiſtri ſentent.

RESPONSIO.

FAlluntur & fallunt Medici dum colluctante partium præſtantiâ, quæ ſint ſedes operationum animalium ac intellectualium, ex Iudicij defectu colligunt exceſſum memoriæ, in Te tamen enormis imbecillitas, euolutum iudicium, terebrata quoque ſimul memoria, eminent. Et hæc adeò infidelis, vt non memineris Te offerre Lectori crambem recoctam, Tibique pro Monte ſono ita amplè reſponſum ſupra §. 8. vt lapſum Iudicij ac memoriæ, præciſio linguæ debuerit comitari.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Dicit fictam condemnationem Molinæ, & Pennam indignè traducit.

NOn exiguum argumentum mendacitatis multorum Cyriacorum, ducitur ex iactatis per annos circiter quadraginta, rumoribus de Molina, per Clementem VIII. & Paulum V. damnato, confectis ea de re diplomatis, quæ tamen ex commiſeratione in Ieſuitas tunc Venetiis expulſos ob Sedis Apoſtolicæ obſequium, ſuppreſſa ad tempus fatentur. Horum rumorum ſatores Cyriaci; & ex eorum informatione F. Ioanne a S. Thoma in Chronologica quæſtionis de auxiliis hiſtoriâ, concinnatâ ex fide præſertim Franciſci Pennæ Hiſpani, Romanæ Rotæ Decani. Sed omnes illos rumores eſſe fictitios & mendaces, neque vnquam à Sede Apoſtolica, aliquid ſiue paruum, ſiue magnum definitum eſſe contra doctrinam Molinæ, nuperrimè ſuprema Inquiſitio Romana coram Pontifice declarauit, obſtruens os loquentium iniqua. Franciſcus autem Penna, hoſtis profeſſus Ieſuitarum, remouetur à teſtimonio ferendo in eorum cauſâ, quia omnibus manifeſtum eſt eum inimicitas erga ipſos continuaſſe per annos complures; nec conſtat an eas in morte depoſuerit; cum etiam in morte, ſupremo teſtamento, Diſcipulos Ieſuitarum voluerit eſſe extorres §. 113.

cuiuſdam benignitatis à ſe pauperibus Scholaribus in perpetuum conſtitutæ; non ſanè Chriſtianè: vnde etiam Iudiciali Sententiâ ea conditio rejecta eſt, & habita pro non appoſita; Itaque citare hoſtem in teſtem, cum ſit ridiculum, deprehenditur aperta mendacitas Cyriacorum circa diplomata adducta. F. Ioannes à S. Thoma qui Diaria Franciſci Pennæ habet ferè pro Euangelio, & inde conflat Bullas Damnationis Molinæ, videat cui crediderit: & poſt declarationem authenticam quod Bullæ *iſtæ nunquam fuerint in rerum naturâ, deſinant quos implanauit, vocare ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt.*

RESPONSIO.

NOn verbis crepant victorias ſuas Cyriaci, ſed factis probant; putantque vanum vanos aucupari rumores, vbi veritate facti, obſignanda venit doctrinæ veritas. Tu dum rumores ſpargis, rumores colligis, qui ventoſi capitis lacunas falſis impleant, cum vera non ſuppetunt. Fingis laudabili more Tuo, Cyriacos primos ſatores concepti in Molinam Pontificij Diplomatis; cum ipſemet fatearis (præter alios non Cyriacos qui hoc ſcripſere) Franciſcum *Penna* huic rumori initium dediſſe & vires, fide & relatione ſuâ, cùm eſſet decanus Romanæ Rotæ, qualis eſt in Galliâ cuiuſque ſupremi Parlamenti Proto-præſes? Age ergò cum *Penna*, de quo religioſiùs ſentiunt Societatis Scriptores, quorum tamen implacabilem, etiam in ipſo obitu, hoſtem facis & inculcas; imò libertate parùm Chriſtianâ virum primarium, celeberrimum Pontificis Adminiſtrum,&in communione Eccleſiæ,perceptis deuotè omnibus Sacramentis defunctum, furenti in morte accendis œſtro, dubiamque efficis de ſalute eius, æſtimationem, ne dicam probroſam. Irreligioſo igne ebullientem hunc zelum non probabit religioſiſſima Societas, chriſtaniùs de Chriſtiano ſentiens; carpetque Te è ſinu eius erumpens Sebaſtianus Sanlellus in Prologom, de Origine & progreſſu Tribunalium Fidei n. 7. quod opus excuſum eſt recenter, an. 1656. ille in ſummis laudibus celebrato Eymerico Cyriaco, Fidei Quæſitore, & Authore Directorij Inquiſitorum, laudat ſingulariter & ipſum Franciſcum *Penna* iam defunctum, & erudiſſimos eius

ſuper ea re Commentarios. Super Tumulum viri primarij, doctiſſimi, & in ſinu Eccleſiæ demortui, violas & lilia congerit, non conuicia & maledicta, velut Pſeudo-Petrus Pſeudo-Chriſtianus.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Piſcatorem hiſtrionico marte impugnat.

§. 114.

Frater Piſcator (cognomento Tela ſubtilis, *quod prima nota linum apud Mercatores ſæpè ſæpiùs quærere deprehenſus ſit;) in Molinam feruentiſſimus declamator, præſertim Cularone apud Gynecæum* Montis floridi, *quod ei eſt pro theatro bacchationum in Molinam (non ſecus ac Arnaudo Ianſeniſtæ, Parthenio Portus Regij;) debuit non ſemel ludibrium verſificatoribus Gallicanis, quod adeò ſonanter conclamaret in Molinam, adeò vt eorum vnus acuto Epigrammate luſerit in Aſellum hunc bipedem, adeò auerſum à piſtrino; gallicè* le moulin. *Hic Cyriacus, cum effractis omnibus modeſtiæ repagulis in Molinam multa creparet & eius tanquam Semi-Pelagiani heretici, damnationes Romanas, (ſcilicet,) paſſim effutiret; tandem pectoris cacochimiam emiſſo Typis libro contra Molinam copiosè profudit. Liber fuit adeo craſſis calumniis & pinguibus erroribus differtus, tanta verò aduerſus decreta Romana petulcitatis, vt Præſul integerrimus ac Excubitor in cauſa Dei vigilantiſſimus, illuſtriſſimus Epiſcopus Petrus de Scarron, adactus ſit & librum proſcribere, & Authorem ſuggeſto quod in Eccleſiâ Gratianopolitanâ tunc occupabat, exturbare; omnibuſque ad populum ſacris muniis excludere. Data fide quod deinceps ſaperet, & librum illum peſtiferum, planè addiceret Libitinæ, omnibus exemplaribus Ampliſſimo Domino* Roux, *Regio Conſiliario fideliter depoſitis; in Epiſcopi gratiam adrepſit. Sed haud ita multo poſt, contra fidem datam, librum denuò Typis ſubiecit, apud* Charuis *Typographum: clàm quidem vt tenebriones ſolent, tamen ita vt loquacitati famuli Typographici, deprehenderetur; Fratri Piſcatorj, cum de lacerando Molinâ agitur, fidem datam ac iuratam, eſſe non iam ſetabicum Carboſum lineum, cuius eſt curioſiſſimus, ſed telam Aranearum: nec vllis Interdictis Pontificus;*

aut Epiſcoporum præſcriptis, ſperari poſſe frænationem debla-terationum & falſiloquiorum, ex ſegeſtri linteo & telâ craſſâ ab ea conſarcinatorum in Molinam.

RESPONSIO.

Actum eſt de te, Laruate Senex; pugnæ impar exiſtis, præreptaque Tibi omnis fugæ anſa. Si pennas aſſumis, & velut Muſca ſursùm euolas, comprehendet Te *tela ſubtilis*. Immerge Te vndis, vt piſcis *colaus*, iniecto rete, Te *Piſcator* extrahet: & ſi vt *Aſellus bipes* præcipiti vngulâ terram calcas, incides in piſtrinum, gallicè *le Moulin*, fonti Valcluſino, ſeu Valli-clauſæ vicinum, in quo, torquendæ molæ diu inſudaſti. Hinc eſt quòd Molendini Parthenus, à Piſtrino, Gallicè *le Moulin*, non auerſus, ſed conuerſus, Molinam Tibi ſapit, quidquid ſonat. Perſonatus es, nec alteri melius congruit triplex hæc perſona, modò ex Muſcâ in Araneam, facili ſibi viâ, Protheus commutetur. Aſcendat igitur Cularonenſe Gynecæum, vbi cum guſtu depaſcet Aſellus bipes, *Montis floridi* immiſtos floribus Carduos. Committe Te velut piſcis aquis, naufragium ne timeas, patebit ſemper Partheno *Portus Regij* Arcadiæ, tuta piſtrini ſedes ſat vicina. Fœlicius Tibi tamen fatum obtigit, dum velut Araneus expandiſti, per aëra *telam ſubtilem* capiendis Muſcis aptiſſimam. *Tela ſubtilis*, craſſum eſt figmentum, genuinum cerebelli Tui opus; quo nihil aliud cepiſti quam Muſcas, riſum & ſubſannationem publicam, dum Lectores Tenebrionis Tui, non plebeios aut ruſticos quibus imperuium eſt Latinum Idioma: ſed viros doctos, cordatos, Patricios, nugis ac gerris, bacchationibus, Epigrammate comico, Aſello bipede, piſtrino, Aranearum telis, carbaſo ſetabito ac lineo, ſegeſtri linteo, telâ craſſâ, putridâ denique pectoris cacochimiâ paſcis & ineſcas. Infœlix Aranee, fœculentam hanc expectoraſti *cacochimiam*, emiſſo typis libello aduerſus Cyriacos, craſſis calumniis & pingui errorum congerie referto.

Claret præcipuè Arcadica hæc Tua Petulcitas, dum effractis omnibus veritatis ac modeſtiæ repagulis, adeò ſonanter, vt Tuo vtar verbo, in *F. Piſcatorem* conclamas & crepas conuicia, vt ex clamore incondito & obtuſo cerebel-

lo, poſſit qui voluerit, acuto Egrammate ludere in Aſellum bipedem, Molæ piſtrini Valcluſini rotandæ innutritum. Supinitatem Arcadicam in Te euincunt quæcumque effutis, quæ ad 4. capita reducemus. Paſſim, inquis, effutiebat in Gynecæo *Montis-floridi* Romanas damnationes in Molinam *F. Piſcator*, tanquam Semipelagianum & Hæreticum; & tamen vt ſubiungis, eodem tempore emiſit librum ſummæ petulcitatis in Decreta Romana. Quomodo hæc duo ſibi cohærent? quâ arte componet iſta in Piſtrino Aſellus bipes? Aduocat damnationes, ſeu Decreta, vt proculcet Molinam; & ſimul debâcchatur in damnationes ſeu decreta Romana. Hanc contradictionem non aduerterat ſupinitas Tua, quâ craſſities calumniarum & errorum pinguedo ſe prodit. Vltra procurramus. Scripſit Molina de concordiâ Prouidentiæ diuinæ cum libero Arbitrio, qui nodus eſt ſupremus ac intricatiſſimus Theologici agonis: Vix ſtatus quæſtionis à doctioribus percipitur. Et hæc, inquis, erat fœcunda ſeges concionum, aut potiùs *bacchationum* F. Piſcatoris in Gynecæo Montis-floridi coram Mulieribus & Monialibus nullâ literaturâ intinctis. Sic auſus es blaterare, nec extimuiſti ne non ſemel fieres ludibrium verſificatoribus Totius orbis Chriſtiani? Craſſius adhuc & ſupinius, tertium illud quod ſubiungis; Emiſerat, inquis, *Piſcator* libellum in Molinam calumniis ac erroribus fartum, ob quem fuit ab Epiſcopo Grationopolitano de ſuggeſtu ſacro, quod in ea vrbe occupabat, exturbatus, & omnibus muneribus ſacris excluſus; factus denique Anathema à Præſule: & tamen ſtatim repreſentas eumdem gratioſum Præſuli & in amicitiam eius adrepentem, hâc ſolâ conditione, vt librum ſupprimeret. Bone Deus! quot procellæ, quot turbines, quot fulmina, quot diræ, quot anathemata publica & probroſa, vnicâ voculâ expiantur, fugantur, eluuntur? Nunquid ſapientiſſimus Antiſtes priuſquam è ſuggeſtu ſacro exturbaret Concionantem; antequam omnibus muniis ſacris excluderet virum Religioſum, hiſce omnibus functionibus cum approbatione publicâ inſeruientem, acciuit eum, propoſuit, indixit libri ſuppreſſionem? Num comminatus eſt antequam feriret? Si non præmonuit & damnauit inauditum, vbi Canones; vbi leges charitatis & iuſtitiæ? Abſit hoc à tanto Preſule; Patre ſapientiſſimo, à quo filius omnis admone-

Mendacium 3.

tut antequam vapulet. Præmonuit ergò & ad ſuppreſſionem Operis impulit. At ſecunnùm Te, Piſcator ſtatim acquieuit, annuitque votis Antiſtitis; præuettit præcoce obedientiâ pœnam, nec contumacem exhibuit præceps & obſequens famulatus. Non fuit ergò eiectus pulpito nec muniisſacris excluſus. Arcadicè ſapis Nebulo effrons, nec illuſtrius vnquam vltimæ ſupinitatis documentum. Simul & ſemel à gratiâ Præſulis excidit & in gratiam Præſulis à quâ nunquam exciderat, adrepſit? Hæc concilia.

At, inquis, exemplaria omnia ſpoponderat ſe daturum Domino de *Roux* Conciliario Regio. Nunquid etiam dedit? Non es auſus negare; cur ergò de hoc querelam inſtituis, quaſi iuxta fidem datam non tradiderit, ſed contra fidem datam, librum Typis iteratò ſubiecerit? Falſum; nec alium huius Impoſturæ adducis teſtem, præter famulum Typographi (ſcilicet) cuius loquacitatem damnas, dum intetpellas Fidem; & infirmas teſtimonium, criminando teſtem. Denique ſi librum proſcripſit Epiſcopus, quomodo librum prælo iterùm ſubiecit Piſcator, vt pote prohibitum, quem nec cudere nec vendere auderet Typographus? Vis vt vno verbo totum Narrationis contextum expediam? Eloquij dignitas & ſoliditas doctrinæ, vnicum Piſcatoris Crimen. Prælegebat ille in Scholis publicis doctrinam Thomiſticam; accurrebat Auditorum numeroſa cohors; hauriebantutque auidis auribus ſuprema illa de Scientia Dej, Prædeterminatione ac Gratiâ placita; quæ & aliquando pro ſacro ſuggeſtu compoſitis ad mores proluſionibus delibabat. Hinc iniectus æmulis Scholæ Angelicæ, obnitens zelus. Emittit Abbas illis antiquâ Societate iunctus, libellum Typis cuſum, quo doctrina D. Thomæ proſcribitur, ceu hæretica; nullum conſtituitur medium inter Moliniſtam & Ianſeniſtam; hæreſim ſapit, quicquid ſcientiam mediam non ſapit.

Ineptientem libellum ſolidâ ſcriptione confutat Piſcator, illatamque calumniam pari armorum genere, ſeu ſcripto depellit. Incaleſcunt interim animi: Aggreſſores querelam inſtituunt apud Reuerendiſſimum Epiſcopum aduerſus Piſcatotem. Delatum euocat ad ſe Præſul, ne inauditum damnet & auditum excipit menſâ ac teneriùs diligit. Ne tamen bellum recrudeſcat, decernunt amici communes, hâc lege ſilentium partibus imponendum; vt Abbas

nouo ſcripto Typis excuſo reuocaret quæ in perſonam & doctrinam Piſcatoris indiſcretâ libertate effutierat; quod & religiosè executus eſt. F. autem Piſcator quæ ſupererant illi, ſcriptionis ſuæ exemplaria, daret in manus Domini de *Roux* Senatoris; quod & pari candore præſtitit. Non quidem in doctrinæ ſubnotationem aut pœnam, quæ ex omni parte intacta permanſit; ſed ob bonum pacis; aduerſarius enim querebatur ſe ab illo, præfata Lucubratione vellicatum; itemque in exemplum Moderationis Religioſæ. Abſoluto negotio, reſarcitoque inter Partes fœdere, manſit adhuc ſequenti integro triennio Gratianopoli prælegens, prædicans & omnibus muniis ſacris, ſolitâ omnium approbatione inſiſtens F. Piſcator.

Verùm poſt ſeptem aut octo menſes noua libri eiuſdem Editio innoteſcit, ignoratur tamen Editionis Author & Typographus. Interin latentes æmuli fidefragum clancularià emiſſariorum voce denunciant Piſcatorem; ſed euentus probauit ipſos-met querulos, clandeſtinæ Editionis fuiſſe Authores, Valentiæ Delphinatûs cuſa exemplaria, Gratianopolim tranſmiſiſſe, violatæ Fidej reum Piſcatorem vt publicè euulgarent. Hæc vera & genuina rej ſumma, fideliſque delibatio. Cætera quæ obtruduntur, ſunt garrientis, mentientis ac peieraniis Pſeudo-Petri ridicula & profana Commenta.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Multiplicis mendacij arguit Reginaldum, nihil probans.

Sed in hoc genere fingendi contra Molinam & eius Sectos, nullus fuit liberalior Cyriaco illo qui an 1644. *emiſit libellum hoc titulo*, Quæſtio Hiſtorica & Theologica & Iuris Pontificij, quæ fuerit mens Concilij Tridentini circa Gratiam efficacem & Scientiam mediam. Venetiis an. 1607. *Ridebat Hincmarus Senior, Iuniorem, quòd ipſo in Titulo Scriptionis impegiſſet, coniectans ex ægro capite, qualenam futurum eſſet corpus reliquum. Idem huic Bambalioni occini poteſt. Nam cum ea quæſtio edita primùm ſit Toloſæ; mentitur Author editam eſſe Venetiis: & cum primùm prodierit* §. 115.

anno 1644. *fingit prodiiſſe* 1607. *Totus contextus lectionis eſt vna perpetua Gangrana mendaciatis. Conſtat ea Quaſtio triginta Punctis; in quolibet Puncto, eſt aceruus mendaciorum, e quorum vel nudâ relatione poſſet contexi plena & iuſta Lucubratio: Sed præripuere hunc laborem ſibi Gabriel Enao in Mantiſſa ad Tractationem de Scientiâ mediâ, & Franciſcus Annatus, qui ad calcem Operis de Scientiâ mediâ, & ipſam Quaſtionem Theologicam F. Antonini Reginaldi Cyriaci Toloſani exhibuit, & ſubiuncta breui diſpunctione, quantis falſiloquiis ea quaſtio ſcateret, demonſtrauit. Mihi cum primum eam Quaſtionem legi, (hoc eſt cum primùm prodiit; nam quaque verſum illico diſſeminata eſt à Fratribus;) viſum eſt eam Quaſtionem eſſe quale illud quod Athenienſes apud Pauſaniam vocabant* forum mendaciorum, *pra tanta vbertate falſiloquiorum circa geſta & perſonas; cùm nihil planè Author quaſtionis attingat, quin illud luculento, imò lutulento aliquo mendacio, ſæpè etiam pluribus conſpurcet atque contaminet. Non igitur debetur immunitas libris Cyriacorum, ex eo capite quod careant falſiloquiis mendacibus, & deprauationibus, ac ſuppoſitionibus, & ſimilibus corruptelis: non per incogitantiam ſed mala fide factis. Vnde ergò eſt quod tanta cœnoſitas pleraſque eorum Scriptiones inficiens, nullius ſortarij detergentis curam eſt nacta?*

RESPONSIO.

QVam bellè Te ſimilem probas impudoratis illis pellicibus, quas *honeſtatis victimas* vocat Tertullianus; quæ contumelioſo anhelantes ſpiritu ac domeſtici opprobrij conſciæ, dum rixas mouent pudicæ ac nobili Matronæ; anticipato fraudulenter conflictu, innocentem reæ præueniunt, onerantque elinguem pudicitiam, inuidiâ criminum quibus ipſæ conſpurcantur, trahentes in velamentum propriæ infamiæ, exprobationem alienæ. Germanum ſi quidem libelli Tui ſpecimen exhibes in Antonio Reginaldo Cyriaco expoſtulato, cuius Quæſtioni Theologicæ ac Hiſtoricæ, præcoce criminatione impingis omnia miſellæ Tuæ Scriptitationis dehoneſtamenta. Tanquam itaque de Tripode, in Te-ipſum pronunciaſti, factus ex Iudice reus; ridentque Te rediuiui Hincmarus Senex & Iunior, quòd in ipſo Scriptionis Titulo cæſpitatis, coniectantes ex putrido capitis fœtore, exundans pe-

cæteras corporis regiones venenum. Quis amabo Bambalionem hunc non rideat, primo greſſu & in ipſo Operis veſtibulo fœdiſſimè lapſum? quem reatum, nec incauta primæ pagellæ mutatio eluit, ſed auxit nouo errore, dum per Cyriacos, denuntiat intelligendos *Dominicanos*, acutiſſimè Græciſſans: *κύριος* enim vertitur *Dominus*, vnde Cyriacus ceu *Dominicus*, Te autem ridiculo interprete, *Dominicanus. Petrus autem neſciebat quid diceret.* Cæſpitatio illa, luculentum & lutulentum eſt Imperitiæ argumentum; cui annexus eſt infamis lapſus iudicij, dum in ipſo limine, & in renouatâ ſolius primæ paginæ editione, infandum opus dicas Summo Pontifici Alexandro VII. à quo iam Romæ notatum & cum impiis affixum columnæ infami non licuit ignorare, non minùs quàm in Galliâ ob impietatem in Dei-param & Sanctos, flammis feralibus iteratò combuſtum; & tamen dum Chriſtum cum Matre traducis, portentoſi ac ſpurciſſimi Tenebrionis protectorem ac patronum tibi aſciſcis Chriſti Vicarium? Ab hoc ergò cancroſo libelli famoſi capite, quæ erit reliqua membrorum compages, niſi perpetua mendaciorum illuuies, calumniarum contagioſa infibulatio ac peſtilens gluten? Hoc non gratis inductum à nobis, quod & luculenter hùc vſque euicimus, latiùs adhuc comprobaturi. *Ignorantia.*

Tu verò nugax Bambalio, multa effutis contra Antoninum Reginaldum, ſed nihil probas. Recordare Grammaticule Tui Deſpauterij dicentis, *Sine Teſte nihil volo Tale.* Tibi nulla fides, teſtes expectamus. Dicis, Quæſtionem Theologicam Reginaldi editam, non Venetiis vt fert Titulus, ſed Toloſæ: non anno 1607. ſed 1644. Probandum Tibi inſtat, ratione aut teſte, vtroque cares: ipſeque Reginaldus ſimila obiecta nouo Opuſculo olim diluit. Subiungis, aceruum eſſe mendaciorum, Quæſtionem illam; Ille ex oppoſito probat confertam ibi recondi veritatum meſſem: & in hoc colluctantium Partium agone; quem Iudicem ſtatuis, quos adducis teſtes controuerſiæ dirimendæ oportunos? Reſpondes Gabrielem Enao, & Franciſcum Annatum. In ore duorum vel trium ſtat omne verbum: Et ego, inquis, duos offero omni exceptione majores, probatiſſimæque fidei viros. Certè non abnuo. De Enao quem non noui, credo, de R. P. Annato quem perfectiſſimè noui & colo, quod dicis ſcio, & palàm ſpondeo, de eâ veritate,

multiplici, mihique proficuo experimento conuictus. Verùm ambo Molinæ ſequaces, imò, nec hoc dicens à veritate abludam, Scholæ Moliniſticæ primarius, P. Annatus. Nollet ergò vir ſummè grauis ac æquitatis amans, aſſumi in teſtem è Lycæo Antithomiſtico contra virum Thomiſtam & antiquum Antagoniſtam. Quid inde? inquies. De Te aduerſus Te concludo,& *ex verbis Tuis Te iudico, nequam*. Nam in penultimo §. rem ſic definis. *Itaque citare hoſtem in teſtem cùm ſit ridiculum, deprehenditur aperta mendacitas Tua*. Sed quid ridiculius, quod Te-ipſum conſtituas Iudicem? Ais enim. *Mihi quidem viſum eſt*. Loqueris, vt Apoſtolus Petrus; & adhuc illo altiùs. Petrus dixit, Viſum eſt Spiritui S. & nobis: Tu excluſo omni collegâ, *Viſum eſt mihi*. Sed non potes adiicere vti Apoſtolus, Spiritum Sanctum, qui docet omnem veritatem: *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis*: Sed viſum eſt Tibi & ſpiritui mendacij, à quo duceris; factaque eſt hôc inſufflante, lingua & os ſenile, non templum veritatis, ſed *forum mendaciorum*, præ tantâ falſiloquiorum vbertate ac exundantiâ, vt nihil planè attingas toto libelli decurſu, quin *luculento aliquo mendacio*, ſæpè infibulatis ad inuidiam commentis, conſpurces, ac probroſè contamines. Hæc ſola in Te prudentiæ ſcintilla eluxit, quòd nihil ſingulatim contra Reginaldum adduxeris, ex quo Impoſturæ reus teneretur, ſciens Te ſtatim velut irrogatæ Calumniæ authorem exſufflandum. Quid ergò purgabo in eo, cui Tu nihil ſingulare purgandum adſcribis? Quære interim non vnum, ſed innumeros *ſartarios* detergendis infinitis cœnoſitatibus, quæ opus Tuum vbique inficiunt; fatereque Cyriacorum libros non inſimulari falſiloquij, deprauationum, aut corruptelæ, niſi à mendace, falſidico, falſifico, perjuro ac Impoſtore iurato, Pſeudo-Petro à Valle-Clauſâ.

Act. 15.

SEPTIMA REFLEXIO.

An Cyriaci, ſeu Dominicani, ſcribant Libros amaros & mordaces..

SINGVLARI gratitudinis Encomio tenellam Petri indolem celebremus, qui ingenitos Cyriacis ruſticantibus acores, efferatumque ſcribendi genus molliendi artem nos edocet; & nouo inſitionis genere, colligit ipſe de Spinis Vuas, de Tribulis Ficus & de amaricante Oleaſtro, dulces Oliuas. Oleaſter ſuâ infœlix & amarus eſt in naturâ, inquit D. Zeno; Sed cum fuerit peritiſſimi Agricolæ artificis manu, neceſſariâ prouiſione truncatus; nobilitate alieni ſeminis grauidatur, nutriturque ab eo ipſo quod nutrit, donec hoſpitis germinis adoptiuâ pinguedine aſſumptus, imò pinguedo ipſe factus, totuſque in acceptum tranſlatus, in honore nouæ frondis promotione, ramis reſurgentibus ornatus exultet, iam non Oleaſter ſed Oliua: cum & Oleaſter ſit, & tamen Oleaſtrum ſe non eſſe, quodam modo etiam ipſe miretur. Pro innatâ benignitate (ſcilicet) optaret Aduerſarius Cyriacos depoſito congenito animorum acore, & aſſuetâ calami cruorem ſtillantis mordacitate, quâ indiſcriminatim in extraneos omnes ſæuiunt, lacerantque, inquit, quos volunt, effræni impunitate; temperantiùs ſcribere, mollireque ferocem ſtylum, ex acerbo Oleaſtro euadentes dulcis Oliua Verùm dictis facta diſcordant, euertitque ipſe linguæ dulce ſpirantis magiſterium, effusâ & bruteſcenti mordacitate; carpitque ſe ipſum in eo quod vrget in aliis, nuſquam ferocior quam cùm vrbanitatem inſpirat & indicit. Audiatur.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Cyriacos mordacitatis, Conſtantinum Caetanum Abbatem Benedictinum, inſaniæ notâ onerat.

§. 116. *Adeò feruent Cyriaci in tuendâ charitate, vt cùm Conſtantinus Caietanus, homo ſemi-inſanus, (compertiſſima dico,) alios fœdè, nec obiter, ſed ex inſtituto proſcinderet; tamen Frater Caput Cucurbita, de eo cum moderamine inculpata tutela obiter repulſo, magnos conſciuerit rumores. Ioannes* DIATRIBA 7. *autem Rho hoc ſolo titulo victima Belliani liuoris ceciderit (vt poſtea dicam:) Bella charitatis larua cum lubet. Nam Leo Allatius, qui fatuum illum diſcerpſit, quia Patrono nitebatur Eminentiſſimo, non eſt exiſtimatus violaſſe charitatem, & indemnis abiit. Ipſi verò Cyriaci quia ſciunt ſecurè ſe mordere poſſe; quouſque libuerit conſcerpendo, non violant charitatem iudicio Sodalium; & idcircò lacerationes aliorum impune ferunt. Pauca de innumeris exemplis annoto.*

RESPONSIO.

Deferendus erat à placidâ & albicanti columbâ ramus Oliuæ, pacis & charitatis ſymbolum: à Coruo autem tetro ac carniuoro, quid expectes, quam roſtrum crudeli lanienâ rubens, crocitans guttur, vocemque raucedine ominosâ attonantem? Lenitudinem ſuaſurus in ipſo Diatribæ aditu, furorem illicò ſpirat inſolitum laruatus hoſtis; conſcerpſit pacem, violat charitatem. Furis, Petre, velut aper, quem natura ferox expulit è ſyluâ in apertam Regionis vicinæ perniciem; vt indiſcriminatim ſæuiens, mortalium innocentiam, Cælitumque honorem ferino dente proſcindas Vellicant, inquis, Cyriaci; Tu laceras: Mordent illi, Tu mactas; & adhuc illorum morſus, figmentum eſt Tuum. Aprino dente Tuo cruentatus, deſpumat ſanguinem Conſtantinus Caietanus, quem ſemi-inſanum & fatuum omnibus denuntias; Et hoc eximiæ charitatis Tuæ inſigne documentum. Non obiter, ſed ex

inſtituto, fœdéque diſcerpis illum. Quid enim Inſano ſupereſt, cui cum ratione, quæ vnicum eſt hominis bonum, periere omnia bona, communi naufragio abſumpta? Nec ambiguo ſtigmate illinis hóc probrum; ſed, vt inquis, certiſſimo ac compertiſſimo; ita vt Lectori de proſtratâ viri ratione nefas ſit dubitare. At quem virum ſic ignominiosè traducis? Abbatem Congregationis Caſſinenſis Ord. S. Benedicti, & Abbatem Præſidentem ac Fundatorem Collegij Gregoriani in vrbe: quem Clemens VIII Romam euocauit vt præeſſet Editioni operum S. Damiani, ſicut teſtatur Paulus V. laborum eius approbator, in Diplomate ad eum directo. Illius meminere cum laude, Baronius ſæpè, maximè an. 1572. Bellarminus in Damiano. Suares lib. de Religione in particulari. Poſſeuinus in Apparatu. Gretſerus aduerſus replicantem Caluinianum. Sirmundus pariter Ieſuita, in Opuſculis. Hunc autem tot Doctorum, Cardinalium, Pontificum Elogiis celebrem, & ex præcepto ſanctæ Sedis, pro Eccleſiâ Catholicâ adlaborantem; Tu vocas hominem *compertiſſimè inſanum & fatuum*? Semi-inſanum ergò & fatuum, Pontifices rebus ſacris præficiunt, approbantque lucubrationes eius? Hæc quæ de ipſo adduxi Elogia, habentur in Prolegomenis ad 4. Tomum Petri Damiani. *Mordacitas.*

Quò ergò, nón dico acoris & mordacitatis (vt ſtolidè Cyriacis irrogas) ſed furoris & contumeliæ prorupiſti, vt clangore inaudito dementatum proclamares virum, quem genus, pietas, doctrina, dignitas, grauitaſque ſingularis honeſtant? *Bella Charitatis larua, cum lubet!* Quid facies dum iræ laxabis habenas, qui charitatem aliis imperans, conſcerpis, diſcerpis, laceras, fatuumque denuntias, quem Sacri Magiſter Palatij æquo iure à petulantium iniuriâ tutatus, compeſcuit lacerantes? Imprudens quid Leonem prouocas Allatium? Vno vngue exenterabit pœnis addictum *Leo* Dei Miniſter, & vindex Euangelij, de cuius præiudicatâ ſententiâ, *Qui dixerit* fratri ſuo *fatue*, reus erit gehennæ ignis. Vnde meritò vltus eſt maledicentiam Tuam duplex ignis Gallicus; concidetque in fruſta Tuum *Cucurbitæ caput* exaſperatus Leo, eo quod victimam, Belial & Belano furori, innocentem addixeris. Expectabimus interìm quid Tu cum Tuo Ioanne Rho ſis dicturus, quandoquidem placet Tibi imparatam & immaturam differre

querelam. Cæterùm in recenſione Apum Vrbanarum quæ habetur initio 4. Tomi Operum Damiani, præfati Conſtantini Caietani laudes vberiùs profunduntur.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

F. Spinam inrroducit pungentem omnes.

§. 117. F. *Bartholomæus Spina, homo fuit nominis ſuj; Rhamnus inquam & Paliurus, non Scriptor. Opus ſpiſſum* de vniuerſali corruptione Generis humani *emiſſum poſt Sixti VI. Extrauagantem, eſt vna perpetua lepra maledicentia, aduerſus agnoſcentes Conceptionem paſſiuam Deiparæ fuiſſe immaculatam; quam Spina contendit eſſe apertam hæreſim, à Satana excogitatam, atquè adeò manifeſtè incurrit Excommunicationem à Sixto latam. Alibi vbique, ſemper crepat conuicia; Opiniones probabiliſſimas, & aliquas certas ſententias, ſi minùs arrideant, confodit illico vt hæreticas. Ex eius Sentibus in Scotum, & Antonium Andræam, atque Mauritium Hybernicum ac reliquos Scoti aſſeclas, facilè confici poſſet faſcis magnæ molis, percurrendo perfunctoriè digreſſiones quas ſubtexuit Lectionibus S. Thomæ in Metaphyſicam, aureo peplo craſſam telam & verè maſtrucam Sardoam ſubtexens. Si ſeriò & accuratè agendum eſſet, Opus vniuerſum eſſet repreſentandum. Sertum tamen modicum ex carptis hinc inde Sentibus apponere, omninò decreueram: ſed auſpicatus aliqua legere ac decerpere, vidi eſſe abſiſtendum. Nam tantâ ruſticitate & ſpinoſitate, per ſingulas digreſſiones agit cum Scoto & Scotiſtis, vt nihil ſit quod ſeligi poſſit. Vbique crepat delirationes Scotiſtarum, ingenij hebetudines, iudicij imbecillitates, chimæras, phantaſias, ſtultitias, mentem emotam; & quid non? Sunt ſemper, (ſi Spinæ creditur,) Scotiſtæ in tenebris & profundâ caligine; & neſcientes quid dicant, quiduè impugnent aut defendant, palpant ſicul cæci in meridie. Solus Spina & qui cum eo ſunt, luce in tenebris fruuntur, ipſo quidem Iudice. Diceres reueniſſe tempus, quo Filiis Iſrael luce ſerena potientibus, miſeri Ægyptij tenebris attrectabilibus offundebantur. Quam religioſa ſit hæc cum Religioſis agendi ratio, ſuperuacuum ſit exponere; cum luce meridianâ clarius ſit, Religioſo*

eſſe temperatè ſemper ac verecundè cum talibus agere. Nam ſi Patres etiam cum Hæreticis agentem, vetant efferari; & verbis amarulentis aut ex impetu vibratis, ferire aduerſarium, tametſi à Fide alienum, prohibent; quanto magis neceſſario eſt habenda agendi ratio temperata, cum Chriſtiani & Religioſi laceſſuntur? Concitatio eiuſdem Spinæ in Pontificium, & verborum aſperitas quâ in eum fertur abſque vlla moderatione; tribui fortaſſis queat Iuſtitiæ cauſa quam Spina tuebatur. Sit ſanè ita. Sed tamen hominis Religioſi eſt, cum perſonâ ſuâ loqui, & nihil vnquam indecorum gerere. Quid verò miramur horrere Spinam, nec niſi aculeos præferre, agentem in Religioſos, aliaſque priuatas perſonas? Spinæ aculei in Patres Tridentinos, extant in Præfatione eius ad opus Turrecremata Magiſtri ſui de Conceptione quod interpolauit & inſerſit pro libidine. Ibi leguntur hæ rabioſæ ſpumæ. In Concilio Tridentino non fuerunt docti Theologi, ſed homines audaces & vani, qui popularem auram captantes, decretum in fauorem immaculatæ Conceptionis B. Virginis edendum curarunt. *Petulci pecoris beſtialitatem ſciens dimitto. Audaciorem & amariorem Scriptorem non eſt reperire.*

RESPONSIO.

VTinam tantâ Te dulcedine diuina Eloquia ineſcarent, quanto Te lenocinio garrulæ Poetarum proluſiones delectant. Non lateret Te celebris ille Apologus, qui nono *Iudicum* capite, in generalibus Arborum comitiis, tribus vegetantis naturæ virgultis, regiam ſuper ligna offert coronam, ſed pari deſpectu reſpuendam. Repellit Oliua, nolens amittere imperialibus curis, natiuam pinguedinem: nec Ficus, dulcedinem: nec Vua, vinum; *Dixeruntque omnia ligna ad Rhamnum, Veni & impera ſuper nos; quæ reſpondit eis, Si verè me Regem conſtituiſtis, venite & ſub vmbrâ meâ requieſcite, ſin autem non vultis, egrediatur ignis de Rhamno & deuoret cedros Libani.* Sola (Scripturam potius ſequimur quam Grammaticulos, qui Rhamno maſculeum aſſignant genus.) itaque Rhamnus, Regio veneranda ſplendore, tot ſtipatur cuſtodiæ militaris Heroibus, quot ſpinis ac ſentibus hirſuta conſurgit. Si intra debitos modeſtiæ ac rationis limites concluſa petulcitas Tua quieſceret; Bartholomæus Spina, quem deriſoriè & ludicrâ

nominis appellatione ſeu alluſione, Rhamnum indigitas, vmbraculo indulgente Tuas tegeret aut cōdonaret ineptias; verùm quia ſuccenſes, & ore proteruienti ſugillas, confodiet Te ſpinis ſuis Paliurus, & nouo igne de Rhamno egrediente, amburet mordacem flammans & aculeata Majeſtas. Habet & ſuas ſpinas Regina florum Roſa, non vt innocuos digitos pungat, aut cruentet blandientes, ſed quibus, inuolantem in ſe manum acuminato enſe repellat. Pungit Spina noſtra, *Bartholomaus Spina*; non quos inuenit Catholicè & iuxta Pontificum Decreta locutos; ſed petulanter & irreligiosè graſſantes. Veris ſubſcribit; falſa depellit; erronea in Fide confodit illicò vt hæretica; nec experti in ipſo Scotiſtæ aliam, quam argumentorum ac rationum molem; non aureo peplo prout garris, ſed auro pnriſſimo prædiuitem; non inuenere craſſam, ſed ſubtilem telam in eo; non maſtrucam Sardoam, ſed veſtem polymitam, regioque apparatu fulgentem.

Velles lymphate Scurra, (qui non *ſeriò & accuratè*, ſed ludicrè ac mimicè Te acturum ſpondes;) ruſticitate innatâ ac cruentâ ſpinoſitate horreſcens, collidere ad inuicem Ordines Religioſos, Cherubicum ac Seraphicum, incendere Minoritas in Prædicatores, & hoſtili colluctatione diſſociare, quos primæua vtriuſque Profeſſionis ſtatuta, æterno pacis ac dilectionis fœdere conſtrinxerunt. Attende rixarùm diſſeminator profane, quam feruido charitatis æſtu implicentur Franciſcanis Dominicani, & reciproco glutine Dominicanis Franciſcani. Ex innumeris vnum ſeligo mutuæ huius dilectionis luculentum & recens ſpecimen. Valentiæ in Hiſpaniâ in capitulo Generali Fratrum Prædicatorum an. 1644. ita præſcribitur. [Cùm Seraphica S. P. Franciſci Religio noſtrum Ordinem charitatis fraternæ brachiis amplexa, in vltimis Comitiis quæ Patres Minores de Obſeruantiâ Toleti habuere, ſeriò ordinauerit, quod Magiſter Ordinis, Prouinciales, Priores, cæterique noſtri Ordinis Prælati & Fratres ad inſtar propriorum in ſuis Conuentibus recipiantur, & reſpectiuè honorentur, idque cum effectu, ſummâ cum charitate erga perſonam Reuerendiſſimi P. Generalis noſtri executioni demandauerint, ideò vt & debitum gratitudinis officium rependamus, & foueamus illū diuinæ charitatis ignem, quem in cordibus noſtris arderę erga præfatos, S. P. Dominicus

præcepit; aliàs ordinata à noſtris Conſtitutionibus innouantes, omnibus & ſingulis Prioribus, ſeu locorum & Conuentuum præſidentibus mandamus, vt Fratres omnes Minores, & præcipuè de Obſeruantiâ, ſicut noſtros charitatiuè in ſuis Conuentibus recipiant, eorumque Prælatos, & præcipuè Reuerendiſſimos PP. Generales cum omnibus reuerentiæ & charitatis indiciis honorent ac venerentur. Atque interim Ordinamus, vt quotieſcumque in tertiis Feriis fit officium de S. P. Dominico, fiat etiam memoria de S. P. Franciſco.]

Simul ferè enatæ hæ Religiones, quas ambo parentes intimo amoris nexu colligarunt, nequeunt à ſe diuelli. Mittuntur ſimul à Gregorio IX. ad Tartaros & alios populos Orientales conuertendos. Gregorius X. inquit Spondanus an. 1274. iniunxit Prouincialibus Prædicatorum & Minorum, vt ſacrum bellum per vniuerſas Prouincias indicerent, & ad illum iuuandum & proſequendum ardentiùs compellerent Chriſtianos. Miſſi fuerant anteà ex eodem Spondano anno 1233. n. 3. duo ex Fratribus Prædicatoribus, Hugo & Petrus & totidem ex Fratribus Minoribus, Aymon & Rodulphus, ad Græcos pro vnione cum Eccleſiâ Latinâ reſtaurandâ. Subditque idem numero 6. [Fœlicior in Italia, pacis per earumdem Religionum Fratres procurandæ ſollicitudo: quam enim tot Cardinalium authoritate haud præſtare potuerat, ſibi procurandam ſtatuens per Fratres Prædicatores & Minores, illâ maximè tempeſtate, doctrinâ, pietate atque integritate præſtantes.] Vexatos Magnatum infeſtatione vtroſque Innocentius IV. indiuisâ protectione communit, vt teſtatur præfatus Auctor an. 1245. n. 35. & in Concilio Florentino Eugenius IV. duos eligit Dominicanos & vnum Franciſcanum, qui collato pede cum Græcis diſputent coram Synodo.

Sic ergò præcepto, charitate, ac munere conſociatos Ordines, quâ arte malignâ, & ſeditioſo ſpiritu poteris in ciuile & irreligioſum certamen dare præcipites? Verùm ſicut cæleſtes globi, concordi motione torquentur; nec oppoſitis licet rotationibus agitatos, pugnare ad inuicem patitur, qui fecit concordiam in ſublimibus ſuis; dantur tamen immenſæ cuiuſque molis, ſaltem planetariæ, perpetuâ pace ex vniformi motu gaudentis, particulæ quædam à lege communi deuiantes, globulique ſingulares,

(quos Excentricos vocant) irregulari, legitimâ tamen motione circumacti. Sic indiſſolubili fœdere colligati præfati Ordines, dum illibata pace fruuntur, exerrant interim globuli Excentrici: particulares quidam vtriuſque Inſtituti profeſſores, pro domeſtico cuiuſque erga propriam familiam affectu, ſæpe erratico, moriunculas interdum quaſdam ſuſtinent, & leuicula literarij agonis exercent præludia & prælia. Nec certè ita ad amuſſim verba exigunt, quin condonabili abrepti calore aliquando vltra prudentiæ limites diffluant, aut inculpatâ tutelâ illatam retundant & amoliantur iniuriam.

Hoc ſe iure tuetur Bartholomæus Spina, dum repellenda ſuſcepit tela, quæ Scotus aut Scotiſtæ quidam in D. Thomæ doctrinam acriori ſtylo intorſerant: reponitque ſolùm indulgente adhuc calamo, quæ illi duriuſculè impegerant. Sciunt nec queruntur quos premit, licitam defenſionem, nullumque in iuſto bello impunè læſum. Tu ſolus actionem in Spinam inſtituis, proditque vulnus latens aperta querimonia. Oſtenis impreſſos, non Scotiſtis, ſed animo Tuo transfodientis Spinæ aculeos, patenteſque exhibes rimulas, quibus foris erumpunt internæ delirationes animulæ Tuæ, ingenij hebetudines, iudicij exerrationes, chimæræ, phantaſiæ, ſtultitiæ, inuiſcerata maledicentiæ lepra, mens emota, caligo perpetua, quâ palpans ſicut cæcus in meridie, aliis putas inuſta dehoneſtamenta, quæ experiris interiùs, diceréſque (Tulliana Elocutio!) *reuertiſſe tempus*, quo Cyriacis (veluti Filiis Iſrael contigit) luce ſerenâ potientibus, miſer ac teter Ægyptius, tenebris attrectabilibus offunditur, ſeminans diſcordias & bella commouens inter celeberrimos Cœtus, quos antiqua & paterna placita indiuiduo nexu coniunxere. Hinc admoneantur Lectores, Te ſub habitu Religioſo, omnem penitùs Religionem eiuraſſe. Quàm enim (vt Tuis verbis in Te-ipſum vtar) Religioſa ſic hæc cum Religioſis agendi ratio, ſuperfluum ſit exponere, cùm luce meridianâ clariùs emicet, Religioſi eſſe, ſemper temperatè ac verecundè cum talibus agere. Nam ſi Patres etiam cum Hæreticis agentem, vetant efferari, & verbis amarulentis aut ex impetu vibratis, ferire aduerſarium, tametſi à Fide alienum, quantò magis habenda agendi ratio temperatior, cum Chriſtiani & Religioſi laceſſuntur? Quid autem in

putidum & nefandum Tenebrionem coniecisti, præter gerras, nugas, mendacia, probra, infamationes, calumnias, conuicia, *rabioſam ſpumam*, diabolica commenta in viros Religioſos & vniuerſum Prædicatorum Ordinem? Concitatio, vt fateris, ſi quæ, vel leuicula fuit eiuſdem Spinæ Cyriaci in extraneos, maximè in Pontzibinium; & verborum aſperitas quâ in eum fertur, arrogetur æquiſſimo Iuri cauſæ quam Spina tuebatur. Sed Tu quâ iuſtitia? quo iure? quâ lege, adeò horridè, putidè, calumnioſè, contumelioſè debacchatus es in cœtum Regularem? Hæc non Tibi imponuntur, quæ ex virulento & continuo libelli Tui contextu horreſcunt & eminent: ſicut Tu pro mendacitate Tibi congenitâ, imponis Spinæ, quem in Patres Concilii Tridentini deblaterantem falſo inducis, petulci pecoris beſtialitatem quoquo verſus diffundens Siquidem operi de Conceptione a Cardinali Turre-cremata edito, nulla præficitur Bartholomæi Spinæ præfatio, ſed Alberti Duimii de Cathano Dominicano, vt intuenti patet. Nec verum, interpolatum à quoquam illud Opus, ſicut nec continentur in eo quæ affers propudioſa verba in Patres Concilii Tridentini, vbi tot tantoſque ſapientiſſimos Theologos ex Ordine ſuo adfuiſſe, non ignorauit Spina: ſed eorum faber & figulus, Pſeudo-Petrus.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Mordaciſſimum fingit Canum.

ACeruandis ſpiculis verborum quæ intorſit F. Melchior Cano, in quoſcumque agit; exigeretur pharetra admodum capax. Ex quo enim occupatus eſt æſtro in aliquem, non parcit, nec pænitudine flectitur; ſed ſagittas ſuas ardentibus efficit. §. 118.

RESPONSIO.

EXhauſta eſt pharetra Tua, miſerande Senex, nec amplius quæ contorqueas, ſuperſunt ſpicula, aliunde corrogata. In Te ipſum relapſus, quæ Tua ſunt promis; redditusque Tibi, nugaris, deſipis, inſanis. Non timet Canus à

ſagittâ volante per diem, nec *à negotio perambulante in tenebris*; quia quo plura vibrantur, abundant illi ſpicula veritatis ac zeli; vt potè qui *ſagittas ſuas ardentibus effecit*, mixtuſque cum luce ardor, quos illuminat accendit, ingeritque vnâ cum pietate doctrinam. Cæterùm nec pœnitudine fictâ flectitur oculatus Præſul; nec parcit obfirmatæ impœnitentiæ, intrepidus Cenſor. Vnde hoc duplici titulo, Tibi à ſpiculis Cani cauendum. Cuius interim illuſtre ſpecimen exhibebit Lectori Franciſcus Garcia Societatis Scriptor; qui in Prolegomenis Euangelici Concionatoris de Eccleſiæ Canarienſis Præſulibus(qualis fuit Canus, qui depoſitâ dignitate, amore ſolitudinis ad primæuam Clauſtri quietem rediit) loquens ait. *Quod in primis laudandum, tanti interdum Theologi (eam rexere Eccleſiam) vt quod Tibi perſuaſiſſimum eſt, veriſſimè poſſim affirmare, vnum Melchiorem Canum ſuſpicienda Monachalis Toga authoritate, acumine ingenii in diſſerendo, conſtantiâ atque fœlicitate argumentorum multiplici nexu vinctorum robore, in ipſa Doctorum Inſtituti Dominicani Academia, potuiſſe integræ claſsis vicem præſtare.* Hic eſt ille Canus Theologus Concilii Tridentini & Epiſcopus Canarienſis, qui ſagittas ſuas ardentibus effecit in Nebulones & impios, ſimiles Tibi.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Queritur amarulentum eſſe Grauinæ ſtylum.

§. 119. *F. Dominicus Grauina verba amarulenta fundit aſſiduè. Ex aridis eius vocibus, Lexicon ſpiſſum confici poſſet, tametſi plerumque mordet, non in ſibilo, lentè in ſpeciem incedens, ne ſcandulas in Ornithonem contingeret durior calcatio.*

RESPONSIO.

AMarulenta & grauia Tibi ſunt Grauinæ verba; importuna palponi ſimul & triconi aſſiduo, ex cuius imperitis & acidis vocibus confici poſſet ſpiſſum Lexicon. Lentè ille incedit, quia pede librato ac graui; Tu præceps & fu-

ribundus incurris, pendulo pede & animo leui. Compeſcere nouit ille non calcare, quia correctioni ſtudet,non Typho. Te in perniciem, non in profectum aliorum imminentem probat *durior calcatio*, ſcriptio virulenta. Cæterùm videris nobis tenebrionis, ſeu furis nocturni imitatus artem, qui in Ornithonem ſecreto delapſurus, vt aues inibi concluſas furto extrahat; aſcendit tectum domus lento ac laneo pede, incedens ſuper ſcandulas ſeu tegulas, ne ex tumultuoſo pedum ſonitu aut concuſſione tecti excitatus dominus, latrunculum aduertat & capiat, patibulo affigendum. Audiſti Grauinam aſſeruare Turturem in Ornithone; inſcripſit enim quoddam Opus ſuum, *Vox Turturis*. Velles Tu ſub laruâ latens, audax Tenebrio, auiculam ſuffurari, & ne deprehendaris, *neuè ſcandulas in Ornithonem contingeret durior calcatio*, laruaſti ſtylum, ſicut & faciem; & ænigmata non argumenta exhibet plebeia ac vilis elocutio, nihil ſingulare obtrudens, nihil probans.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Bzouium dum mordacitatis arguit, diſcerpit & cruentat ipſe.

F. *Abraham Bzouius Ord. Cyriacorum perexigui iudicij Scriptor, nec tam Author quam Conſarcinator, emiſit multa volumina continuationis Eccleſiaſticæ hiſtoriæ poſt Baronium, cui ſuccedaneam in eo argumento operam nauauit; vt obiectu contrarij, magis eluceſceret Baronij accuratio, iuxta Philonis obſeruationem lib. quis rer. diuinar hæreſ. Tomi Bzouiani ſunt potiùs Annales Dominicanorum, quàm Annales Eccleſiaſtici; eſt enim totus in rebus domeſticis efferendis, ac dilatandis; niſi cum aliquid Ordini probroſum, quod conuellere non poſſet, malis auibus in hiſtoriæ ſeriem incidit. Tunc enim ſupra piſcem tacitus abit. Et cùm agitur de mordendis & riſui omnium exponendis Fratribus Minoribus, probat exquiſitè diligentiam; arripit omnia, ſiuè apertè falſa, vt quod de rabie Scoti morientis exarauit; ſiue è ſolis rumoribus inanibus hauſta, vt cùm Fratrem Berthodum infamat ob inuentas bombardas, & aliis ſexcentis locis conſimilibus. Fraticellos Hæreticos, nullo iudicio confundit cum Fratribus Minoribus. Nihil prætermittit ſcurrile* §. 120.

quo Fratres Minores poſſit ridiculos reddere. Hæc eſt modeſtia & mordendi abſtinentia, notaque charitatis in Cyriacis.

RESPONSIO.

ANimi Tui ſpecimen importunum quid nobis toties ingeris, tot experimentis compertum, quot calamo ineptiente lineas exaraſti? Bzouius, inquis, perexigui iudicii Scriptor; Tu nullius. Iudicium Bzouii in ſcribendo nemo damnauit, niſi qui ſenſit calamum;& veritate rerum quas ille hiſtorico candore contexuit, offenſus,in Scriptorem detorquet, ſauciati animi puerilem vindictam. Hoc etiam ſenſu Conſarcinatorem,non Authorem, qualem Tu exprimis Bzouium,vltrò admittimus,vt Tibi hoc decus vltrò cedat. Conſarcinat ſiue coaceruat ille rerum quæ verè acciderunt hiſtorias nihil de ſuo addens præter ſtylum,nexum & iuſtam debiti ordinis ſedem: vnde non rerum Author aut factor dicendus,ſed Collector. Tu verè figulus & author ſtropharum quas huic miſellæ ſcriptitationi inſeruit rabioſa mendacitas. *Vocas* enim *ea quæ non ſunt,tanquam ea quæ ſunt.* Fingis hiſtorias; affingis Authoribus quæ nunquam ſomniarunt; vt non Collector aut Conſarcinator, ſed Faber & Author omnium quæ ſcribis,meritò habearis. Volumina Bzouiana Baronianis ſuccedanea, ſimillimâ luce refulgent; nec paruum Bzouii Elogium, quod inter cæteros ſui æui Scriptores, ſatagentibus pleriſque Patribus Purpuratis (qui in primâ eius Præfatione ad Lectorem recenſentur,) & approbante Paulo V. Baronio ſucceſſerit in ſcribendâ hiſtoriâ Eccleſiaſticâ.

Impoſtura.

Nugaris interim dum Scriptorẽ indigitas rei Dominicanæ non Eccleſiaſticæ: probas enim hac ſcurrili ſugillatione, Te aut ex compoſito mentiri, quod Tibi familiare: aut nec primum Bzouii limen attigiſſe,deceptum fide alienâ, maximé Thadæi Dermitii; ex quo hæc nugamenta exſcripſiſti. Quale illud de Scoto, quod Apologiſta Bzouii, qui habetur ad calcem Tomi XV. Bzouiani, mirâ facilitate ac efficaciâ depulit. Sicut & Spondanus per omnia Bzouio ſuffragatur,circa id quod obiicis de Fraticellis. Videſis Spondanum an. 1322, n. 15. & 17 an 1324. n. 5. & 6. an 1329. n. 6. an 1335. n. 4. & alibi. Qui & cum Bzouio

ſnuehitur in bombardarum inuentores; cuius verba ſubiungo. An. 1344. n. 4. [Bertholdus Schuuarts, ſiue Niger, Monachus qui tormentarium pulucrem inueniſſe dicitur, anteâ vixit, quem nihilominus non niſi circa an. Domini 1355. vel etiam vt plures ponunt 1380. tartareum ſuum inuentum produxiſſe in Germaniâ tradunt: qui ſi rebus ſacris & Religionis ſuæ cultui tàm operam dediſſet, quàm alienæ ſcientiæ, non hanc peſtem in orbem inuexiſſet. Cuius inuentor ſiue is fuerit, ſeu fortè aliùs, dignus exiſtimatur, qui vt Perillus taurum æneum, ita ipſe tormenti à ſe inuenti vim in corpore ſuo experiri debuiſſet.] Sic Spondanus, ſic Bzouius Scriptores ſacri chriſtianè detonant, irreligioſumque ſe probat qui hanc eorum pietatem proteruè ſuggillat.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Combefiſii ferulam quam auſteriorem queritur, non effugit.

F. *Franciſcus Combefis, velut auſterus Orbilius ſic ſe hactenus geſſit, vt pauci eius ferulam effugerint. Quomodo SS. Chryſoſtomum, Martinum ac Maximum exceperit; dictum eſt ſuperiùs. Qui in viridi ligno hæc fecit, in arido quid præſtabit? Balthaſarem Corderium, & Petrum Lanſſelium, vocat* præſumptores, *qui multâ temeritate, erroribus non ferendis, S. Maximi Scholia contaminarunt. Sic ille modeſtè Tract. de cauſâ Honorii c.* 3. §. 3. *In notis ad Aſterium, vnguibus & roſtro Andræam Schottum lacerat, &* deſipientiæ ac infantilitatis in Græcis *arguit*; cuius aſyſtaſiæ *id eſt, à ſcopo aberrationes* inter vertendum latinè Græcum opus, ſint perpetuæ. *Fronto Ducæus, Combefiſii iudicio, Tract. pro Actis 6 Synodi c.* 1. §. 3. ridiculus eſt in recognitione Nicephori; (*ſi ipſe author*,) & æquè fœliciter operam recognoſcendo Nicephoro nauauit, ac Chryſoſtomi omnibus, in Pariſienſi editione. *Omnes ferè Belgæ, ſunt* oſcitantes & rudes Græcanici contextus interpretes, *vt ait Combefiſius ad Anaſtaſium Sinaitam, oratione in Pſalmum.* 6. *Vincentius Richardius Procli interpres, ſcatet nauis, iuxta eumdem ſuperciliоſum Cenſo-* §. 121.

rem. Albertus Pighius, (*vt ait Combefiſius agens pro Actis 6. Synodi c. 1.* §. 2.) cæcante affectu, ſic abſonâ locutus eſt, quæ nec vix ebrius, vel delirans poſſit; *ſubiungitque*; Lenis ea cenſura, quidquid videatur habere duri. *Qui ſic mitis & lenis eſt in virum bonum, & Catholicum, (& velit nolit) non indoctum; quâ lenitate agit cum aliter ſe habentibus? Retexo quod dixi. Nam verè illa abſynthialis de Pighio pronuntiatio; ſuauis & expers acoris atque amaroris videri poterit, præ tractatione alterius ſupra Pighium Eminentiſſimi.*

RESPONSIO.

APuerili ferulâ, quâ diu infantilem pueritiam excepit; ad ſeueriorem euocatus Combefiſii ferulam, auſtero Cenſori pœnas dabit, ferox nec minùs laſciuiens Orbilius. Quid adeò euanidos exeris conatus, inualide Senex? Quinque vulnera inflicturus Combefiſio, altos in ſpeciem aſſumis ſpiritus; ſed labentis ædificii fultorem, ipſamet quam ſuſtines, moles exturbat. Patronum agis deſperatæ litis. In primâ rei excutiendæ ſcenâ, S. Maximus Græcus Author, & maximus Latinorum vindex, erroris infamatur à Latinis in Scholiis ad Dyoniſium. Pro Actoribus, & Sanctum culpantibus, Aduocati munus exequeris; pro Sancto temerè traducto, Combefiſius perorat. Iudicet Lector cui patrono ſit adſtipulandum, & an Combefiſii ſugillandus ſit zelus pro S. Maximo, ac pro eius ſanctitate agentis his verbis quibus tota rei ſumma explanatur. [Nolim aliquid addere iis quæ ſic accuratè Maximus pro Honorio diſputat, verè maximus Latinorum vindex, vbi ſe occaſio dedit, præſertim verò in Epiſtolâ ad Marinum de Proceſſione Spiritus ſancti à Filio, indignus certè vt ab iiſdem Latinis ipſe erroris infamaretur in eadem ipſâ materiâ, vbi præcipuè nihil loquitur, niſi ipſa Euangelii verba in Scholiis ad Dyoniſium; Si tamen à Latinis factum videri debet, quod malè Neotherici ambo ac Symmiſtæ, Dyoniſii eiuſdem Interpretes, Lanſelius & Cordelius S. I. multâque temeritate præſumpſerunt: quem eorum, alioſque non ferendos errores in Maximi illis Scholiis peculiari Opuſculo nuper ad illuſtriſſimum Clerum Galliæ perſtricta ſunt ac indicata.] Pro Sancto itaque Maximo ab erroris temerariè iniuſti notâ vindicando, imperitiam tantùm arguit

Irreligio.

linguæ Græcæ in Symmiſtis, nec culpat affectum. Eia Fratercule, Sanctorum, quos *abſcondit Deus in abſcondito faciei ſuæ à contradictionibus linguarum*, impugnator vis haberi, dum impugnantium cauſam ſuſcipis defendendam?

Atquid iterùm pro Andræâ Schotto in Combefiſium blateras, Cenſuræ Authorem indigitans, quæ ab ipſo non eſt prolata; quam Tu tamen velut ex ore eius profluentem diſtinctis characteribus obſignaſti? Reſpondes: Iuſimulauit eum *deſipientiæ ac infantilitatis in Græcis*. Ignorantiam quidem rei Græcæ in eo ex manifeſtis euincit ad Eclogas decem Aſterii ſermonum, nota 4. [malum Interpretem & & Paraphraſtem tribus ipſis verbis agens. Alia pro aliis ſubſtituens minori acumine. Verùm eſſent omnia retexenda, vt indicandæ viri ἀποχεσίαι n. 5. quibus nec minimum quid ſenſus appareat] & hoc verum eſſe oſtendit: Denique cauſam Chriſti tuendam aggreditur Combefiſius; quem, detruncatione vnius particulæ negatiuæ, ignorantiæ inſimularat Schottus. Numero enim 7. Aſterium ſic agentem circa Cananeam inducit Combefiſius. ***Haud quaquam Gratiæ furtum paſſus eſt, & vt à neſcio obtineretur.*** [Addo negatiuam (ait ille) quam ſententia omninò exigit. Nihil enim aliud volunt verba Aſterii, quam putaſſe fœminam, ſe curatum iri neſcio Domino, nec tamen eum potuiſſe latere: atqui vt deſit negatiua, ſenſus eſt, latuiſſe; quod ſacro palam aduerſatur Textui, ac ipſum per ſe abſurdum eſt, adſcribens Domino ignorantiam, & vt non ſciens aut volens curaret. Schottus totum deuorat.] Patrocinium ergò ſuſcipit Combefiſius Chriſti, ab ignorantiâ vindicandi, quod ei à Te illuſtriſſimo Chriſtiano, crimini vertitur. Nunquid ſatis eſt, Te moleſtum eſſe hominibus & maximè Cyriacis, quia & moleſtus es & Deo meo: proh profanum: proh Impoſtorem qui verba *deſipiẽtiæ & infantilitatis in Græcis*, velut à Schotto effutita, adſcribis Combefiſio, quæ nunquam exarauit; licet Schotti in re Græcâ ignorantiam, vindicando Chriſti honori attentus, oſtenderit! ex quibus itaque laudem meretur, illinis næuos?

Impoſtura.

Impietas.

Nec fœliciùs pro Ducæo peroras, qui Nicephori locum vertens, vbi agebatur num liceret defunctos ferire anathemate, quod ab Euthychio contra prauè ſentientes dicebatur; Interpres Nicephori malè referebat ad viros conſultantes, in primâ illâ conſultatione ante quintam

Synodum. Poſt quæ ſubiunxit Combefiſius. [Ridenda certè verſio, nec is minùs ridendus, qui velutaliquid nouum, eadem ipſa verba Nicephori ſub n. 3. inter notas retulit, nihil monens aut explicans Tribuitur Ducæo recognitio Nicephori: fors autem recognouerit, vt Pariſienſi edit omnia Chryſoſtomi.] Cuius Tu tamen verba longè alia, adulteratrice manu deſcribis. Pari mendacitate diſtinctiſque ſimiliter characteribus affingis illi hæc verba quaſi propria eius. *Oſcitantes & rudes Græcani contextus Interpretes, ſunt omnes ferè Belgæ* Ille autem ſic habet ad Anaſtaſium Sinaitam ad pſ. 6. [Interprete Philippo Suenenzellio Societatis Ieſu, minus planè accurato vt ſunt ferè ſi qui Belgæ reddendis Græcis ſmanum admouere. Cum ergò eius retexam verſionem textuſque editi menda, quæ deuorat, nonnulla indicabo ac emendabo, tùm nouam ex Regio Codice proferam.] Oſtenditque ſigillatim, in quibus eius Verſio exerraret. Doles homule, quòd Combefiſius Patres Græcos primæuæ ac natiuæ puritati reddiderit latino Idiomate? malè Græciſſantium maſtyge hoc egebat ſæculum noſtrum, maximè Vincentius Richardius in Proclo, cuius hallucinationes & à verò exorbitantiæ ſub manu pullulant. Ringis denique in Combefiſium, quod Pighium acriùs carpſerit: ſed attende, Fratelle, ſi quid Tibi Religionis reſiduum, indolere illum Patribus ſextæ Synodi, piiſſimoque Imperatori Conſtantino Pogonato, quos vltimo propudio audacia Pighiana, miſerandaque Græci Idiomatis Ignorantia relaxarat. Mauult autem cæcantem accuſare affectum, quam malignum; Imperitiæque reum indicere quam odii aut liuoris. Chriſtianam itaque & indulgentem Combefiſii Cenſuram vocant Latini, quæ ruſticanti Pſeudo-Petro, *abſynthialis* eſt de Pighio pronuntiatio.

PETRVS

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Qui omnes gradus Eccleſiæ lacerat, vellicatum queritur à Combeſiſio Baronium.

B*Aronius eſt quem dico. Adagium eſt Italicum, perſecutionem omnium teterrimam, & virulentiſſimam, eam eſſe quam inferunt Adelphi. Combeſiſius verè ſe fraterno ſpiritu agi probauit, graſſatus atque bacchatus petulantiſſimè, non vno loco, vel obiter, ſed vbiuis ferè; in hominem qui non Catholicis tantum omnibus admirationi fuit præ doctrinæ vbertate, & iudicii emunctione, ac diligentiæ miraculo; ſed etiam pleriſque Allophylis, qui rei euidentiâ victi, luculenta Elogia panxere Baronio*; ſtuporem mundi, patrem ſacræ hiſtoriæ *indigitantes. Sepono Purpuram & gradum in Eccleſiâ Eminentiſſimum; Nam vt benè aiebat S. Hieronymus l. 1. In Iouin.* Commiſſa pugnâ omittuntur nomina dignitatum, ſola fortitudo quæritur *Eius tamen doctrina adeò redundat, vt non fuerit, cur à Religioſo homulo, Scriptor tam benè de Eccleſia meritus, cuius nomen apud Hæreticos non vileſcere per Catholicos, permagni prorſus intererat, tantâ feritate proteretur, ad omnem datam vel acceptam occaſionem. Neque hoc dico, fuiſſe Baronium ſupra hominem, ita vt nuſpiam caſpitauerit, nuſpiam impegerit. Hoc in nullum niſi Canonicum Scriptorem cadere, S. Hieronymus Epiſtol. 67. & S. Auguſtinus Epiſtol 79. rectè monuerunt; ipſeque Baronius ea Appendice quam ad emiſſos anteriùs Tomos, immiſit Tom.* 10. *hominem ſeſe, & humani à ſe nihil alienum putare, tantorum Patrum exemplo, modeſtiſſimè eſt conteſtatus Itaque in tot & tam vaſtis voluminibus tanta varietate differtis, alicubi hallucinatum eſſe Baronium, non debet mirum videri. Quod enim de Euſebio Cæſarienſi ait Canus. 11. de locis c. penultimo:* Nihil omni ex parte beatum. In opere (vt ita dicam) immenſo, rarò peccaſſe fœliciſſimum fuit; *de Baronio iuſtiùs dictum volo; a quo proinde, cum res fert, modeſtè diſcedere, (quod fieri poſſe, inſulsè & abſurdè negabat quidam Nicolaus Viſinghus;) innoxium cuiuis eſto. Vt tamen perpetuâ propè acerbitate, verbis adeò mordacibus ac vilibus impetatur, quibus* §. 122.

vtile quodpiam caput ferire, non haberetur moderatum, hoc verò eſt, quod in Fratre Combefiſio erga Baronium petulantiſſimè verſato, reprehendo nec ferendum cenſeo ab vllo; vel docto vel bene morato.

Sertum horridum ac putens carptum ex Combefiſii ſenticeto abſque diligentia, ſubiicio Lectorum oculis ac naribus. In Hiſtoriâ Monothelitarum. P. 15. Non ſibi conſtat P. Baronius, malè in Heraclio laudans, quod poſteà reprehendit, ac ne de Sergio agens, ſibi ipſi cohæret. *Pag.* 16. Equidem Magnus mihi ſit qui ſibi ipſum Baronium in his & ſimilibus cōcordem inuenerit ac præſtantem quod eſt accurati Scriptoris. *Pag. 19.* Baronium res implicantem, ſibique multa contraria ſcribentem, omninò inueneris. *Pag. 26.* Quod ipſum Baronius verbis initio relatis, nec videns quid loquatur, agnoſcit. *Pag.* 35. Importunè excuſat, abſona congerit Baronius. *Pag.* 40. Falſam cauſam confingit Baronius. *Pag.* 48. Calumniam ſtruit Baronius Actis ſextæ Synodi. *Pag.* 111. Baronianum commentum eſt, nullo teſte qui dicat, vel ex quo probabili ſaltem ratione colligat. *Pag.* 112. Baronii mala correctio, quot periodi, tot graues lapſus & mirabiles. *Obſtinato Baronius* errore, Bonus Illuſtrato falſi tribuit Theodoro *Pag.* 115. Baronius ad libitum fidem detrahit, additque actis Synodicis. *Pag.* 118. Grauis lapſus Baronii. Sunt omnia Baronio arbitraria. Haud ſcio, vbi hæc ita Baronius, aut quibus oculis legeret. *Pag* 127. Inconſona Baronii argutatio & inconſideratio; in eo ridiculus Baronius. *Pag.* 77. Leui Baronius fundamento, Conſtantem calumniatur. *Pag.* 140. Fingit Baronius. *Pag.* 14. Alia omnino commentitia; Baronii deprauatio. *Pag.* 153. Leuis Baronii argumentatio. *Pag.* 159. Malè Baronius inuertit verba Patrum. Magna planè licentia, vt quis illa ſuo quæque propoſito, inuita accommodet, *Pag.* 188. Baronius incautior Epiſtolæ Honorii primi laudator. *Pag.* 189. Baronius procacior in Synodum. Quibus vt Baronius interminetur Paulinum Anathema, *valde* audax eſt & cui illud ipſum Anathema ſit timendum. *Pag.* 662. Sanè miror hiſtoriæ Patrem, tam futilibus argumentis ſtabilire opinationes ſuas, ſic potius ridiculas facere, vt quis earum vim ad amuſſim exigat. *Pag.* 1031 Portentoſa Baronii hallucinatio & inconſonantia. *Adhuc hæret in Volumine primo; ſecundum Volumen non minus frequentem Baronij de ſtercore*

boum lapidationem præfert. Qualis enim eſt fimus ille ex pag. 740. poſt varias minutas Baronii vellicationes? Hæc obiter, exſufflandis, tot ſub vnâ ferè periodo contentis. *Et pag* 991. Nimia Baronii oſcitantia & craſſus error. *Abeo, malens indiligentiæ notari, qui tam pauca ex tanta vbertate decerpſerim; tametſi confirmo, ne ex primo quidem volumine, repræſentatam à me eſſe, partem centeſimam probrorum, ſannarum, conuiciorum, proſciſsionum, quibus Fraterculus iſte, in Scriptorem immortali memoriâ dignum bacchatus eſt.*

Non poſſum diſſimulare ſenſum meum. Quis credidiſſet, Scriptorem à Deo prouiſum Eccleſiæ, vt phalangas Centuriatorum profligaret, & Chriſtianæ hiſtoriæ plenam lucem affunderet, tanto ad hanc diem Doctorum omnium plauſu exceptum, etiam extorribus ab Eccleſia, (ſi paucas muſcas morientes excipias) laudatiſſimum; tam propudioſe ac petulanter ab homine Eccleſiæ, & Religioſi Ordinis alumno, habendum? Scripſit in Baronium Caſaubonus, nundinatitius agnitæ veritatis impugnator; ſed præ Combefiſio ſcripſit temperatè, abſtinens lædoriis ac probris. Quantò iuſtiùs homo Religioſus, erga vnum ex Eccleſiæ Principibus idem metrum tenuiſſet? Num ignorabat illud à Paulo quoque vſurpatum, Principem populi Tui non maledices? *Sunt verò Cardinales in Dei Eccleſiá Principes: vnde veſtimentum eorum è purpurâ conficitur. Sed errauit & impegit Baronius. Eſto. Vt tamen in vnum ex Eccleſiæ Catholicæ Cardinalibus, tam ſæua & dira probrorum grando toties detonet, vt plurimum ob minutias, quas diſpelleret ſi præſens inſtitutum ferret, haud magna eſſet opera, hoc ſanè eſt quod me ſtupore defigit. Et auget admirationem, tantæ concitationis cauſa, quam ex fide profero. F. Melchior Canus eius Cyriaci inſtituti & ingenii præfidentis, ac mordacis, cuiuſmodi eſt iſte Vaſco, obfirmatè impegit illi notam hæreſeos Monothelitarum; & tanquam damnatum in pluribus Synodis, magnâ infamiâ onerauit. Verſans poſtmodum idem argumentum Bellarminus, Honorium purgauit, nec niſi falſatione Græcanicâ adiunctum damnatis Hæreticis, demonſtrauit. Abacto Cano, Bellarmini veſtigia relegens Baronius, pro Honorio item ſtetit; & Canum notauit temeritatis, ex præſagio Franciſci Victoriæ per ipſum Canum eius diſcipulum literis prodito. Occaſione item S. Gregorii magni, male à Cano demorſi, affectum ſuum pro Eccleſiæ Rectoribus expreſſit Baronius; dixitque Canum* non niſi nomine tenus Canum; re ipſa immaturum ac

præcipitem ſe præbuiſſe in his Pontificum lacerationibus. *Hinc illa Combefiſii lacryma: hinc Baronius* calumniator, falſarius, inconſtans, interfector veritatis *audit. Legeſis, beneuole Lector, quæ Combefiſius Tract. pro actis ſextæ Synodi cap. 2. §. 3. de Cano ſcripſit, donans eum Canoniſmo literario, & calces Baronio illidens, & illicò penetrabis ad veritatis cubilia.*

Fas ſodes ſit exhaurire quod mihi reliquum eſt admirationis. Appetiit Baronium Caſaubonus; appetiit Goldaſtus, priuſquam ſaperet reddens ſe Eccleſiæ Catholicæ; appetiuere pauci illi Sectarii, qui vt Muſcæ morientes, quæſierunt exterminare ſuauitatem vnguenti. Accurrerunt illicò pro Baronio, Andræas Cydonius, Gretſerus, Roſuedius, Bullengerus, *Spondanus & alii. Nunc vno Fraterculo tantum virum adeò infrunitè lacerante, nemo mouetur; Nemo Purpuratorum de tegendo Collega cogitationem ſuſcipit. O mucro, mucro, vſquequo quieſces? Euagina Te ad occidendum, lima Te vt fulgeas. Gladius tam multos per longos ſyllabos quotannis confodiens, hæret in vaginâ. Stertunt Vallicellani, & quaſi emarcuiſſet neruus eorum, nemo de tantâ luminis ſui obſcuratione, & contundendo Obſcuratore, ſollicitudine tangitur. Pontificij Cenſores, & ſacrorum Tribunalium in hiſce cauſis Adminiſtri, multi omnes. Quid mirum? Secretarius* Indicis *qui ſilentibus omnibus ex officio, ſummi Scriptoris lanium deferre tenebatur, eiuſdem eſt cum eo Inſtituti. Vterque Cyriacus eſt, æquè ac Magiſter S. Palatii, & ſanctæ Inquiſitionis Commiſſarius; nec moris eſt in harâ, pecudem congeneri pecudi infeſtam eſſe, niſi ſi de pabulo aut ſede meliore agatur, vel de lucello in ludo nocturno; qualis ille in quo Auenione ante annos* 40. *cùm F. Stephanus Dulcis eas Inſulas teneret, vnus improuidus & malè ſanus, in calore (veriùs œſtro) ludi ſerotini, ſocium Cyriacum colluſorem, ludi legum contemptorem, adacto culſello longo quo erat præcinctus, pluribus annumeratum fecit. Heu heu! premantur talia horrifica, ac ne in ſæculo quidem toleranda. Sed quis diſſimulet aut premat quod eſt ſole ipſo clarius?*

RESPONSIO.

EMenſo tractu fermè infinito, abſolutâque næniarum ac gerrarum importunâ circulatione, quaſi per ſpatia imaginaria, ſex integris pagellis diſcurrens, ſubito velut furore abripitur, & exclamat mentis inops. *O mucro, mucro, vſquequo quieſces*? Quis iſte buccinæ clangor ad internecionem prouocantis? *Euagina Te ad occidendum, lima Te vt fulgeas.* Deficiente ratione, pugio aduocatur; non ampliùs vibrantur argumenta, ſed tela: nec veritas exquiritur, ſed ſanguis, ſed vita & Cyriacorum deletio cruenta à nouo Cæſare, à nouo Alexandro, à nouo Achille: *Euagina Te ad occidendum.* Actum eſt de Prædicatorio Ordine, iugulum paret & præbeat diſtricto enſi. Goliath in certamen vocat populum Dei, cum Dauide pugnaturus, Pigmæum prouocat Gigas, & iſte incircumciſus, primatius Vallis-clauſæ Heros, Combefiſium appetit, corporeâ mole vix tripalmarem. Queritur ille Baronium multoties & acriùs à Combefiſio carptum. Quapropter Purpurati Patris iniuriam cruento enſe vindicaturus, prorumpit in arenam, nec *gladius tam multos per longos ſyllabos quotannis confodiens* (modo extraneos, modo domeſticos) *haret in vaginâ.* At non refugit illatam ſibi à laruato hoſte iniuriam, collato pede purgare Combefiſius, adhuc ſuperſtes & Lutetiæ agens. Ne itaque illi victoriam de hoc tumenti Nembroto præripiam, breui reportandam huius occaſione calumniæ; dum ille, (vt Tuo vtar verbo) perutile parat Tibi *Capitulauum*, euertetque vno ictu Tripalmatis Vaſco Gigantem Inalpinum, vt ſuam erga Baronium reuerentiam & affectum illuſtri Apologetico propalet; interim preſſo pede depugnemus.

Colligo ſertum horrendum ac putens de venenato Tenebrionis Tui ſenticeto, Tuiſque ſubiicio oculis ac naribus, congenito fœtore importabile, ne Lector putido odore infectus tabeſcat. Ingentem dico cumulum probrorum, ſannarum, conuiciorum, proſciſſionum, quibus, Fratercule, non vnum Cardinalem Caietanum onerasti, quem infandâ hæreſeos labe infectum procaciter inculcas, ſed & vniuerſum Ordinem Dominicanorum multiplici Infulâ, Purpurâ ac Thiarâ præfulgentem: Vt qui Cyriacos infruni-

to ore, mordacitatis arguit; conuincatur ipſe, vltimæ ac viliſſimæ mordacitatis, ferocitatis ac rabiei inauditæ; in has voces erumpens, quæ Religioſam linguam aut Chriſtianum pectus non ſapiant, ſed carnificem, lanium, aut laniſtam. *O Mucro, mucro vſquequo quieſces? Euagina Te ad occidendum*. Niſi fortè nomine mucronis ſeu gladii intelligat ſeuerus & ſanguinolentus *Orbilius*, non Beneuentanus, ſed Inalpinus, multichorde flagrum quo olim Grammaticulus à cruentâ in pueros ſeueritate dictus *Plagoſus*, excipiebat miſeram iuuentutem.

Exundantem probrorum ac proſciſſionum colluuionem placet ex duplici indagine aperire; *Extenſione* & *Intenſione*, Illimitatione ſubiecti, probrorum accumulatione: diffuſâ, inquam ac immenſâ varietate infamatorum, & inexhauſto infamationum cumulo, quibus omnes Inſtituti Dominicani gradus percelluntur. Sæuit & debacchatur licentiâ hæreticâ petulans calamus in omnes huius Religionis Profeſſores, vt ſingulatim demonſtro, dum breuitati conſulens, importuna repetitione abſtineo, remittoque Lectorem pro probatione cuiuſque inductionis ad Paragraphum cuilibet hypotheſi appoſitum, & ex pluribus Paragraphis eidem probationi ſuffragantibus, vnum tantum deſigno. Mordet & lacerat generatim totum Ordinem in titulo cuiuſlibet Diatribæ: ſingulares Religioſos §. 1. & ferè vbique. Prædicatores. §. 83. & ſequentibus. Doctores. 62. & 63, Suppriores & Priores 98. Prouinciales 5. Generales 37. Inquiſitores. 106. Secretarios ſacri Indicis. 2. Commiſſarios S. Officij. 22. Magiſtros S. Palatij. 66. 79. Epiſcopos. 22. 75. Archiepiſcopos. 96. Cardinales. 58. Summos Pontifices. 104. Sanctas. 102 Sanctos. 48. Parentem ordinis S. Dominicum. 36. 151. Deiparam eiuſdem ordinis Matrem. 109. Chriſtum Dominum. 83. Ita vt in omnes gradus & Ordines vniuerſos inuolet mordax lingua, cruenta beſtia, Tygris furens: In omnes denique quia Cyriacos, nefandum virus emittit. Nec dum quieſcit, licet Dominicano ingurgitatus ſanguine. At ex quibus coaleſcit ſpurciſſimum ac peſtilens illud venenum? Dicam, nec credet Lector etiam oculo ſuo, ſingula probra in libello famoſo intuenti; quæ tamen ad duo ſumma capita reducentur. Quædam quæ hominem in homine inficiunt; alia quæ hominem infra hominem curuando, dehoneſtant.

Quid ergò apud illum ſunt Dominicani? Ruſtici. § 117. Ignari. 94. Ineptientes. 9. Deliri. 3. Fatui. 8. Rabioſi 22. Maligni. 94. Lanii. 12. Hæretici. 8. 9. Blaſphemi & Impii. 97. Non poteſt vltra aſcendere humanus furor. Deſcendat interim infra hominem Ordo Prædicatorius, omni bruteſcentis naturæ infamiâ conſpurcandus à Pſeudo-Petro. Quid enim, ſi ipſum audias, erit Cyriacus ſeu Dominicanus? Canis latrans. §. 9. 31. 32. Moloſſus efferatus. 22. Cancer rodens. 22. Equus ſtrigibilis. 97. Porcus grunniens, 38. Harpiya rapax. 51. Sæpia denigrâs, Rana coaxans. 143. Cuculus furto diues. 52. Piſcis Colaus. 81. Aſinus bipes 88. Vitulus laſciuiens. 94. Crabro pungens. 94. ipſa Beſtialitas. 117. Quid in vniuerſum Fratres Cyriaci? Arcadica pecuaria. 92. Quid Generalis Ordinis Præfectus? Opilio Arcadicus. 37. Quid Sancti ex eodem Ordine inter Diuos adſcripti? Chimeræ ſanctitatis. 97. Qualis eorum Deus? Fabulinus. 100. Dantur alii Ordines Religioſi habitu, victu, doctrinâ aut ſingulari affectu Cyriacis annexi: at contagioſa Calumniatoris infectio cunctos notat & traducit. Benedictinos ob S. Thomam pietate & primis literarum rudimentis ab iis imbutum, in Cœnobio Caſſinenſi, carpit hoſtis apertus D. Thomæ, in Conſtantino Caietano Abbate Benedictino, quem ſemi-inſanum pleno ore indigitat. 116. Carthuſianos, qui nobiſcum habitu, victu ac viuendi modo communicant. 49. Minoritas quos nobis mutuò charitatis fœdere infibularunt paterna & originalia Teſtamenta. 23. 35. 130. Auguſtinianos in eâdem Doctrinæ regulâ permanentes. 65. Carmelitas, maximè diſcalceatos, Thomiſtico glutine nobis cohærentes. 65. Minimos, qui in Comitiis Generalibus Barcinone celebratis 1661. Conſtitutione authenticâ ſe D. Thomæ diſcipulos profeſſi ſunt. 12. Ieſuitas Cyriacis charitate colligatos ex mutuo vtriuſque Religionis ſtatuto, vt infra oſtendam, perſtringit in R. P. Vitelleſco Societatis Generali Præfecto, quem ob procuratam pacem, mollitudine vitellicâ notat. 94. Officiales omnes Curiæ Romanæ, quaſi Cyriacorum prolapſionibus indulgentes, integrum Cardinalium collegium, quaſi oſcitannium & conniuentium Dominicanorum multiplici exorbitantiæ. Ipſos denique Summos Pontifices, præcipua Curiæ Romanæ munia eis immerito relaxantes. 36. 37. 161.

Sicque qui Cyriacos mordacitatis infamat; Cyriacos & quidquid Cyriacos ſonat aut amat; mordet, lacerat, cruentat, mactat, exenterat, perdit.

Liceat mihi ſerpentis ſibilum venena ſpargentem, in ſerpentem ipſum reflante vento detorquere; ipſiuſque verbis, petulantem ac maledictum contundere. Parce Lector; veniam peto ac licentiam ruſticandi cum ruſticante, vt ex ſe ipsâ confundatur Ruſticitas venenoſa, irreligioſa, profana. Indulge ergò vt nobilem affectum viliſſimâ ac aſcititiâ ipſius Aduerſarij Latinitate explicem. Non poſſum diſſimulare ſenſum meum. Quis credidiſſet Ordinem à Deo prouiſum Eccleſiæ, vt phalangas Hæreticorum, Iudæorum, Gentilium ac peccatorum profligaret, & Chriſtianæ Religioni adderet plenam meſſem; tanto ad hanc diem populorum, Doctorum, Antiſtitum, Principum ac Pontificum, omniumque Fidelium plauſu acceptum, etiam extorribus ab Eccleſiâ (ſi paucas muſcas morientes excipias) laudatiſſimum; tam propudiosè ac petulanter ab homine Eccleſiæ & Religioſi ſtatus alumno habendum? Scripſit in Ordinem Prædicatorium Lutherus, nundinatitius agnitæ veritatis impugnator, ſed præ Pſeudo-Petro ſcripſit temperatè, abſtinens *Ladorus* (vah) ac probris, ſaltem æquè ſordentibus. Quantò iuſtiùs homo Religioſus, non tantum erga vnum ex Eccleſiæ Principibus, ſed erga innumeros Eccleſiæ Præſules, Cardinales, Pontifices, eiuſdem Inſtituti profeſſores, tenere debuit idem metrum? Quis furor, vt tam ſæua & dira probrorum grando toties detonet in omnes in Eccleſiæ gradus, huic Ordini implantatos? Quàm ergò optimo iure, temerario ac infando auſu fœdatæ ac laceratæ Religioni, in hanc vocem liceat prorumpere? *O Mucro, Mucro, vſquequo quieſces? Euagina Te ad occidendum, lima Te vt fulgeas.* Abſit tamen à cœtu Religioſo, quem afflat & implet ſpiritus gratiæ & charitatis! veniam & miſericordiam exemplo Chriſti Domini, optat furenti *Lanio*, probraque ſibi inuſta, beneficiis compenſans, dicit: *Domine, ne ſtatuas illi hoc peccatum, neſcit enim quia facit.*

Ruſticitas.

Minùs autem ſcit quid dicit, dùm cultro, inter iocandum impetitum lethaliter quemdam Cyriacum à Sodali comminiſcitur, qui mox clamabat; *O Mucro, mucro, vſquequo quieſces? Euagina Te ad occidendum.* Duplex Tibi

conceſſa immunitas; confingendi falſa, & Tuum in aliis licet inſontibus, crimen vindicandi. Verùm ex nomine & ſpiritu *Stephani Dulcis* Archiepiſcopi Auenionenſis & Cyriaci, quem adducis, debueras *dulcedinem* ediſcere Chriſtianam, & fraternam charitatem, qui Religioſam nunquam agnoſti· *Quis hoc diſſimulet aut premat, quod eſt ſole ipſo clarius*? Teſtantur carcer diutinus ac domeſticus in eâdem cui Stephanus Dulcis præfuit,ciuitate, ipſeque carceris Tui cuſtos, cui nomen *Hypparchus*. Cæterùm ſolutas & exſufflatas toties à nobis motas in Canum querelas, importuno eiulatu quid adhuc refricas? Qui cares iudicio, ſaltem vtere memoriâ.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Queritur Combefiſium non carptum à R. P. Marino.

F. F. Cyriaci indemnitatem ſibi omnimodam in Tribunalibus concreditis, & malè admiſſorum impunitatem debent. Hæc eſt cauſa germana cur F. Ioannes Baptiſta Marinus, cum extremis annis ageret Secretarium Indicis, monitus de hac Sodalis ſui in Baronium petulantiâ, egit Harpocratem & Mucronem Apoſtolicum ſilere voluit. §. 123.

RESPONSIO.

CLamat æger, dum ingeſta Medici manus ad ſedem morbi, abſconditum vlcus, latensque (vt loquuntur) *Therioma* digito vrgente demonſtrat; ſubitoſque ejulatus extorquet inflictus dolor ex graui partis læſæ contactu. O Mucro, Mucro Apoſtolice, vſquequo quieſces à confixione Pſeudo-Petri, quem toties zelo & operâ P. Marini dum ageret Secretarium Indicis, in fruſta conſcidiſti? *Hæc eſt cauſa germana* cur latens ſub laruâ Trico debacchetur in eum; doletque quod Secretarius non egerit Harpocratem indulgente ſilentio, vt ſcriptitationes eius Pontificio Stigmate toties illinitæ, Indemnitatem omnimodam in Tribunalibus ſacris; & ſcripta Impoſturis ac erroribus farta, Impunitatem obtinerent. Mucronem Apoſto-

ſicum ad Tua opera ſiluiſſe velles? At vt ille ſileret, Tu non debueras loqui nec ſcribere.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Authores libelli famoſi, Theatri Ieſuiſtici, facit Cyriacos ridiculâ probatione.

§. 124. *Evge, Euge. Theatrum Ieſuiticum, Liber eſt ex felle & aceto commixtis concretus. Vix aliquid fœdum aut tetrum, ex Geneuenſi aut Batauâ incude, in Patres illos fabrefactum malitiosè eſt, quod ibi non repreſentetur, etiam cum ſuperpondio atquè auctario. Is Liber Hiſpanicè eſt exaratus, Goliathi (vt volunt) ſpurij manu, ſed admiſſis denſis Italiciſmis, ab Idiomate non prorſus exprimente Caſtellanam Majeſtatem; Cuſus verò eſt anno* 1653. *&* 1654. *per otium. Vbinam? Euge Calame. Quid hæreo credere famulo ad prælum Typographicum collaboranti, qui retulit, cuſum in Cœnobio Romano S. Mariæ ſupra Mineruam? Firmat referentis fidem, quod liber ille cuſus eſt, adhibitâ non Hiſpanicâ, ſed Italicâ chartâ, ſigno Florentino notatâ, Romæ familiari. Nihil abſconditum quod non ſciatur. Reperiuntur itaque etiamnum famuli domeſtici, delatores Apollonij, abſque crucifagio per perennem irrogato. Itaque Liber Ieſuitas luculenter conſcerpens ac lacerans, auſpiciis Reuerendiſſimi Patris Ioannis Baptiſtæ de Marinis, in prædicto Cœnobio, typis fraternis, hoc eſt domeſtico prælo, ad vſum Sancti Officij conceſſo, vulgatus; in Hiſpaniam vix vno aut altero exemplari Romæ relicto; eſt tranſmiſſus. Nam tametſi aliis ægerrima eſt librorum Româ exportatio; tamen Fratribus eo quod exportationi incubent ipſi, & ſyngrapham liberi commeatûs aliis largiantur, vacat difficultate exportatio. Vix in Hiſpania liber diſtrahi cœperat, cum ad Tribunal Sacrorum Quæſitorum delatus eſt, & 24. Februarij anni* 1655. tanquam Impius & Hæreticus, ac innoxiorum malignus, virulentuſque lacerator *proſcriptus eſt. Tapia verò illuſtriſſimus Antiſtes qui ex Ordine Fratrum Prædicatorum in ſedem Hiſpalenſem aſſumptus eſt, tam acerbæ malignitatis perfectò odio motus, Hiſpali publicè per carnificem, librum tam peſtilentem, ſubiecto igne conſumpſit. En quàm mites ſint, quamque aceris expertes, Lucubrationes Cyriacorum.*

RESPONSIO.

EX Angelo mutatus in Diabolum Lucifer, triplici in Scripturâ, eoque probroſo ſtigmate inuritur. Inſcribitur *accuſator fratrum ſuorum, pater mendacij*, ciuiliſque inter Angelos belli ſator. Scriptum eſt, enim: *Factum eſt prælium magnum in cælo, Michael & Angeli eius præliabantur cum Dracone & Draco pugnabat & Angeli eius.* Attende, Petre, tria hæc Draconis inſignia aut veriùs probra, non immeritò Tibi impacta. Te enim Fratrum Tuorum accuſatorem indigitat mentio publica, conſona veritati: Patrem Te Mendacij & impudoratum Calumniarum ſatorem, Tenebrio hicce Tuus ſæpiùs comprobauit: hicque Paragraphus irreligioſi diſſidij fabrum euincet. Oeſtro illo ſathanico quo in Ordinem Prædicatorum exæſtuas, tentaſti ſuperiùs eum cum Ordine Seraphico collidere, nunc cum Religioſiſſimâ Ieſu Societate, ſed vtrobique infœlicitate conſimili; parque pœna, rixarum ſeminatorem communi ludibrio excipiet; inuenieturque Calumniator, cum carbone nigro dealbaſſe Ordinem Prædicatorium, cuius ſtemma eſt, *Lilium flatu nigrante albeſcens, nigris illuſtre procellis.* Apoc. 12. *Buſtuarius.*

De bonitate aut malitiâ præfati Libri nihil dico, quia non vidi nec videre potui, cum Tu doleas omnia prorſus Exemplaria in Hiſpaniam clandeſtinâ manu delata; eſſetque Tibi toties falſario, fidem adhibere, crimen; non dico *ſuperpondio atque auctario* (vt Tu plebeiè & ludicrè expreſſiſti) ſed nouâ incautæ credulitatis acceſſione, incondonandum. Accedo tantum inuſtam à Te calumniam depulſurus, quâ ex Ordine meo prodiiſſe aſſeris Authorem Libri in Societatem famoſi. Cyriacos Mineruitas inducis tanquam Editioni præſidentes; & ipſum Generalem Ordinis Præfectum, authorem ac fautorem diſſeminati Libelli. Hæc me exſufflaturum ſpero majori facilitate quam Tu commentus ſis. Solâ argumentorum Tuorum confutatione rem conficiam; Imò Authorem, Idioma, prælum ſeueriùs excutiens, Tuiſmet rationibus in Calumniatorem retortis; Calumniam tam altè abdicabo & expungam, vt nouo amicitiæ fœdere inter duos hoſce Cœtus Religioſos primæuus ardor recaleſcat. *Calumnia 3.*

Dic ergò, furens Trico, quem fellei huius operis fabrum putas? Si non noſti, cur accuſas? Si noſti, indica ex nomine; non enim ita pudoratus es aut religioſus, vt ex imperio charitatis aut modeſtiæ, veri Authoris nomen ſubticeas, qui paſſim innoxios indicas, vt calumniis oneres. Nec inferiores Cyriacos reuereris qui effronti procacitate in ipſum caput debaccharis, & in omnes Ordinis viros primarios. Fors Gigantis non audes prodere nomen, quia times potentiam. Caue ergò Tibi, non enim minus excandeſcet Goliath ob læſum genus, quam ex perſonâ traductâ. Improuidè ſpurium vocas opificem libelli, quem ideò fateris Tibi incertum, ſic enim leges ciuiles, ſpurios vocant, incertos Naturæ fœtus, & incertos Librorum Authores. Si autem incertus Tibi Operis conditor, cur Cyriacum certò deſignas, cum ignores? Verùm potuit acutiſſimus hominum, ex ſingulari charactere diſtinguere ſpurios à legitimis: Debuit igitur indicare. Imò non debuit, ne fortè latentem ſub laruâ proderet ſingularis ille character; ſeque in alio denotaret, qui ſub ementito nomine, abſcondit paternum.

Attamen ex nomine & facie ignotum, agnoſti forſitan, ſuffragante linguâ & ſtylo, diceſque ei, *Loquela Tua manifeſtum te facit.* Hic magis nutas, hæreſque pendulus circa Idioma operis, quod Italicum velles aſſerere; ſed ingeſtum ſtatim reuocas pedem, concludiſque, *Is Liber Hiſpanicè eſt exaratus*; colluctantibus ad inuicem in eâdem lucubratione, Italico Idiomate & Hiſpano. At ſi Hiſpanicè; an Aragonicâ linguâ, Catalaunicâ, Valentinâ, Granatenſi, Luſitanâ? Nuſpiam: Inflatum eſt enim opus illud *denſis Italiciſmis*, vt ais, quorum commixtionem non agnouere præfata Idiomata. Fortè Caſtellanâ linguâ cuſum dicis? Minùs adhuc, nec enim *exprimit majeſtatem Caſtellanam.* Ambiguus itaque manes circa Idioma; & inter Italiam & Hiſpaniam nutabundus, cur Romanum indigitas fœtum, quem nec audes pronunciare Italum? *Cujus eſt*, inquis, *Liber ille* acetoſus *an. 1653. & 1654. per otium. Vbinam? Euge calame? In Cœnobio Romano S. Mariæ ſupra Mineruam, auſpiciis Reuerendiſsimi Patri Ioannis Baptiſtæ de Marinis.* Hoc certè ad amuſſim exigendum reſtat, cum circa Authorem & Idioma dubius omninò & incertus hæreas.

Fluctuatio.

Figc itaque pedem, ſi potes. At magis Te video nutantem ac pendulum, quam fueris antea. Vnde enim habes Hiſpanicum librum Romæ cuſum? Reſpondes, ex chartâ quæ Italica eſt, non Hiſpana; eſtque ſigno Florentino notata, ac Romæ familiaris. Proh dementatum cerebellum! Nunquid non chartæ editione Florentinâ fabricatæ, & quæ Romam deferuntur, tranſportantur pari etiam facilitate nautico tramite in Galliam & in Hiſpaniam, ad quam Tumet ipſe fateris tranſmiſſos omnes hoſce libros Romæ cuſos? Niſi fortè deuehi illuc poſſit charta ſcripta & atramento onuſta, quæ alba & leuior non poſſit. Nunquid non Lutetia Pariſiorum, quæ ducentis fermè leucis diſtat Engoliſmâ, Engoliſmenſi chartâ apud Primates viros vtitur, terreſtri & perdifficili itinere ad ſe delatâ? Vtuntur & ipſa Batauica præla, licet vaſto mari diſſita, vt Tibi Hypparchus indicabit, ſi placeat non ignotum opus flenti ac pœnitenti oculo tuo ſubiicere. Quam ergò ridenda ac puerilis hæc conſecutio! Charta illius Libri eſt Florentina; Liber igitur ille cuſus eſt Romæ, non in Hiſpaniâ; quaſi in Hiſpaniam frequentiſſimè non deferatur charta Florentina! Imò, ſi quid probaret argumentum, debuerat inferre: Cuſus eſt Liber Florentiæ, cùm charta notata ſit ſigno Florentino. Ridiculum certè Te præſtas qui ſic arguis.

Fatuitas. *Barditas.*

Dicis; Firmatur hæc veritas teſtimonio famuli ad prælum Typographicum apud Mineruam collaborantis. Deus Bone! quale teſtimonium affers? Omitto quod confingas in Cœnobio Mineruitarum prælum, quod inibi nullum eſt: Ignoras etiam fidem ſerui, Lege ciuili reprobatam & improbatum teſtimonium, cum non ſit ſui iuris & ſit alieni arbitrij? Verùm, quis ille ſeruus? Teſtem adducis in re adeò graui, nec nominas, quia confingis. Subdolè quidem, ſed prudenter tacuiſti nomen, præſcius, vbicumque in orbe Chriſtiano ageret, conueniendum à Dominicanis, & inſtrumento publico declarationem eius exigendam, quâ famulus ille Typographicus ſibi impoſitum teſtaretur, calumniamque pleno iure reiiceret in Authorem. Interim gratis demus, nec fictum Teſtem, nec teſtimonio fidem abrogandam: quid tum? vnius depoſitio teſtis, maximè ſortis vltimæ, ac viliſſimæ, qualis ille quem commentus es, ſemiplenam tantum inducit probationem: at ignoras

Barditas. *Impoſtura.*

non teneri nec poſſe teſtem infamare quemquam de graui, licet vero crimine, ſi aliunde plenâ probatione nequit conuinci, nec puniri reus: deficiet enim in probatione & pœnam Talionis tanquam diffamator incurret? Tu verò vnius ſerui, vnius famuli Typographici, hominis viliſſimi teſtimonio (& adhuc conficto) Generalem Ordinis Religioſi Præfectum, vniuerſumque Ordinem, ſcripto vulgato ac per totum orbem diffundendo, traducis, infamas, reoſque ſtatuis ſceleris, cui iuxta verbum Tuum, procacitate aut impudentiâ, & contumelioſo auſu, nihil conſimile ex Geneuenſi aut Batauâ incude eduxit oppilata iniquitas.

Calumnia. Verùm, ne ſub ementito ſpecimine Calumnia deliteſcat, incautè eam manifeſtas, dum auſpiciis Reuerendiſſimi Patris Ioannis Baptiſtæ de Marinis cuſum aſſeris præfatum Librum in Mineruitico Cœnobio, typis Fraternis, prælo domeſtico. Vnde enim hoc reſciuiſti? Præfigitur operi cudendo licentia Generalis Magiſtri? Aderat ipſe totius Ordinis Præſes collaboranti famulo Typographico, velut emaculator operis? Vnde ergò habes, impudentiſſimè hominum, auſpiciis R. P. Marini vulgatum Librum? Vides quomodo nullo impellente, proprio pondere, imò innatâ debilitate corruat Calumnia? Sed quid Tibi cauſa fuit, quod eam adeò impudoratè Ordini meo impegeris, quam iubente ſic Numine, deſtruis ipſemet, dum conflas, faterisque conſcerpentis, ac vt loqueris, lacerantis Ieſuitas Libri, ſolos Cyriacos profligatores ſtrenuos conſummatoſque vindices, propugnatæ Societatis ſolemne erexiſſe Tropheum? [vix enim, vt ais, in Hiſpaniâ Liber diſtrahi cœperat, cum ad Tribunal ſacrorum Quæſitorum delatus eſt, & 24. Febuarij an. 1655 *tanquam impius & hæreticus, ac innoxiorum malignus, virulentuſque lacerator proſcriptus eſt.* Tapia verò illuſtriſſimus Antiſtes, qui ex Ordine Fratrum Prædicatorum in ſedem Hiſpalenſem aſſumptus eſt, tam acerbæ malignitatis perfecto odio motus, Hiſpali publice per carnificem Librum tàm peſtilentem, ſubiecto igne conſumpſit.] Proſcriptus eſt? Incepta pœna, nondum plena & perfecta: Leges enim, Eccleſiaſticæ ac ciuiles, impios & hæreticos Codices, vltrà proſcriptionem quæ aliis irrogatur, igni addicunt & buſto. Hoc non conſtituerant Fidei Quæſitores Hiſpani,

viri ſæculares qui ex Cœtibus Religioſis Qualificatores aſciſcunt: Vnde Societati læſæ, nondum plena ſatisfactio conſtiterat, donec proſcriptum Opus incineraret vltrix flamma. At quis ignem ſupponet? quis vindices iniiciet & aſperabit flammas, intentus reſtaurando decori traductæ Societatis? Condolent multi, nemo ſuccurrit; ſilent omnes, muta & elinguis vox publica: ſolus Ordo Prædicatorius adeſt, accurrit, aduolat, antiquâ charitate Societati annexus. Dicis, vnde hoc habes? A Te ipſo, Petre, vt proprio enſe confoſſus occumbas. Ais enim, *Cum ad ſanctum Tribunal Quæſitorum delatus eſt liber tanquam impius & hæreticus, ac innoxiorum malignus, virulentuſque lacerator, proſcriptus eſt. Tapia verò, illuſtriſsimus Antiſtes, qui ex Ordine Fratrum Prædicatorum ad ſedem Hiſpalenſem aſſumptus eſt, tam acerbæ malignitatis perfecto odio motus, Hiſpali publicè per carnificem, Librum tam peſtilentem, ſubiecto igne conſumpſit.* Quis ergò ſuppoſuit ignem, quem retrahebant aut non offerebant alij? Tapia Dominicanus, vltroneus Societatis vindex, vt inter duos hoſce Cœtus Religioſos antiquum fœdus nouâ hâc acceſſione refloreſcat.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Anagrammata Nierembergij tuetur contra Ionium Cyriacum.

QVod ſubiicio, *eſt ignorantiæ ac ſupinitatis refertum. Viſum tamen eſt huc referendum, quia in eo virus maledicentiæ ſupra ignorantiam eminet. Ioannes Euſebius Nierembergius, vir doctrina nomine orbe vniuerſo clariſsimus, ex his vocibus*, Sanctiſſimus Pater & Dominus, Alexander Papa Septimus, qui erat anteà Fabius Chiſius; *hoc inſigne Anagramma ediderat.* Quarțus è Senis Papa, Dei Matris chariſſimus, ipſi labem Adæ non fuiſſe ſtatuet. *Hoc Anagramma F. Carolus Ionius Cyriacus, vulgato ſcripto virulentè impetiit*, Pſeudo-Propheticum *appellans, notanſque Authorem ignorantiæ, eo quod præter quatuor Pontifices Senenſes ab eo aſsignatos, (Alexandrum III. Pium II. Ale-* §. 125.

xandrum VII) fuerint alij duo, nempe Ioannis II & Gregorius VII. ſed vana eſt criminatio. Nam Ioannes II. ex Anaſtaſio, fuit Romanus de regione Cælij montis: Gregorius verò VII. fuit Saonenſis non Senenſis. Subtexit Ionius ſua quędam veriora, vt ait, Anagrammata, ſed admodum inſulſa, & magnam partem Luxata & manca, quorum duntaxat ſextum repreſento. Ioannes Euſebius Nierembergius. Viuens æger ſibi, nobis amens. En ſpecimen egregium, & ſupinitati & maledicentiæ Ionij Cyriaci. Nam in tribus vocibus, quadruplicem licentiam adhibuit. Tres enim literas abundantes omiſit, quartam mutauit in A, vt vocem mens quæ verè nomini inerat, in amens commutaret; & virum inſignem qui æque ac Alipius Eunapio, totus mens videri debuerat, exhiberet amentem; quia agnoſcit Conceptionem paſſiuam B. Mariæ fuiſſe immaculatam: quo ipſo amentiæ incuſantur Sixtus IV. ac cæteri deinceps Pontifices qui eam aſſertionem Labis puram pronunciarunt. Amens item erit Synodus Oecumenica Tridentina, quæ binas Sixti Decretales firmauit. Amens orbis Catholicus vniuerſus, qui cultu religioſo quotannis nitorem Conceptionis B. Mariæ veneratur. Si luberet huic atrocitati maledicendi; reponere veriora Anagrammata, dicere liceret. Pater Carolus Ionius; anagramma. Tu orci luces; par aſino. Vel certè Vſtori Caluino, par es. Aut vſto Caluino par eris. Siquidem Caluinus orbis Buſtuarius, liliato ſtigmate inuſtus fuit. Liceret quoque ex his verbis, P. Carolus Ionius; Dominicanus, conflare hoc Anagramma: Pol aſinus cum cum Ianſenio rudit. Hoc eſt ſanè amentem eſſe, contra Pontificum ſcita Ianſenio Caluino infulato; ad labantem Prædeterminationem fulciendam, inhærere. Non eſt autem amentem eſſe, honoribus Deiparæ, fauente Eccleſia, & ſuffragantibus miraculis ac idoneis rationibus aſtipulari, & ex eorum ſupremâ per Pontificem ſtabilitione pacem orbi conciliandam augurari, vt ſanè non ſemel conciliata eſt, nouo aliquo honore B. Virgini delato. Ex paucis hiſce ſpeciminibus maledicentiæ & acerbitatis Cyriacorum Scriptorum, in Authores omni laude ſuperiores; liquere puto, quam non ſint eorum Libri digni Immunitate à Cenſurâ, ex eo capite quod acore & felle careant: plenum verò ſenticetum ac rubicetum Cyriacum, index vniuerſalis ad ſingula eorum Opera, qui ſub incude eſt, exhibebit.

RESPONSIO.

RESPONSIO.

ANagrammatum ſcientia, puerile nugamentum, palponem redolet non Encomiaſtem, ſtudium hoc, temeratiaque apicum combinatio, modò in laudem, modò in vituperium cæco caſu efformata; vbi plus ſors confert quam ſapientia, ſæpiùsque Magnatum fortunæ proluditur, quàm merito. Sors Encomia diſpenſat, ſæpiſſimè immeritis. Infantilis hic luſus, cuius Te peritiſſimum iactitas, mediocres animos proritat, dum fauet; magnanimi tolerant & rident; Principes viri dedignantur & expungunt, maluntque celebrari obſequentiſſimo famulatu, grauique Elogio, quam puerili garrulitate, laudeque fortuitâ titillari. Vix in Apoſtolicam Sedem & in Summos Pontifices ſtrinxerat calamum Lutherus in Germaniâ; in Angliâ Antonius de Dominis; cum ecce feſtinâ manu, Elogia Pontificum celebrat, Sediſque tuetur majeſtatem Ordo Prædicatorius; non Anagrammaticis proluſionibus, ſed doctiſſimis ac grauiſſimis Lucubrationibus in publicam lucem ſtatim emiſſis. Primus enim qui ſcripſit aduerſus Lutherum, Cyriacus fuit, putà, Sylueſter Prierias, S. Palatij Magiſter, ipſo teſte Poſſeuino. In Antonium de Dominis Pontificiæ dignitatis pariter oppugnatorem, Grauina in Italiâ, in Galliâ Coeffeteus, ambo Dominicani; ſicut Platinæ mordacem in varios Hierarchas ſtylum compeſcuit celebri ac vulgato etiam opere Ciacconius pariter Cyriacus; habetque Alexander VII. totius orbis Chriſtiani Pater & Paſtor, tot Encomiaſtas, ac Apologiſtas, quot ſub habitu Prædicatorio militant Fratres, vltronei & ſynceri Panegyriſtæ. Cæterùm Ioannis Euſebij Nierembergij laudandus aliquâ ex parte affectus, ſed non ita fœlix conatus: quem ex Anagrammatiſmis Prophetam dici, meritò negauit Carolus Ionius, nec euentus comprobauit prophetiam, errauitque ipſe Euſebius, ſi fortuitis literarum combinationibus annexum credidit vaticinium. In cæteris, Petri nugatio continua. Si autem pari Te cibo placeret ineſcare; reponeremus Anagrammatiſanti, exhibens latentis ſub laruâ Nebulonis genuinum ſpecimen: Anagramma, quo, qui virum Religioſum Carolum Ionium ad Aſini ſortem irreligio auſu damnaſti, infra ipſum deſcenderes; & exauditus

Infantilitas.

es pro reuerentiâ Tuâ, deuolutus ad haram ſeu ſtabulum porci, qui in hortum floribus diſcriminatum irruens, & roſtro ſuffodiens terram, flores quos eradicauit & depreſſit, Terrâ fæculentâ ac putido cœno coperit ac ſordidat; velut Tu dum attingis Cyriacorum laudes ac merita, abſcondis & conſpurcas perenni calumniâ ac ſpurciloquio. Vnâ tantum literâ mutatâ, eliſâ alterâ. Reſpondes; Quod illud? Dabo libenter; Magiſtelli enim Anagrammatici binam hanc licentiam admiſere. *Petrus à Valle-Clauſa.* Anagramma. *Celas, Turpas bellua.*

OCTAVA REFLEXIO.

An Cyriaci, ſeu Dominicani inuideant Scriptoribus eximiis.

De ſupremo Ætnæ montis vertice exundantes perpetim flammas tremens Italia contuetur, augetque cum admiratione metum tanti latens cauſa incendij. Quæ illa? Explicet Poëta, & ſolito more concinat.

Virg. 3. Æn. *Fama eſt Enceladi ſemiuſtum fulmine corpus*
Vrgeri mole hâc, ingentemque inſuper Ætnam
Impoſitam, ruptis flammam expirare caminis.

Attonitus & ſtupens accepit nuper Orbis Chriſtianus incluſas Libello famoſo flammas, in Ordinis Prædicatorij ruinam ac dehoneſtationem palàm graſſanti, quem ſpurciſſimus ille Tenebrio, cæco oppletus igne, Ignorantiæ, Mendacitatis, Impoſturæ, Erroris, Hæreſis, Impietatis ac Blaſphemiæ inſimulans, latentem indicauit ſub larua hoſtem, velut rotatis ad internecionem prunis ardentibus, incineraturum integram Dominicanorum familiam. Montem itaque ardere vidiſtis, nec tamen monti ſuppoſitum & ſub fumanti monte latitantem licuit intueri. Aperio igitur cum Mantuano Vate tumens ſepulchrum; Ætnam reuoluo, Enceladum exhibeo cæleſti fulmine confoſſum, & per apertos ſupercilioſi montis hiatus euomentem flammantes globos. Si quidem fama eſt, & hæc noſtra Octaua

Reflexio comprobabit, Petri à Valle-Clausâ, bis in Gallia combuſti, ac Pontificio fulmine percuſſi caput, moribundo flatu rotare carbones & *ruptis flammam expirare caminis.* Exhauſtâ fœtentium Conuiciorum ac Calumniarum quibus ſcatebat, congerie; imbecillitatiſque propriæ conſcius, nebulo peregrina aduocat auxilia, & corrogat vndequaque precarias manus, extremum agens inter hæc verba ſpiritum, quæ præſtat audire.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Cyriacis inurit notam Iudaiſmi.

Conſtat, zelum amarum viris bonis malorum multorum ſementem facere, ſi qui poteſtatem ei zelo adiunctam habent, vel genio ſint ad nocendum prono, ac ſcabie notandi pruriant, vel quæ ſua ſunt quærant, non quæ Ieſu Chriſti; non Iuſtitiæ, ſed cauſæ ſuæ velificantes. Iudaicum id vitium eſſe, notatum eſt à Iuſtino in Dialogo. Acti enim cacozeliâ Iudæi naſcentem Chriſti Eccleſiam, ſpecie honoris Dei, & tuendorum Moſis inſtitutorum inſequebantur; peruersè ac malignè in Chriſtianis criminantes omnia, velut Muſcæ ad vlceroſa (ſi alicubi occurerent,) aduolantes; cum ne vmbra quidem noxæ inerat, conclamantes in innoxios, labiſque puros. §. 126. DIATRIBA 8.

RESPONSIO.

Commoda mihi penicillum coloreſque pingendo Ordini meo, mox à Te aptatos, vt veram Tui effingam imaginem, Tuiſque Te verbis depingam, quadrant enim optimè. Genio ad nocendum prono ac infandâ ſugillandi ſcabie pruriens, Iudæum Te probas & Iudaico liuore ſupra fidem infectum; qui Cacozeliam Iudæorum imitatus, imò Iudæis procacior; (qui cauſæ ſuæ velificantes non iuſtitiæ; Chriſto naſcenti, & in cunabulis agenti eius Eccleſiæ inſidiabantur, ſed ſpecie honoris Dei & ſimulatâ Legis Moſaicæ tuitione) abiecto omni pudore, eiuratâ omni ſpecie honoris Dei ac Legis Chriſtianæ, Chriſtum ipſum impudoratè inſecutus es, vbi de Samaritanâ §. 83. ex parte,

Eccleſiam eius, ſeu Cœtum Religioſum Chriſto litantem probroſè traduxiſti; peruerſè ac malignè, in Dominicanis criminatus omnia, velut Muſca ad vlceroſa (ſi alicubi occurrerent) aduolans, & depaſcens deciduam ab vlcere ſaniem. *Tu ergò Iudæus cum ſis*; ſi non origine (de quo problema, ob admiſtos Albigenſibus Inalpinis Iudæos) ſaltem inueterato liuore & cacozeliâ conſimili; Iudaiſmum affingis Ordini Prædicatorio, qui Iudaiſmi Hiſpanias infeſtantis infames reliquias funditùs expunxit, eluit, deleuit? Dicam quod ſuprà tetigi & publicum eſt; & ne cauſæ meæ ſupra verum fauere videar ambitioſo terminorum apparatu; fidem interpello alienam, nec Tibi ſuſpectam, exſcriboque ſimpliciter Poſſeuinum Societatis Scriptorem, in Apparatu ſacro; V. Thomas, ſic effatum. [Thomas de Turre-cremata Ord. Prædicat. Theologus, in Hiſpania Hæreticæ prauitatis Inquiſitor Generalis, & Catholicorum Regum (Ferdinandi & Iſabellæ) Confeſſarius, vir fuit multæ eruditionis & apud Catholicos Reges tantæ authoritatis, vt cauſa præcipua fuerit expulſionis Iudæorum ex Hiſpaniâ. Nam cum illi poſt multam eâ in re deliberationem iam concluſiſſent eos ſuis Regnis procul facere; iterum nutabant circa hoc, ob immenſam pecuniæ ſummam, quam illis Iudæi, ne expellerentur, polliciti fuerant: Id reſciens bonus Pater & zelo Dei feruidus, dum perpenderet quanta mala ex eorum commercio cum Chriſtianis prouenirent; imaginem Domini noſtri ſub cappâ accepit (Audin' Petre?) & audacter ad Catholicos Reges ingreſſus fuit, & inter alia quæ propoſuit, hoc fuit vnum; Iudas pro 30. denariis, Dei Filium vendidit ſemel; Celſitudines veſtræ nunc pro 30. millibus, eumdem ſecundò vendere cogitant. Ecce ergò eum iam vendite; imaginem Crucifixi Domini noſtri ante eorum oculos ponendo. Qua re conterriti Principes, quod conceperant de expulſione Iudæorum, non retractarunt, quin potiùs, opere compleuerunt.] Floruit an. 1490. Vides ergò quàm ſint ad Iudæos affecti Cyriaci? Audi & ex Spondano, quibus commiſſa fuerit à Nicolao III. Iudæorum conuerſio. [De cæterorum Infidelium ſalute ſollicitus (Nicolaus) Conſtitutionem (quæ habetur in Bullario in Nicolao III.) edidit pro Iudæorum conuerſione; quibus diligenter Fidem annuntiari per Fratres Prædicatores mandauit. Vſumque

An. 1278. n. 3

eumdem Roberti Kiluarlij Angli eiuſdem Ordinis Prædicatorum, ex Archiepiſcopo Cantuarienſi creari à ſe Cardinalis Epiſcopi Portuenſis, Theologicis ac Philoſophicis ſtudiis ac ſcriptis inſignis, induſtriâ ad literas ſuo nomine pro conuerſione Tartarorum ſcribendas; apud Ciacconium legimus.] Hi Cyriaci Iudæos conuertunt, Thomas Turre-cremata ex Hiſpaniâ pellit, & ſcripta D. Thomæ nouum Chriſto mancipant. Ait enim idem Spondanus. *An.1406. n.12.* [Paulus à S. Mariâ *Carthaginenſis Epiſcopus*, cognomento *Burgenſis*, à Patriâ vnde ortum habuit, & vbi poſtremo Epiſcopum egit; profeſſione anteà Iudæus, corporis nobilitate, doctrinæ laude, in eâ gente facilè princeps: qui ex ſcriptorum S. Thomæ Aquinatis lectione, Chriſtianus factus, Religionem quam ſuſcepit, egregiis ſcriptis illuſtrauit.]

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Ambitionis Spiritu agi omnes Cyriacos denuntiat.

§. 127.

SCabioſus hic Genius, mentis corruptæ ac liuentis fœtus ad carpendum & alienum ſplendorem præſtinguendum factus, pleroſque Cyriacos pridem occupauit. Et acuit pruriginem dominatûs longa poſſeſſio, & longo vſu prioritata euectionis ac primatûs captatio. Narrabat Abbas Vallumbroſanus, ex ſui cuiuſdam domeſtici, diu inter Cyriacos verſati, teſtificatione; Cyriacorum à ſupremo ad imum, & à primo vſque ad vltimum, cogitationes, verba & opera, promotionem ac primatum redolere. In eo ſpiritu adoleſcunt minores, conſeneſcunt majores, nemo huius curæ & ſollicitudinis exors. Itaque ſchola humilitatis, facta eſt ſchola captandorum honorum & ambitioſè erependi ad celſiora: Inde contentiones cum reliquis omnibus Ordinibus de præſedentiâ, Conſiſtoriano ſcripto aſſerta: & anteriùs quoque ab Archidiacono in cap. de decimis *in 6. & à Felino* in Rubr. de majorit. & obedient. *& in caput* cum dilecta *v.* Ordo Scripturæ. *Præter nundinatitios calamos Bononienſium, Patauinorum & Ferrarienſium, à Fratribus ad id conductos, & Baptiſtam Caccialupum, quem ad hoc cum cæteris adducit Barthol. Chaſſaneus in Catalogo p. 4. Conſider. 73. ex eodem fonte prodiit, Canoni-*

corum Clericorumque Regularium tentata depreſſio: & ſedes ante quoſcumque Generales in Concilio Tridentino & in Suppoſitionibus publicis prærogatiua in procedendo.

RESPONSIO.

DVcis me licèt renitentem, in vallem vmbroſam, ſic enim fraudulentâ nomenclatione Tuam Vallem-Clauſam indigitas. Veriùs tamen indicaſti mentem Tuam, fœtidâ mordacis liuoris ſcabie ſtrumoſam; quæ occluſa luci rationis & gratiæ, vmbroſo ſemper aëre nigreſcit, & in alienum ſplendorem inuolaturus, modo famulum Typographicum, modo ſeruum Abbatis Vallumbroſani, hinc Caculas, illinc Lixas, quibus innutritus es, Teſtes adducis in Cyriacorum vltimam dehoneſtationem; tanquam præcipuos Tuæ Vallis ciues, & primarios viros, quibus in proſcriptione celeberrimi Ordinis, plena fides ſine dubitatione aut ſcrupulo, ſit adhibenda. Dignum certè tali matellâ operculum! Digni tali delatore & actore teſtes. Exturbandus eſt Ordo Prædicatorius ab eminenti illâ exiſtimatione, quam pepERERE illi, tot præcellentes pietate & doctrinâ eiuſdem Alumni: tot Cælites, tot Præſules, tot Patres Purpurati, tot Summi Pontifices ex eodem prognati ſinu: ſimul & fluuius ille ſuperbè tumens ſanguinis pro Chriſto effuſi, multiplicique Martyrio faciem Terræ purpuriſſantis. Denique tot Summorum Pontificum, in eiuſdem Cœtus gloriam conIecta Encomia. Euertendis, inquam, hiſce gloriæ trophæis, turpique ambitionis impudoratæ propudio, infuſcandæ Religioni de Eccleſiâ tot titulis benè meritæ, vnicus teſtis obtruditur: Iſque non è Senatorio ordine, non ex Academiâ Literariâ aut Equeſtri agone; ſed è culinâ, è ſtabulo, ex harâ educitur ſeruus, anonymus, & ſolâ fide Petri à Valle-clausâ, quæ nulla eſt, conſpicuus.

Audiatur interim; quid ille? Ipſe eſt mutus, elinguis, nec niſi commodatitio ore locuturus. Quo interprete? Abbate Vallumbroſano. At nunquid multi ſuccedaneâ poteſtate prædictæ valli præfuerunt, niſi fortè immortalitatis prærogatiua, loci Præfecto obtigerit? Reſpondes; Extitere multi: Qualem ergò ſponſorem Impoſturæ facis, cum & nomen taceas? Procul dubio ſi premaris, mortuum

dices quem non potes exhibere, nec nominare audes. Siccinè ludificaris orbem Chriſtianum, petulans Nebulo; putaſque Lectorem adeò hebetem, vt ridicula & puerilia commenta non aduertat nec exhorreat? Verùm demus Tibi licet laruato; Abbati & famulo fictitiis, triplici chimæræ, plenam fidem. Vnde compertus eſt ſeruus ille integrum Ordinem Cyriacorum virulentâ adeò ambitionis labe infectum, vt in vaſto hoc corpore per totum orbem expanſo, à ſupremo ad imum vt loqueris, à primo vſque ad vltimum, promotioni inhient, ſtudeantque omnes vanitati non veritati; Typho, non Deo? Quia, inquis, Abbas Vallumbroſanus ex ſui cuiuſdam domeſtici, diu inter Cyriacos verſati teſtificatione hoc reſciuit. Suam ergò operam præſtitit famulus ille in aliquo eorum Cœnobio? Planè. Conuentus ergò ſingularis, erat veluti ſpeculum ampliſſimum, vniuerſale & vaſtitate ſuâ mundum complectens, in quo relucebant cogitationes, verba & opera omnium ſimul Dominicanorum, tanta pelluciditate, vt ex vnius huius ſpeculi inſpectione, ſeruus ille vno obtutu totum exhauriret & contemplaretetur Ordinem; foretque ex decem aut duodecim comploratâ ambitione, de omnibus omnino præjudicata ſententia? Vbi, Petre, iudicium? Vbi ſenſus communis? Nullus datur Ordo Regularis, qui ex aliquâ ſui parte rimulas non exhibeat, patiaturque ſuos næuos: Si ergò vnius membri purulentia infect corruptionē totius; periit de terra viuentiū ſtatus Religioſus, imò periit Fides Catholica, Eccleſia Chriſtiana corruit, cum multorum Fidelium proſtrata iaceat pietas, Fides criminibus conſpurcata. Non itaque apud Cyriacos ſchola humilitatis, facta eſt vanitatis ſchola; ſed membri cuiuſdam ſingularis (ſi quæ Tibi fides adhibenda) venenatus tumor, comprimendus eſt exemplo ac humilitate aliorum membrorum, totiuſque corporis moderatione, factis ac miraculis comprobatâ. *Impoſtura.* *Supinitas.*

Certè digniùs agam Tecum, Petre, non equidem Tua premens veſtigia, ad ſeruos, caculas, coquos, lixas, Tecum deuoluar; ſed pertraham Te ad celebrem Cœtum & introducam in templum humilitatis, omni ornamentorum genere diſcriminatum & effulgens. Acceſſiſti ad porticum in cuius magnificis foribus ſtat Agnus ſpineâ coronâ redimitus, & circa illum virtutes Religioſæ, quælibet ſuo inſi-

gnis charactere. Vt intraueris, mirabiles ſpecies oculis Tuis obiectæ, miraculum narrabunt nec oſtendent. In quatuor diſtinctos & inæquales ſuggeſtus diffuſa habitantium majeſtas, mentem rapit & attonat. Qui primus occurrit ingredientibus, ſceptris ac coronis ſeſe interſecantibus figuratur & ſplēdet: Sequentem exornant Cydares & Infulæ, vario Pontificum ſplendore coruſcantes. Vno adhuc ſuperior gradu conſeſſus micanti purpurâ rubeſcit, omniumque ſupremus, triplicatis coronis, quas *Thiaras* vocant, altiori cæteris majeſtate emicat. Miraberis certè, quod per tot ſedilia, nullum ſeſſorem oculus loci dignitate ſuſpenſus, aduertat.

Verùm inflecte caput, & defixis in terram luminibus, adhærentes pauimento conſpicies tantæ majeſtatis viros, quibus pompaticæ hæ ſedes parabantur. En Tibi viginti quatuor illos Apocalypſis Seniores, è Regia ſede ad pedes Agni, inflexâ ceruice, poſitoque diademate prouolutos. His ſignantur primarij viri Religionis Dominicanæ, qui tum innatam, tum illatam, natiuam & aſcititiam majeſtatem, Religioſâ depreſſione complanarunt: memores illius, *Quanto maior es, tanto Te humilia in omnibus.* Ex quolibet Ordine & ſuggeſtu vnum tantum ſeligam, ne multitudo nos detineat, aliò properantes. Quæ in interiori templi veſtibulo prima occurrit ſedes, iis opplenda venit, qui depoſitâ majeſtate, Diademate cinctum caput ſuppoſuere iugo Chriſti ſub veſte Cyriacâ. De innumeris vnum produco Humbertum Delphinum Viennenſem, & ſupremum obtinentem in ſua ditione dominium: [qui (vt oſtendit Spondanus in an. 1490. n. 8.) rediens ab expeditione orientali, in fauorem Regis Galliæ eiuſque Primogeniti, dominatione ſe penitus abdicauit, & Regularem vitam profeſſus, Lugdini Ordinem Fratrum Prædicatorum ingreſſus eſt] præferens ſupremo dominatui humilitatem Religioſam ſub habitu S. Dominici conſpicuam. Non ergò omnes à primo ad vltimum, promotioni & primatui inhiant, cum promotionem & primatum ablegent & relinquant.

Paratus eſt alter ſedium ſuggeſtus, ſacris Eccleſiæ Præſulibus, Archipræſulibus & Patriarchis, qui, hinc cum Melchiore Cano, Canarienſem Epiſcopatum; illinc, cum Alberto Magno, Archiepiſcopatum Ratiſponenſem vltrò

deponentes, ad infima Clauſtri miniſteria, mundo & pompis eius emortui, libero ac veloci greſſu rediere. Vt omittam Cælites, Beatum Raymundum à Rupe-forti, Generalatu Ordinis ſe expoliantem; Diuos Thomam & Dominicum Infulas ſæpè oblatas repellentes. Et vt Patriarchæ aliis Præſulibus pari animi demiſſione concinant ſub eadem Dominicanâ veſte; Frater Donatus Venetus Patricio & clariſſimo genere ortus (inquit Alphonſus Fernandes in Concertatione Prædicatoriâ, cuius verba exſcribo) qui omnia Religionis munia, factus Venetiarum Patriarcha integrè ſeruabat. Vir humilis cum lachrymis conſtanter dignitatem repudians; & renuens ac reluctans, eam acceptare eſt coactus. Fuit inſignis Eccleſiaſtes, obiitque an. 1504. Hinc Petre promotionem & primatum ambiunt?

Aſcende iam ſuperiùs, & inter Purpuratos Patres ferè innumeros ex Dominicanâ familiâ aſſumptos, paruitateque ſeu depreſſione ſpontaneâ, in eminenti loco gaudentes (velut paruitatem corpoream non deponit in apice montis tumulus puer: (Vnũ ſeligo, ne multiplex nos purpura obruat; Latinum, inquam, Cardinalem Oſtienſem, virum primariæ virtutis & integritatis, qui in illo interregno Pontificio biennali poſt obitum Nicolai IV. quam ſibi ex ſummâ quâ pollebat apud omnes, virtutis exiſtimatione, arrogare poterat, Petro de Murhone, ſeu Cæleſtino V. procurauit Pontificiam dignitatem. *Cuius*, inquit Spondanus, *Latini Cardinalis viri præſtantiſſimi, Ordinis Prædicatorum, conſilio & dexteritate, Pontificatus potiſſimum regebatur.* *An. 1294. n. 4.* Cardinalis ille fugit dignitatem pontificiam; iſte quem ſubiicio, Cardinalatus eminentiam in perſonâ ſuâ, ſolo exæquat. Robertus Kilvvarlius Anglus Archiepiſcopus Cãtuarienſis, & Primas totius Angliæ, à Nicolao III. Portuenſis Epiſcopus & Cardinalis ſanctæ Rufinæ creatus, in Cardinalatu, inquit idem Fernandes qui ſuprà, humilem & vilem habuit Ordinis togam, qualem in Nouitiatu geſtabat; pedes ſemper inceſſit, duobus Fratribus & totidem famulis contentus. At, palleſcitne purpura viliſſimo hoc apparatu depreſſa? Imò nouo fulgore rubet, emicat, ſcintillat, germanam Ordinis ſui humilitatem pauperrimo hoc apparatu obſignans.

In ſupremo conſeſſu, quo cælum terra contingit, quæ-

ris Innocentium V. Benedictum XI. Pium V. ſupremos Pontifices ac Cyriacos? Inflexâ ad Terram ceruice videbis eos pauimento adhærentes, abripietque Te in extaſim Benedictus XI. in ſummâ dignitate, affectu curuante, vltimus omnium. Ille pauperrimo loco natus & in ſupremo collocatus orbis vertice, matrem pompaticè indutam (vt decebat Summi Pontificis parentem) coram totâ aulâ ſuâ repulit & exploſit, velut incognitam; ſed poſt aliquot dies redeuntem ad ſe in pauperrimo & primæuo habitu in conſpectu Cardinalium & Principum, ambobus brachiis complexus, dixit (quod in perpetuas æternitates demirabuntur & occinent Angeli) *Iam Te agnoſco & fateor meam Matrem, qui Te video Pauperem.* Reliquumque vitæ tempus modiciſſimo ſubſidio, eam in victu & habitu infra mediocrem ſtatum continuit. A primo ergò ad vltimum; à maximo ad minimum; à Pontificibus, Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Generalibus Præpoſitis, cæteriſque Prædicatorii Ordinis Alumnis, diſce Petre, irreligioſe Nebulo, frons ad faſtidium ſuperba, ſpiritum quo in hâc Familiâ, minores adoleſcunt, quo conſeneſcunt maiores, humilitate ac intimo ſui deſpectu coaleſcere; ſcholamque humilitatis, non ambitionis propudium, inſcribendam Religionem Dominicanam. Nec contendit cum aliis Ordinibus, de primatu, ſeu (vt Tu barbatè loqueris) de præſedentiâ; vltrò & reuerenter antiquioribus cedens; ſuntque laſſæ mentis inſomnia, quæ inflando potiùs quam implendo Operi, ſubtexis de Archidiacano, Felino & diuerſis Italiæ Scriptoribus, qui vno ore concinunt, ſuum cuique ſeruandum locum; non ex vanitate præſumendum altiorem, nec inferiorem ex puſillanimitate ſubeundum. Nuſquam Canonici Regulares reperientur conqueſti de ambitioſo Cyriacorum ante eos excurſu, nec Te docuit hiſtoria Concilii Tridentini contendiſſe Dominicanos de primatu cum vllo Generale antiquiore; ſed repercuſſo intempeſtiui conatus aſſultu, intrepidè & religioſâ firmitate proprium ſeruaſſe locum. Quidni? Singularibus perſonis, licita eſt ſtatus ſui depreſſio; Cœtibus indecora & prohibita. Alias probares in Conciliis Oecumenicis Legatos ſupremæ Sedis, locandos poſt Patriarchas Orientales, primum ambientes locum; ipſamque Eccleſiam Latinam, ex falſâ humilitate debuiſſe in-

curuari ſub & coram Eccleſiâ Græca. Vah! *Sol & Luna ſte-* *Pſalm.*
terunt in habitaculo ſuo; Angeloſque qui non ſeruauerunt ſuum
principatum, ſed dereliquerunt domicilium ſuum, in iudicium
magni dei, vinculis æternis ſub caligine reſeruauit. *Epl. Iudæ.*

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Tyrannidis arguit Cyriacos, dum dicunt conciliationem Gratiæ cum Libertate, credi, non autem ſciri.

§. 128.

E*X eodem fonte pariter manauit, indictio ſilentij, omnibus qui quoquo modo velint obſtrepere receptis apud Cyriacos placitis, etiam ſi inexplicabilibus: cuiuſmodi eſt, cohæſio Prædeterminationis Diuinæ homini ineluctabilis, & Libertatis expedita. Quomodo enim liber eſt qui non poteſt aliter facere ob Prædeterminationem ineluctabiliter adigentem ad vnam partem? Si quis dicat, hoc eſſe inconceptibile & inintelligibile. Reſpondent cum Banne & Cabezudo,* Si non intelligunt, credant. *Contra hanc (vt vocat,) Idololatriam, figmentis ſuis à Thomiſtis exhibitam, pugnat fortiſſimè Diego Alarcon Tract. de Viſione Dei diſp. 2. cap. 11. n. 20. & Didachus Ruis diſp. 59. de ſcientia Dei ſect. 1. Et benè quoque Ægidius à Præſentatione, dicens non eſſe Theologi, niſi captioſi, fingere myſteria, & imperare vt præſtetur fides iis quæ Eccleſia non præſcribit eſſe credenda. Ita tamen mandat admodum præfidenter Bannes 1. p. q. 23. art. 5.* in examine Tertiæ opinionis quæ eſt Iauelli cum ſecundo eius principali. *Ita, inquam, pro poteſtate arrogatâ & arrogante, mandat Bannes, per audaciam, ex eo quem notabam fonte vitiato manantem. Nec diſpar Gregalium ſenſus in plериſque. Exempla inſignium virorum, quos Cyriaci, quia ſecum non erant, peſſimè habuerunt, ſubiicio ex innumeris nonnulla.*

RESPONSIO.

NOn Tibi ſilentium indicunt Cyriaci, ſed Pontifices, quæſtionem de Auxiliis, ſcripto vulgato ventilari prohibentes; Vnde cùm eorum decretis petulantiùs obſtrepas, & cauſam eamdem, quâ, ter in hâc ſcriptiuncu-

lâ Tuâ cecidiſti, refrices, os infrænc volumus æterno ſilentio obſignare, vt diſcas, ſi non ſapere, ſaltem obedire, ſimilis factus importunis litigatoribus, qui quoties damnati, toties appellant. Non itaque Philoſophicum Problema, garrulâ Diſſertatione excutiendum ſuſcipitur, ſed lis & quæſtio Theologica, graui Senatuſconſulto dirimenda. Iudex conſtituitur Auguſtinus, in hâc materiâ omnium celeberrimus; cauſamque vtrinque excutient; pro parte Tuâ, tres, quos adducis, Aduocati, non ita in orbe Theologico noti; Alarcon, Ruizius & Ægidius à Præſentatione: quibus opponent Cyriaci, cauſæ ſuæ Patronos, Caietanum, Pererium, Zumel: (prætereo alios quos citat Aluares) quos vt arbitror non recuſabis. Non quidem Caietanum, licet Cyriacum, quia Cardinalem: Purpuræ enim magis quam rationi ſeruis, licet vtramque cumulatè in eo reperias. Paulo antè ſcripſiſti, agens de Baronio, poſitos in Eccleſiâ Dei Cardinales, velut Principes; vnde veſtimentum eorum à Purpurâ (quæ Te proritat) conficitur. Num ergò Alarconi Caietanus, ſaltem ſub beneplacito Tuo, æquandus? Ruizio oppono Pererium, Collegam quidem, ſed maioris momenti, & quem Poſſeuinus, amborum Gregalis, virum inſigni eruditione & perſpicuitate refertum pronuntiat. Ægidio denique Zumellum de mercede, rei Theologicæ peritiſſimum. Interim nos, Petre, diſſertantes auſcultemus, indicto obtemperaturi ſilentio. Tu equidem, garrulus huc vſque, iam ſiles; nihil enim de Tuo profers, præter duplex & enorme mendacium, quod ſtatim indicabo. Exſcribis enim tantum Alarconem; & vt pari Tecum armorum genere congrediar, ſilebo quoque, exſcripturus Ioannem à S. Thoma, Te & Tuum Alarconem ac Collegas, florenti ſtylo ſic confingentem.

Diſp. 108. de auxil.

Q. 12. in 1. p. d. 14.

[Excedit nimis hic Author (Alarcon) quia ſine cauſa & ratione, plura ſatis indigna in genere doctrinæ accumulat, in Magiſtrum Nuno & Thomiſtas. (Paucis interiectis) ſic enim loquitur. *Sunt nonnulli Thomiſtæ qui cum præſtigiis velint intellectum noſtrum deludere; ſuadere nobis volunt commenta, quaſi Fidei documenta, cui debeamus rationis lumen ſubmittere: profectò puto Idololatriam quamdam, ſi cultum quem debeo infallibilitati diuinæ, figmentis exhibeam Thomiſtarum, vt ſacra Fidei exhibebat olim Auguſtinus. At verò*

Thomiſtæ orent alios pro hoc obſequio, me tamen nunquam exorabunt. Lege Ruizium noſtrum tom. de ſcientiâ Dei diſp. 59. ſect. 1. vbi videbis quâ ratione ſolemnem iſtum cultum ambire ſolent Thomiſtæ pro ſuis opinionibus, quando illas vi argumentorum fundare non poſſunt. Cui ſubſcribit Ægidius Luſitanus. Bone Deus! quam fœcunda eſt inſcitia, cùm rationis pondere deſtituta, in auras dilabitur vanitatis; & quantum impropriæ dicacitatis felle temperantur ſpicula, cum ſagittis argumentorum euacuatur pharetra veritatis.] Quibus præſtigiis Thomiſtæ deludant, non eſt noſtrum diſcutere; inquit Ioannes à S. Thoma, referens verba Alarconis inſimulantis cum Ruizio & Ægidio, Thomiſtas Idololatriæ literariæ, eoquòd dicunt captiuandum intellectum, vbi ratio non occurrit expedita & euidens, qualiter euenit vbi de concordia Libertatis cum Gratiâ agitur.

Audiſti Petre tres Cauſidicos in fauorem Tuum perorantes, nunc patulas præbe aures tot Patronis, Cyriacos ab illatâ iniuriâ vindicantibus; quos dum audieris, ſi non intelligas, crede & *ora Dominum vt Tibi det intellectum.* Qui principibus viris acclinis & aſſentator haberi gloriaris, Caietanum Cardinalem non explodes dicentem in caput nonum Epiſtolæ ad Romanos. [Cùm obiicis, coniunge hæc duo ſimul (nempe electionem Dei eſſe infallibiliter effectum habituram, & quemlibet noſtrum eſſe liberi Arbitrij:) Reſpondeo, me ſcire quod verum vero non eſt contrarium, ſed neſcire hæc iungere, ſicut neſcio myſterium Trinitatis, ſicut neſcio animam immortalem, ſicut neſcio, Verbum caro factum eſt, & ſimilia, quæ tamen omnia credo.] Quod confirmat alibi. [Optimum autem atque ſalubre conſilium eſt; in hac re inchoare ab his quæ certò ſcimus, & experimur in nobis; ſcilicet omnia quæ ſub libero Arbitrio noſtro continentur; euitabilia à nobis ſunt, & propterea digni ſumus pœnâ vel præmio. Quomodo autem hoc ſaluo, diuina ſaluetur prouidentia ac prædeſtinatio &c. Credere quod ſancta Mater Eccleſia credit. Scriptum eſt enim, Altiora Te ne quæſieris: plurima enim ſunt ſupra ſenſus humanos reuelata, & hoc eſt vnum ex illis.] Sic Caietanus. Audin Petre? Si non intelligis, crede. Purpuratum Patrem non audis? *1.p.q.22.a.4.*

Dicis, eſt Cyriacus, & hoc Titulo quia Cyriacos appeto, non ita gratus. Delicatus es, (vt video) dabo pergra-

tum; Benedictum, inquam, Pererium, celebrem in Societate Scriptorem, qui Tom. 6. Diſputationum ſelectarum in ſacram Scripturam, ad illa verba Apoſtoli ad Romanos. 9. *Ergo cuius vult miſeretur*, eamdem Quæſtionem de concordiâ liberi Arbitrii cum Prædeſtinatione & Gratia, expendens ait: [Hæc duo manifeſta eſſe, & ex ſacris literis, & ſecundum rectam rationem, homines à Deo prædeſtinatos, neceſſariò, (neceſſitate infallibilitatis) ſalutem ſuam conſequi, nec perire poſſe, & hominem eſſe liberi Arbitrii ad eligendum quodcumque voluerit, ſiue bonum, ſiue malum. Verùm quo tandem vinculo ſiue glutino connectantur iſta & copulentur inter ſe; videtur eſſe incomprehenſibile homini in hâc vitâ. Paulo infrà concinit Caietanus, difficilem hunc nodum & intelligentiam eius, ſicut myſterii Trinitatis, dilatam ad aliam vitam, incognitam fuiſſe D. Auguſtino exclamanti cum Paulo, *Tu quis es, ô homo, qui reſpondeas Deo*?] Ecquid, Petre, etiam in Tuâ ſententiâ, Pererius, Sodali ſuo, Ruizio (ſed quam inferiori) præponderat? Supereſt vt Ægidium, Zumel compeſcat: ait enim [Mirabile eſt argumentum quod Aduerſarii conficiunt, cùm dicunt ſe non poſſe intelligere quo pacto ſaluetur concordia liberi Arbitrii cum Gratia, niſi tollendo prioritatem diuini auxilii efficacis: mirabile, inquam, eſt argumentum, quia ſi ipſi non intelligunt, Fides & Eccleſia intelligit &c. Poſteà ſubdit. Quod ſi ego non intelligo, non ob hoc deſerenda eſt Fides catholica: etenim ſi tam clara & aperta eſſet liberi Arbitrii cum Gratiâ efficaci concordia, vt iſti dicunt, non eſt cur tantopere laborarit Auguſtinus & laborarit Eccleſia &c.] Conſonant itaque tres hi, Cyriacorum, quos Tu impetis, patroni; reſtat tantùm vt Arbiter cauſę Auguſtinus ſententiam proferat. Profert.

1.2.q.3.a.3.d.1.

Auguſtinus de Prædeſtinatione SS. c. 14. loquens de hac Concordiâ; ait *eſſe difficillimam quæſtionem ad ſoluendum*. Epiſtola 2. ad Valentinum, *difficillimam* vocat. Ep. 1. *difficillimam & paucis intelligibilem*. Lib. de Gratia Chriſti c. 47. *Iſta quæſtio vbi de libero Arbitrio voluntatis & de Dei Gratiâ diſputatur, ita eſt ad diſcernendum difficilis, vt quando defenditur liberum Arbitrium, negari Dei Gratia videatur; quando autem aſſeritur Dei Gratia, liberum Arbitrium putetur auferri*. Lib. 2. de peccat. meritis & remiſſione c.

18. graui difficultate ſe premi fatetur, ne liberum Arbitrium Gratiâ, aut Gratiam libero Arbitrio excludat. Quod facillimè conciliaturum ſe gloriatur laruatus Ludi-magiſter Auguſtino oculatior. *Ipſa etiam ratio*, inquit Auguſtinus, *quemlibet noſtrum quærentem, vehementer anguſtat, ne ſic defendamus Gratiam vt liberum Arbitrium auferre videamur: rurſus ne liberum ſic auferamus Arbitrium, vt ſuperbâ impietate, ingrati Dei Gratiæ videamur.* Ex quibus verbis Iulianus ſumpſit occaſionem calumniandi S. Auguſtinum, quaſi dixiſſet Gratiam non poſſe cum libero Arbitrio cohærere. Quam calumniam à ſe repellit S. Doctor in lib. de Gratia Chriſti c. 47. vbi alloquens illum Hæreticum, ait irridens eum: *Tu autem vir honeſtus & verax abſtuliſti verba quæ dixi, & dixiſti quod ipſe finxiſti. Ego enim dixi hanc quæſtionem ad diſcernendum eſſe difficilem, non autem dixi non poſſe diſcerni: Redde verba mea & vaneſcet calumnia Tua.* Hæc ſententia decretoria; hoc decretum Auguſtini Doctorum perſpicaciſſimi, quo eluitur impacta Cyriacis calumnia à mendaciorum & conuitiorum fabris; maximè à Pſeudo-Petro, cui poteſt dicere Bannes velut Impoſtori, *Falſatio.* *Redde verba mea & vaneſcet calumnia Tua.* Bannes enim loco à Te laudato, quærit an detur aliqua cauſa Prædeſtinationis ex parte hominis; de concordiâ autem Gratiæ cum Libertate, vt Tu illi affingis, nec verbum. Poſſunt & dicere Tibi Cyriaci cum Auguſtino, *Redde verba noſtra, & vaneſcet calumnia Tua.* Imponis eis, quaſi admittant Prædeterminationem eſſe *ineluctabilem*; cui tamen poſſe reſiſti, palàm & vno ore conclamant.

Accipe ergò Impoſtor effrons, directa ad Te quæ Auguſtinus dicebat Iuliano Pelagiano, garrulâ Tecum vanitate, velut de debellato Auguſtino ouanti, quod inueniſſet duos doctrinæ & erroris ſui Patronos, Pelagium & Celeſtiū, quibus vna cum ipſo ternarium efficientibus, alium quoque, ſed ſacratiorem ternarium, pro veritate tuendâ opponebat Auguſtinus, Hilarium, Ambroſium, Gregorium. *L. 1.* [Quid eſt quod exultas, & mihi, ſi in conſpectu Iudicum eſſemus, quaſi victor inſultas, tanquam non inuenirem quid facerem, quo confugerem, ſi Iudicum premerer poteſtate, ſi in medio Eruditorum conſiſterem Tecùm; ſi verè quam dicis rationis Tuba, à Te ſcilicet magno Tibicine inflata, ſi Auditorum arma circumſtantium

& Tibi fauentium concreparent?] Habeo quo confugiam, Petre. Confugiam ad quatuor illos quos oppoſui; ad hæc tam clara lumina prouocarem & prouoco: Ad Auguſtinum, Caietanum, Zumel, Pererium. [Sed qualiſcumque homo

Ibidem. ſis (verbis Auguſtini Te conuenio) tamen quia homo es, videre mihi videor verecundiam Tuam: ſi tamen non in Te ſpes omnis emortua ſanitatis, & quodammodo audio vocem Tuam: Reſpondes, Abſit vt audeam viros iſtos cæcos vel cogitare; vel dicere. Eorum ergò appende ſententias. Nolo eſſe plures, vt eas non Te pigeat numerare. Sed non ſunt leues, vt eas dedigneris appendere. Imò tam ſunt graues vt Te videam ſub earum onere laborare. Nunquid & de iſtis dicturus es, me imbellem Tibi opinionem conſor-

In fin. l. 2. ad Iulian. tis (Caietani) opponere, & velut conſternatum metu, conſcios numerare?] Huc vſque Auguſtinus. Sed an conſors aut conſcius Cyriacorum, Auguſtinus ipſe Eccleſiæ Doctor, Zumel Mercenarius, Pererius Ieſuita? Euaneſce Petre, cum Idolo quod Tibi confinxeras; & *quod in poſterum non intelliges, crede.*

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Queritur Lullum ab Eymerico & Bzouio malè habitum.

§. 129. R*Aymundus Lullus, cuius memoria in benedictione eſt apud Baleares, Domino cooperante & famam eius, vt referunt, confirmante frequentibus ſignis, à pleriſque Cyriacis, nominatimque ab Eymerico & Bzouio, malignè traductus eſt, & multorum in fide errorum in libris eius abditorum infamatus; ac Decretali Gregorij XI. in Lullum intorta grauatus. Sed eam Decretalem, nunquam à Gregorio manaſſe; fuiſſe autem è fratre Nicolao nequiter confictam, multis argumentis euincunt, Dermitius Thadæus in Spongiâ Bzouianâ ad an.* 1375. *n.* 15. *Lucas Vadinghus ad an.* 1315. *à n.* 10. *Et vt aliquis obfirmatè tricari vellet Gregorij Diploma non fuiſſe confictum; de eius tamen ſubreptione non liceret ambigere; quia articuli eo Diplomate damnati, & ab* Eymerico *recenſiti, non ſunt Raymundi Lulli, ſed ab ipſo* Eymerico *maligne deprauato textu,*

per

per additionem, detractionem, interruptionem, truncationem, ſenſus extranei ſubiectionem, diſtorti atque luxati, vt Dermitius loco allegato confirmat.

RESPONSIO.

Libertatis buccinator inſipide, idem & Libertatis interfector, quid me vi importunâ adigis præſtare quod nollem, & reluctâti calamo coactum imperare obſequium? Mens erat & ſingulare votum abſtinere ab omni cenſurâ etiam legitimâ, acturus cum inerudito Nebulone, qui ſe cæco & temerario auſu, omnium Cenſorem exhibet, cogitque nolentem, Raymundi Lulli genuinum ſpecimen, nonnullis fœdatum maculis publicæ luci exponere, cùm alia, indaganti non ſuppetat, purgandi impactam Ordini meo calumniam, via. Inuitus refero dicta aliorum qui cenſorio ſtylo libros & Authorem perſtrinxere, & niſi inſtaret depellēdi conuicij neceſſitas, nuſquam enucleando huic myſterio aptaſſem calamum, ſed Tu me coegiſti. Malignam Lulli traductionem affingis noſtris Cyriacis, Eymerico & Bzouio; & ex vtroque capite, malignum Te ſupra fidem, prodis, iniiciens mentionem querulam de Lullo, cum non ignores, irrito omni amicorum & affinium conatu, nuſquam à multiplici inuſto ſtigmate potuiſſe purgari. Vt clareat itaque inculpata circa eum, Cyriacorum cauſa, Authorum ſuffragia colligamus. Balthaſar Vverlinus ad Trithemium in Raymundo Lullo, aſſerit fuiſſe Eremitam, conſentit Mariana. Iodocus Coccius in indice: Poſſeuinus, in Apparatu ſacro, V. Petrus Raymundus, qui & Lullus: Camillus Bouillus Samarobrius, indicat fuiſſe Eremitam vagum & erroneum: Nicolaus Eymericus appellat mercatorem: Franciſcus Pegna, Laicum. Nulli vnquam Cœnobio vel domui reperitur addictus, cùm iuxta Bouillum in Gallias; iuxta Huingerum, in Angliam; iuxta illud quod de ſe ipſo Lullus ſcribit in Præfatione Libri de Secretis naturæ, ſeu quintæ eſſentiæ, Romam ſe contulerit; faterurque à ſe abſolutam eſſe *artem paruam* an. 1307. menſe Ianuarij Piſis in Monaſterio S. Dominici, nec propterea vnquam Dominicanus, ſed vagus Eremita, docens artem conficiendi verum aurum, pauper ſemper Alchimiſta, vt probat latè Apologiſta Bzouij

L. 15. de rebus Hiſp. c. 4.

in Appendice ad Tomum 15. aſſeritque reiectum à Pontifice & à Rege Galliæ Philippo, conqueſtum in Prologo libri cui titulus, *Arbor Scientiarum*, his verbis. *Deſolatus ſum, quoniam id pro quo annis triginta laboraui, ad finem deducere non potui. Item, quia libri mei modicum appretiantur. Et dico vobis quod plures me tenent pro fatuo, quod de huiuſmodi negotio mè intromitto.*

Volumina eius talia erant, inquit Mariana, *quæ vix ac ne vix quidem expolitis doctrinâ homines aſſequantur legendo: vt præſtigia oculorum & ludibria potius artium quam veræ artes, quibuſdam videantur.* Inter Hæreticos verò ponunt illum Bernardus Lucenburgenſis, Prateolus, Iodocus Coccius, & Iacobus Galterius nuperrimus Societatis Scriptor. *Anno*, inquit, *circiter* 1260. *in medium prodiit hic hiſtrio, Raymundus Lullus, multos ſpargens libellos, ac dictitans Ieſum Chriſtum ſibi in formâ Crucifixi apparuiſſe, ſeque ex eius ore doctrinam ſuam accepiſſe.* Eadem penè Genebrardus. Huius errores notauit & confixit multos, Nicolaus Eymericus Inquiſitor, ipſeque Gregorius 11. Diplomate ſuo, vt iam ſupra latè euicimus. §. 106. quo remitto Lectorem. Egerunt poſtea amici & affines Lulli apud Pontifices, vt infirmaretur iudicium Eymerici, declarareturque fictitia aut ſurreptitia Decretalis illa Gregorii, quâ ſe præfatus Inquiſitor tuebatur: ſed caſſo conatu, perſeueratque in primo vigore Decretum & proceſſus Eymerici: cadit enim cauſâ ſuâ litigator, qui latam pridem ſententiam infirmare aggreſſus, nihil effecit; deſeruerüntque Lulliſtæ cauſam Raymundi ſæpiùs & inutiliter in Curiâ Romanâ tentatam, quod & confirmat poſt Bellarminum Spondanus: licet enim dicat litem indeciſam; cecidiſſe tamen cauſâ ſuâ probat Lulliſtas, qui impactam Lullo condemnationem infringere nec conuellere potuerunt. Potuit autem melioris vitæ compendio, à vanâ mundi conuerſatione & illicitis amoribus reſiliens, iam quadragenarius, vt notat idem Spondanus, antiquos lapſus purgaſſe, & occiſus in Africâ à Sarracenis, haberi pro Sancto ac Martyre in inſulâ Baleari maiori, patriâ ſuâ. Verùm cum non inueniatur reuocaſſe errores quos docuerat, quoſque Pontifex, & ſub eo Inquiſitor damnarat, nutat de hoc iudicium, donec Eccleſia approbarit populare votum; afferunturque ab Apologiſtâ Bzouiano plura exempla eorum qui velut Sancti, cæcâ

An. 1372. *n.* 12.

An. 1260. *n.* 15.

populorum veneratione nulloue Eccleſiæ aſſenſu habiti, fuere poſteà Decreto cenſorio exhumati & ambuſti tanquam impii. Cæterùm circa ſanctitatem Lulli nihil pronuncio, expecto Eccleſiæ iudicium, contentus euiciſſe inculpatam hâc in re Cyriacorum tutelam Ait tamen Petauius l. 9. Rationarii Temporum. *R. Lullus Maiorienſis circa an. 1290. in ea Inſulâ floruit ambiguâ famâ.*

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Nugatur fingens Petrarcham à Cyriacis inſimulatum Hæreſeos ob Poëſim.

FRanciſcus Petrarcha rarum ſui aui lumen, per Cyriacos exagitatus eſt, tanquam Hæreticus, eoquod Poëſim calleret. Ita refertur in vitâ, primo operum eius volumini præfixa. Excultiſſimi enim hi Cenſores pro Fidei tuendæ ardore, omnia tuta timentes, Poëtices notitiam inſimularunt Hæreſeos. Sic igitur de Petrarchâ, habet in vitâ ipſius Hieronymus Squarciaficus. Fuit illâ tempeſtate nomen Poëticum ita inuiſum, vt qui ea ſtudia ſequeretur, Magum, Sortilegum, & Hæreticum eſſe dicerent. Erat tunc Hæreticæ prauitatis Inquiſitor, quidam Marcus Picenus de Solipodio oriundus, Frater rudis, & omnium bonarum literarum omnino expers, qui temerario auſu in nonnullos iniicere manus tentauit; & ni prouiſum fuiſſet, maxima hinc oriri videbantur ſcandala: ſed cognita illuſtrioium hominum ſcientia, & Fratrum auaritia, quæ à falſo zelo veræ Religionis proueniebat; Solipodius tanquam ſtolidus & bonarum diſciplinarum ignarus exploſus eſt: non tamen ſine labore ſe purgauit Petrarcha. *Hanc calumnioſam ruditatem, Fratres qui profundius deſipiebant, præ multiplici lectione, viſi ſibi ſunt bellè fundare in Decreto Gelaſii Papæ, Diſt. 15. his verbis concepto.* Venerabilis viri Sedulii Paſchale opus, quod Hæreticis verſibus deſcripſit. *Ain? Hæreticis verſibus? Ita quidem vulgata illius Canonis per annos plurimos lectio, quæ Fratres Cyriacos implanauit; ſed genuina, pro* Hæreticis, *legit* Heroicis. *Nam ſi verſus eſſent Hæretici, minime collaudaret eos Gelaſius; quod tamen ibidem facit verbis ampliſſi-* §. 130.

mis. I*taque cæcutiebat, qui primus pro* Heroicis *legit Hæ*reticis. *Quo pacto cæcultaſſe Adrianum VI. Pontificem, malignè nimium ſcripſit* Ioannes *Pierius Valerianus, in Apologia pro Sacerdotum barbis, agens de aliâ corruptelâ in Canonem quemdam Carthaginenſem inducta, circa barbas Clericorum. Sed Adrianus vir perquàm doctus & pius, tametſi Poëtaſtros parum caſtos ac pios, (quales plurimi tunc erant,) ditare noluit (& meritò;) tamen Poetas, vniuerſè loquendo, neque pro impiis neque pro Hæreticis habuit, vt Fratres fecerunt. Miſerrima profectò Poetarum apud Rupices ac Barbaros conditio. Venit aliquando Apuleius in ſuſpicionem Magiæ, argumento inde deducto, quod Poeticam calleret.* Quid ad Magica maleficia, *inquit Apologia prima*, quòd ego pueros Scribonii Locci, amici mei Carmine laudaui? An ideo Magus, quia Poëta? quis vnquam fando audiuit tam ſiniſtram ſuſpicionem? tam aptam coniecturam? tam proximum argumentum? I*dem ad criminationem Petrarchæ irrogatam, dixerim*: Hæreticus eſt, quia Poëta: *ſunt enim criminationes affines; ſicut germanæ ſunt, iudice Tertulliano lib. de Præſcript. c.* 48. *Magia & Hæreſis. Profundo ignorantiæ nunc diſcuſſo, & æuo nunc excultiore, tetra viri pereruditi & ætate ſuâ celeberrimi, criminatio per Cyriacos offuſa euanuit.*

RESPONSIO.

A Serijs ad ludicra remeat, Theatrumque iteratò conſcendit Ludio, comicè acturus. Multa effutit falſa, ridicula, adiaphora ac parerga, non vt aliquid euincat, ſed vt inflet miſellum fœtum futilibus & peregrinis. Petrarcha Florentinus, in Humanioribus literis ac Philoſophicis omnium ſui temporis longè doctiſſimus, Archidiaconus Parmenſis, Canonicus Patauinus, & aliquando etiam Lombarienſis in Galliâ, duplex pro diuerſitate temporum, & oppoſitum ſui ſpecimen exhibuit. Iuuenili ardore incenſus, illaqueatus fuit veſano amore cuiuſdam *Lauræ*, cuius in laudem verſus edidit metricâ quidem lance optimos, ſed oppletos alluſionibus profanis, parum pudicis excurſionibus, & præſertim locis Scripturæ ſacræ ad prauos amores detortis. Hinc eſt quòd malè audiit, & Magiæ etiam inſimulatus, apud Innocentium VI. vt teſtis eſt Spondanus an. 1362. n. 5. (quid enim non ſuadet petulantis

amoris furens æſtus?) ſummaque illi amicitia cum Bocacio, omnium ludicro ac facetiſſimo, qui ſacra ſimul & profana iocando immiſcebat diuinis. Non ergò mirum ſi Fidei Quæſitor pro munere ſuo, lucubrationes Petrarchæ carpſit quia pudendas, non quia Vatis Metricum opus; hoc enim ridiculiſſimè inducis; ſicut & illud, quod Cyriaci hoſtes Poëſeos tanquam Hæreſis aut Magiæ, errorem ſuum fundauerint in Canone illo Gelaſij corrupto, vbi verſus indigitabantur Hæretici, qui inſcribendi erant Heroici: hæc enim anilia & Tua ſunt commenta, ſeque ipſa perimunt: nam nec Inquiſitor, cuiuſcumque Ordinis extiterit, nec Cyriaci damnare poterant Hæreſis aut Magiæ, quod non ignorabant laudatum à Pontifice; Tu autem ibi fateris Gelaſium verbis ampliſſimis Poëſim collaudaſſe, immemor Tui & illius effati, *Oportet mendacem memorem eſſe.* Potuit ergò non vſum, ſed abuſum Poëticæ artis configere Quæſitor ob immiſtos ſenſus impudicos, aut verba Sacræ Paginæ, ad profanos amores, metricè inflexa. Quanto autem iure id fecerit, fateris ipſe dum aſſeris, non ſine magno labore ſe purgaſſe Petrarcham. Si enim ſola eius Poëſis in diſcrimen vocaretur, poterat facili negotio excipere, ſilentiumque imponere Quæſitori, laudibus illis ampliſſimis quibus Gelaſius Papa Poëſim commendarat. Cum ergò maximus ac doctiſſimus vir laborarit multùm, nec niſi ægrè ſe purgarit, indicio luculentiſſimo eſt, multiplici furfure verſus eius fuiſſe conſputcatos. De quibus ſic Poſſeuinus in apparatu ſacro, V. Petrarcha. [Sanè quod pertinet ad Poëma Italicum in laudem Lauræ mulieris ab eo conſcriptum; quodque plurimum à ſæculi hominibus verſari eſt ſolitum, vniuersè de pleriſque quæ in eo ſunt, perpendendum eſt, num ad eadem ſpectet aliqua ex parte id quod ſeptima Indicis Romani Regula habet his verbis: *Libri qui res Laſciuas, ſeu obſcænas, ex profeſſo tractant, narrant, aut docent, cùm non ſolùm Fidei, ſed & morum qui eiuſmodi librorum lectione facilè corrumpi ſolent, ratio habenda ſit, omninò prohibentur, & qui eos habuerint, ſeuerè ab Epiſcopis puniantur.*] *Impoſtura.*

Agnouit culpam ſuam ipſemet Author, & doluit ac pœnituit, quod optimè declarat Spondanus his verbis. [Cum aliquando luſiſſet elegantiſſimis verſibus Italicis amores ſuos erga *Lauram*, ſeu veros illos, ſeu confictos, vt habe- *An.* 1374. *n.* 7.

ret materiam exercendæ Muſæ, poſteà pœnitentiâ ductus & ſolitariam vitam amplexus, multa opera grauia atque vtilia ſcripſit, ac tandem piè ſanctéque obijt in ſolitudine
An. 1334. *n.* 4. agri Patauini.] Ita Spondanus. Alios paſſus eſt hoſtes Petrarcha, nempe Aulicos & Curiales; erat enim temporum ſuorum Cenſor mordaciſſimus, vt idem Spondanus ſubiungit. Vnde Aulicorum odia & linguas in ſe acuit. Vides ergò, Petre, quantâ facilitate & claritate commentum Tuum euaneſcat. Quid autem ad Cyriacos, quod obtrudis contra Perium Valerium pro Adriano, ſicut & de Apulejo ob Verſus Magiæ inſimulatos? Certè euacuata eſt telis pharetra Tua, nec habes ampliùs quæ conjicias maledicta, vnde adiaphora & ridicula intrudis. Hoc interim ego de Te perhibeo teſtimonium, quod nec Poëta es nec Magus, ob celebrem animi Tui barditatem, quæ vtrâque illâ labe Te purgat. Cæterùm quod de Squarciafico affers, inficit, non purgat Petrarcham; complex enim laſciuientis adoleſcentiæ amici Squarciaficus, calamum ſtrinxit in Inquiſitorem, ſicut furit in medicum phrӕneticus. Quis autem ille Inquiſitor, qui corripuit Petrarcham Florentinum, niſi Florentinus? non recordaris autem Barde, Te ſcripſiſſe §. 93. Quæſitores Fidei Florentinos non eſſe Cyriacos, ſed Minoritas in quos conſequenter inſurgis & propudioſè debaccharis.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Dolet exagitatum Vvaldenſem à Cano & à Petro ac Dominico Soto.

§. 131. *Thomas Vvaldenſis, dictus à Martino V.* Eccleſiæ enſis, *iudicio Andreæ a Vega, fons doctrinæ uberrimus, à quo puros latices hauſerunt, quotquot deinceps Hæreſes ſunt inſectati; à F. Melchiore Cano, & aliis Cyriacis, exagitatus eſt. Canus l. 2. de Locis c. 7. Vvaldenſem notat iniuriæ erga præſentem Eccleſiam; quaſi ei negauerit authoritatem definiendi ſuborientes de Fide controuerſias, deferens eam authoritatem ſeriei Apoſtolorum ac poſterorum Apoſtolicorum, Laicis non excluſis. Ita quidem ex mente Vvaldenſis, Canus: & aſſinia in eo carpit Frater Petrus Soto in Lectionibus, addens in-*

ſuper, Vvaldenſem locaſſe Pontificem ſubtus Concilium; & authoritatem Eccleſiæ, ſtatuiſſe minorem, authoritate Scripturæ: cui proinde proniùs aſſentiendum ſit quam Eccleſiæ, de Vvaldenſis ſententiâ. Denique F. Dominicus Soto Vvaldenſem tundit, eoquod negauerit præſentem Eccleſiam poſſe nouos articulos Fidei condere. Nihil horum à Triumuiratu hocce Cyriaco in Vvaldenſem intortum, tanti viri decora deterit, vt fusè ac validè euincit F. Ioannes Baptiſta Rubeus, ſubiunctis ad Vvaldenſem Elucidationibus. Sed Vvaldenſis, quia inſignis ſuâ ætate vir fuit, Cyriacarum Harpiyarum vngues effugere non debuit.

RESPONSIO.

THomas Vvaldenſis, præſtanti pietate ac doctrinâ inſignis, opiniones habuit non omnibus communes; vnde, quos citas, Cyriaci abeuntes in oppoſitas ſententias, eius placita Theologico marte impugnarunt. Quid tum? An deteritur gloria cuiuſuis Doctoris, quod ab alio impugnetur? Soluſne Vvaldenſis oppugnatores non ſuſtinebit, cùm omnes Eccleſiæ Patres, ſuos habuerint? Nec ſine Dario clarus Alexander. At Tu nugax, qui pro Pontificibus in Cyriacos initio exarſeras, Harpiyas vocas, qui pro tuendâ authoritate Pontificiâ depugnant? Debueras rationes Cyriacorum Vvaldenſem impugnantium infirmare, aut Elucidationibus Rubei tanquam vmbone armatus, aliquid opponere; ſed hoc relinquis alijs peragendum. Tu interim inueniſti artem non timendi harum Harpiyarum Vngues, quos ſoli inſignes viri non poſſunt effugere, quibuſcum nihil Tibi commune. Certè plus coluiſſes Vvaldenſem ſilentio, quam ſtultiloquio.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Mentitur irrogatam Bernardino à Cyriacis perſecutionem.

BErnardinus Senenſis, vir & Sanctiſſimus & Doctiſſimus, mellea verò in dicendo facundia, delatus eſt à Cyriacis ad §. 132.
Martinum V. tanquam Hæreticus; eoquod nomen Ieſu *radia-*

tum, in tabellâ proponeret adorandum; & ſuaderet populo ſanctiſſimum illud nomen ante oſtia domorum depingere, malorum auerruncam. Incurrere eum cultum in diuinæ Euchariſtiæ adorationem, cauſabantur Cyriaci; eoquod ea adoratio nominis depicti, eam imaginem cum diuinâ Euchariſtia æquaret, vt ipſi quidem criminabantur. Ita intelligitur ex Ænea Syluio l. de viris illuſtribus; qui ſubſcribente S. Antonino 3. p. Hiſtor. titulo 14. *c.* 5. §. 2. *addit Martinum V. vrgentibus Cyriacis & ſaltem alicuius ſuperſtitionis timorem incutientibus; principio prohibuiſſe vſum inductum à S. Bernardino. Eo tamen poſteà audito, Martinum V. probaſſe vſum illum, & reuocaſſe priorem ſuam prohibitionem, habetur in Actis S. Bernardini c.* 30. *& rectè ſanè Martinus priorem ſuam ſententiam retexuit. Nam nomen* Ieſu *eſſe adorabile, rectè probat Gabriel Vaſques* 3. *p. diſp.* 108. *c.* 12. *Videſis etiam quæ pro S. Bernardino habent Molanus l.* 3. *Hiſtor. imag. c.* 1. *Henricus Sedulius in Hiſtoriâ Seraphicâ ad Acta S. Bernardini c.* 30. *& quos in Martyrologio Franciſcano ſignauit ad diem* 20. *Maij F. Arturus à Monaſterio.*

RESPONSIO.

QVot verba, tot mendacia, tot calumniæ, tot emoti
An. 1419. iudicij argumenta. Ex Spondano, Hiſtoricum rei
n. 5. huius contextum depromamus, qui de S. Bernardino agens, ſic ait. [Cum præcipuus cultor nominis *Ieſu* eſſet; vt illud quaſi obliteratum in cordibus Fidelium inſculperet, & ad eius amorem inflammaret, pictum & ſculptum in medio magnæ tabulæ ornatæ, populo adorandum proponere conſueuerat. Quâ nouitate ſapientiores aliqui commoti, veluti ſuperſtitioſâ, quod videatur plebs literas illas, magis quam qui eis ſignificabatur, Chriſtum venerari; iamque imitarentur eum aliqui alij Prædicatores Minorum, tabulas eiuſmodi in Proceſſionibus ante Crucem deferentes; rem ad Martinum Pontificem detulerunt, qui habitâ ſuper his diligenti Prælatorum ac Doctorum conſultatione, rem vt periculoſam prohibuit: ac Bernardinus obedientiæ filius ab eâ deinceps abſtinuit. Quamuis ſicut quidam tradunt, illo aliquando concionante, nomen *Ieſu* eâ formâ quam pingebat, miro ſplendore coruſcans, ſupra illum apparuiſſe, iuſſumque à Pontifice eſſe, non om-

minò à prædictâ picturâ abſtinere, ſed ei imaginem Crucifixi appingere.] Spondanus itaque docet rem delatam ad Martinum per viros *ſapientiores*, quos non nominat, nec carpit. Tu verò hoc affingis Dominicanis: cum nec Acta vitæ eius, quæ citas (licet nullius ſint fidej, quia ex Anonymo Surius exſcripſit, vt ibidem dicitur) delatum dicant à Cyriacis. A quibus ergò? Tacito nomine, à maleuolis & Sancto inſidiantibus, qui quotidiè ad eius conciones accurrebant, vt eum in verbo caperent, quibus clarè excluduntur Cyriaci, qui rariſſimè ad Conciones extraneorum emittuntur. Sed charitas Tua figlina voluit hoc illis impingere. *Calumnia.*

Vndè ergò expiſcatus es hoc commentum? Reſpondes; Ita intelligitur ex Æneâ Syluio. Captioſus es: non dicis, Ita aſſerit Syluius, quia ex primâ inſpectione loci, mendacij conuinci potueras, ſed ita intelligitur, non ex Authoris mente, verùm ex Interpretis perfidiâ, quæ luce clariùs emicat, & geminatur ex adiuncto pariter falſo; dum S. Antoninum Æneæ ſubſcribentem inducis. In quo enim ſubſcribit? Dicis; Martinum V. vrgentibus Cyriacis & ſaltem alicuius ſuperſtitionis timorem incutientibus, principio prohibuiſſe vſum inductum à S. Bernardino; reuocaſſe tamen poſteà eo audito. Audiamus B. Antoninum 3. p. Hiſt. non quidem tit 14. (vt Tu perperam & ſemper mendax) ſed 24. ſic effatum de S. Bernardino. *Cum ex piâ deuotione quamdam tabulam paruulam in qua ſcriptum erat nomen* Ieſu, *literis aureis circumdatum quaſi radiis ſolaribus; ſed auro depictis, populo in Prædicatione oſtenderet, vt veneraretur illud ad imprimendum nomen illud mellifluum, & non minùs ſignificatiuum eius in cordibus audientium: Martinus verò Pontifex veritus, ne ex eâ nouitate aliquid ſuperſtitioſum, vel ſcandaloſum in Eccleſia ſuſcitaretur; de maturo Concilio ſapientum, viro Dei ad ſe vocato mandauit talem tabulam deinceps non oſtendendam populo, & ritum illum dimitti, quod vt filius obedientiæ, humiliter adimpleuit.* *Impoſtura.*

Duo itaque hîc mendacia complicas. 1. Vrgentibus Cyriacis hoc prohibitum à Martino ex ſententiâ D. Antonini ſuffragantis Æneæ, de quo nec verbum D. Antoninus, vt conſtat ex allatis. Alterum eſt, quòd ex Anonymo ſcripſeris Martinum talem prohibitionem reuocaſſe. Accipe vtrumque ex Spondano, qui loco iam adducto dixerat, *Mendacium 2.*

hoc delatum Martino à ſapientioribus, nullâ mentione ingeſtâ de Dominicanis. Et an. 1438. n. 27. loquens de Concilio Baſileenſi, quo tempore iam pridem obierat Martinus, ait [Habent Acta Patritiana; pec hoc idem tempus, ibidem Baſileæ, deferente quodam Bartholomæo ex ordine Eremitarum S. Auguſtini, actum eſſe de cultu tabellæ Domini *Ieſu*, quem F. Bernardinus Senenſis qui poſteà inter Sanctos relatus eſt, introduxerat, de quo & nos ſuperiùs egimus. Et cum à multis cultus ille reprobaretur; Cardinaliſque Arelarenſis aſſereret fuiſſe eum Bernardino prohibitum per Martinum Papam; affirmatum eſſe, ab eo tempore Bernardinum eo abſtinuiſſe; ſicque rem indiſcuſſam eſſe dimiſſam. Ita Spondanus. Nec adhuc

Calumnia. mendaciorum finis: Vbi enim inueniſti cauſatos fuiſſe Cyriacos, vel alios quoſuis, cultum illum tabellæ, in qua depictum erat nomen *Ieſu*, prohibendum, eò quòd incurreret in diuinæ Euchariſtiæ adorationem? Mendax es ab initio & eris vſque in finem, nec in hoc puto Te liberum; indicta enim Tibi ex mentis imbecillitate, deprauatione cordis & inueterato vſu, mentiendi neceſſitas.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Toſtatum à Turre-cremata malè habitum conqueritur.

§. 133. *Alphonſus Toſtatus Abulenſis Epiſcopus, ſtupor mundi, & cuiuſuis ſcibilis ſcientiſſimus diſcuſſor; quia præ multitudine doctiſſimorum voluminum, vt ſol fulgebat in templo Dei; Ecclypſim nonnullam viſus eſt ſubire, interponentibus opacitatem ſuam Cyriacis, duce F. Ioanne de Turre-cremata tunc in Minoribus conſtituto. Inſimulatus eſt Toſtatus variorum errorum; ſed ille; quâ erat doctrinæ vbertate & ingenij vi,* Defenſorium *emiſit, quo Aduerſariorum conatus infregit, & honorem ſuum ſartum tectum ſeruauit apud Poſteros; quamuis tunc temporis, (vt ipſe Abulenſis in Defenſorij Præfatione teſtatur,) viſus eſt cauſa cadere, ob negatam defenſionis copiam, quod ipſe ad iniquitatem planè ſummam, & iuri naturæ aduerſantem refert, quamuis ſit praxis perpetua Cyriacorum. Sane in primâ nominatim Concluſio-*

*ne; quæ Cyriacis videbatur corruptiſſima, vix erat cur tanto æſtu ferueren*t, *cum ex Libello Toſtati ad Eugenium IV. ſubiecto poſt clauſulam primæ partis Defenſorij, manifeſtiſſimum ſit Cyriacos tricatos eſſe circa voces; & ſalebras in plano quæſiiſſe, vt eſſet viro doctiſſimo notando, & denigrando locus.*

RESPONSIO.

PEtre quid hoc audio de Te? Redde rationem villicationis Tuæ. Fodere non vales, mendicare erubeſcis: nihil noui potes è cerebello Tuo educere; defecerunt aliena ſubſidia, exhauſtæ amicorum ſchedulæ, eoque redactus es, vt aſſultu Tuo euanido; imò procacitate officioſâ, emicet ipſa eorum gloria, quos infuſcare tentas; ſicque flatu nigrante, albeſcit Cyriacum Lilium Nouum enim gigantem minaci vultu ac proceritate ſuâ, fermè cælos contingentem, deiecit (quicquid intelligas) ſecundum Te, *adhuc in Minoribus conſtitutus* Ioannes à Turrecremata Cyriacus; qui exarmat & decutit vulgato ſcripto Toſtatum, virum doctiſſimum, cui, vniuerſam ſcientiarum Encyclopediam coaceruans caput. At non eget veritas mendaciis; Tibique, quod Chriſtus dæmoni in laudem eius peroranti, dico, *Tace, obmuteſce*; refugit enim Ordo Prædicatorius ſolidâ laude conſpicuus, à mendaci linguâ, gloriæ ſuæ teſtimonium, licet illuſtre, quia falſum, excipere. Qua fronte auſus es ſcribere, fabuloſe ſenex, in Minoribus tunc conſtitutum Ioannem à Turre-cremata, cum calamum ſtrinxit Senis an. 1443. in Toſtatum; qui erat iam Cardinalis, dum ex parte Eugenii præfuit Conuentui Bituricenſi an. 1439. vt notat Spondanus? Imò (ſi per *conſtitutum in Minoribus*, non intelligas, *nondum Cardinalem*, vt debes, & vt fert vſus Romanus: ſed ad Ordines ſacros nondum promotum;) deliras, primo mendacio nouum ſuperſtruens. Nam an. 1438. miſſus fuerat ab eodem Eugenio in Germaniam cum Albergo Cardinale, Ioanne Archiepiſcopo Tarentino, & aliis, pro componendâ pace inter Pontificem & Baſileenſes, eratque iam tum Magiſter S. Palatij, factus ſtatim poſt Cardinalis. An in Sacris nondum conſtituti, fiunt Magiſtri S. Palatij, Theologi, Pontificis Legati? Vocare autem conſtitutum

Mendacium.

Ibid.

in Minoribus, eum qui iam purpurâ Cardinalitiâ fulget, nec eſt vnquam ad ſupremi Pontificatus apicem euehendus, Barditas ridicula. Mendacem ablegat teſtem Ioannes à Turrecremata, qui veritate Abulenſem conuicit, non tricis, non fraude, non vi, vt Tu obgannis; ſcommata & conuicia Tua in Pontificem obliquo ictu contorquens, cuius Decretum euacuas & infringis, quo Propoſitiones Toſtati varias confixerat; dum dicis eum ſeruaſſe in earum expoſitione honorem ſuum ſartum tectum, id eſt non fuiſſe notatas Propoſitiones; ſi autem notatæ fuerint, nullam & iniuſtam fuiſſe damnationem *ob negatam Defenſionis copiam.*

An.1443.n.10. Rem Spondanus explicet. [Senis dum eſſet Eugenius Pontifex, *Alphonſus Toſtatus* Hiſpanus Madrigale in Vacceis ortus, poſteaque Epiſcopus *Abulenſis*, ſcriptorum mole, cognitione antiquitatis, memoriâ prodigioſâ, multiplici omnium ſcientiarum & artium eruditione, ad miraculum clarus, ſermonis tantum elegantiâ minor, quam vt cum quouis antiquorum conferri poſſit: de quo meritò ſcriptum ſit, (à Bellarmino de ſcriptoribus Eccleſiaſticis,)

Hic ſtupor eſt mundi, qui ſcibile diſcutit omne.

Et quod magis eſt mirandum, tanta ſcripſit breuiſſimo tempore, cum non vixerit niſi an. 40. quem & interfuiſſe tradunt Concilio Baſileenſi, ibique cum Ioanne Capreolo Toloſano Ordinis S. Dominici doctiſſimo Profeſſore, & doctrinæ S. Thomæ egregio defenſore, diſſeruiſſe. Hic igitur tunc iunior necdum Epiſcopus, Senis exiſtens quando Eugenius aderat, Theſes vnam & viginti ex intimâ Theologiâ depromptas, diſputandas cum propoſuiſſet, in iis, locis aliquot offendiſſe, Eugenius edito Diplomate notauit: (Audin' Petre?) impugnauitque dicato Opere Ioannes de Turre-cremata Doctiſſimus ille Cardinalis Hiſpanus ex Ordine Dominicanorum, de quo ſæpè ſuperiùs facta eſt mentio. Contra quæ reſpondens Toſtatus, Commentario cui Defenſorio nomen fecit, in Pontificum etiam authoritatem inuectus, iniuriuſque præ ſtudio ruendi ſua, apparuit. Quæ verò accuſabantur, hæ Propoſitiones fuere. Primò; (Attende Trico nugax, an circa primam Toſtati Concluſionem tricati fuerint Cyriaci) quòd

Calumnia. aſſereret, etſi nullum peccatum cuiuſcumque conditionis, &

pro quocumque ſtatu irremiſſibile ſit; à pœnâ tamen aut à culpâ Deum non abſoluere, nec aliquem Sacerdotem abſoluere poſſe. Deinde quòd diceret Chriſtum non eſſe mortuum die 25. Martij, vt communis eſt ſententia, ſed die 3. Aprilis an. ætatis ſuæ 33. inchoato De quibus obtulit ipſe ſchedulam, vt vocat, ipſi Summo Pontifici, quæ extat in fine primæ partis ſui Defenſorij: quâ quidem ſubiicit ſe determinationi Eccleſiæ & Pontificis, ſed cum non obtinuit quod petiit (ea eſt fragilitas etiam præſtantiorum ingeniorum, vt cum eorum placitis reſiſtitur, animi offenſionem facilè concipiant) non potuit adeò genio imperare, vt non acerbiùs rem in Contradictores egerit.] Huc vſque Spondanus, quem exſcribere placuit, vt hiſtoricus candor, hinc Eminentiam doctrinæ Ioannis à Turre-cremata Cyriaci, ſupra Doctorem ad miraculum clarum, intra limites veritatis continendum, illinc celeberrimi Toſtati, extra terminos excurrentis, nec patientis frænum, tumultuantem peritiam: maximè autem Pſeudo-Petri indoctam petulcitatem & effiænem licentiam, exhiberet.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Multiplici Commento probat Pico procuratum à Cyriacis exilium.

Ioannes Picus Mirandulanus ingenij ac doctrina auo ſuo miraculum, quòd ſupra ætatem, & præter morem gradus illius hominum laude recondita doctrina, etiam Theologica, ſupra quoſcumque Fratres micaret; & Romæ inprimis, Cyriacorum Regnum literarium ſibi arrogantium, luminibus officeret, varijs eorum artibus & criminationibus patuit apud Innocentium VIII. Eoque proceſſit criminationis acritudo, vt homo ea conditione, iiſque Natalibus, ſolum vertere & apud Gallos & Allobrogas liberius cælum captare ſit adactus, vt teſtatur Reuclinus lib. 1. de Arte Cabaliſticâ pag. mihi 758. *ſic de Pico ſcribens.* Noui ipſum olim, domo exulantem apud Gallos & Allobrogas, pulſumque patriâ & fugatum acerrimè ab inuidis, quâdam deteſtabili perſecutione, propter eximia Philoſophica ſtudia ſua, & nobile ingenium. Eſt adeò ge- §. 134.

nus hominum (ait Terentius) qui eſſe primos ſe omnium rerum volunt nec tamen ſunt. Ex coruo fortè nati, quæ auis vſque ad Coronei annos, (vt eſt in Fabulis,) veſtita priùs albis plumis, poſterius nigris, colorem indumenti eis præbet, candidi & atri, vnde Fratres *atrati* dicuntur; quippe volucris ea ob impiam delationem ſemper odioſa Phœbo. Hi tunc fuerunt Obſtrum, hi Maſtyges, hi Canes tam generoſi & tam eruditi Chriſtiani noſtro ſæculo. *Diſſeminati ex huius turbinis impetu rumores effecere, vt inſignis Nebulo Foxus, Ioannem Picum in ſuum Calendarium cum illius æui Hæreticis impudentiſſimè retulerit, atrocis calumniæ reuictus à credito Alano Copo Dialog. 6. cap. 27. Benè item pro Pico Bonfrerius in Proloquiis ad Scripturam Pentateuco præfixis cap. 21. ſect. 2.*

RESPONSIO.

MEndax mendacem aduocat; mendaci fibulâ innectendi ambo, imò mutuo furoris æſtu in Cyriacos incendendi; vt quos par cauſa fecit reos (fuerunt enim ambo in eadem aut conſimili damnatione) parque vltio, vrgente Cyriacorum zelo, amborum Lucubrationes ferali buſto aſſumpſit, ambo in Cyriacos pari impetu reuomant flammas quas pari ſententiâ, ab iis excepere. Proſilit à ſpeculo in ſpeculum, atque iterùm reſilit mutuus fulgor, hac reciprocatione inardeſcens. Radius enim corpus lucidum vnde emicat, dum emittitur, non dimittit; viciſſimque cum reflexo itinere, refluit; non euaneſcit nec friget, ſed incaleſcit replicatus, coaleſcitque ex luminoſo conflictu, commune incendium. Vltricibus bis conſumptus flammis in Libello ſuo Petrus à Valle-clauſa, ob infamatos Cyriacos, teſtem nefandæ Impoſturæ in eoſdem Cyriacos, aſciuit Reuclinum, cuius opera Romæ confixa, ab Inquiſitore Hogſtrato Cyriaco, Coloniæ Agrippinæ fuerunt pariter vlciſcente igne incinerata. Flammis itaque ambo aduſti, flammas ambo, pleno ore eructant, obſignatque vſtulatus Capnio affictum à Pſeudo-Petro cremato, *Calumnia 2.* circa Picum Mirandulæ commentum. Suprà § 91. primam depulimus calumniam, qua laruatus Senex profitebatur loco abs ſe laudato, Picum exaſiſſe ſpeciatim in Cyriacos, velut in apertos hoſtes & authores preſſurarum quas

in vrbe tulit, cuiſtumque nullam ab eo de Cyriacis inductam mentionem. Nunc nouam compingit, putà exilio pulſum ex Italiâ Picum, eorumdem operâ & arte, quod & Reuclinus ſubobſcurè confirmat, licet non apertè nominet Cyriacos, ſed ex bicolore habitu indicat. Nec recordatur Petrus fundamenti à ſe ſuperiùs iacti, ridiculum omnino aduocare in teſtem Aduerſarium & hoſtem, qualis eſt & ſe profitetur ipſe Reuclinus erga Cyriacos, memor incendij Colonienſis.

Vtriuſque tamen calumniam reuincere facillimum. Nunquam enim Picus ſolum natale vertit coactus, ſed volens. Immenſa diſcendi cupido, imitandos propoſuit Pythagoram & Platonem, quos amor veritatis in remotiſſimos Orbis tractus abduxit. Quo factum eſt, vt Picus Mirandulæ Princeps, indagandæ veritatis causâ apud celeberrimos quoſque, quorum fama ad ipſum peruenerat, ſuperatis Alpibus per Allobrogas venerit in Galliam, ſcientiarum parentem, vt inſinuat Ioannes Franciſcus Picus ex fratre nepos, in vita Patrui, operibus eius præfixâ. Nec tacuiſſet nouam vexationem exilio ſæuientem, dum cæteras preſſuras ei Romæ illinitas, non cõſpiratione ſingularis Cœtus, ſed communi zelo omnium planè Regularium, qui in varias eius Concluſiones Catholico ſpiritu inuecti fuerant, expoſuit. Vt autem vtriuſque tam Petri quam Capnionis; ſeu Reuclini, communis Impoſtura pateſcat, eademque probatione expungatur, Tria tantum delibo, quæ animum Pici erga Prædicatores tam in vitâ quam in morte, luce clariùs demonſtrant. Nepoti de auunculo credendum. Dum viueret, inquit loco citato, propoſuerat induere habitum S. Dominici. Chariſſimus ac familiariſſimus fuit ei Hieronymus Sauonarola Cyriacus, cuius & percelebrem edidit Apologiam Picus. D. Thomæ fuit addictiſſimus, ſupremumque Theologiæ lumen indigitabat: moriens denique obtinuit, vt poſt obitum habitu Dominicano indutus, Terræ conderetur. Qualis autem erga tanti viri memoriam fuerit Ordo Cyriacus, Sixti Senenſis Dominicani celebre prodit Elogium, quod exſcribo ex lib. 4. Bibliothecæ Sanctæ. *Ioannes Picus Mirandula & Concordiæ in Italiâ Princeps, propter generis nobilitatem & raram ſingularemque formoſiſſimi corporis & animi pulcherrimi venuſtatem, Phœnix cognominatus, vir ingenij penè pro-*

digioſi & in omni artium, ſcientiarum & linguarum varietate vſque ad miraculum exculti, ſcripſit admodum iuuenis; & vix tertium ac vigeſimum annum attingens, ad Laurentium Medicen &c. Hocne Elogium à Cyriaco pro Cyriacorum hoſte, vt dicis, editum? Cynica ergo impudentia Reuclini & Pſeudo-Petri, Picum fingere ludibrio ac exilio damnatum inſtigatione Dominicanorum, quos viuens & moriens tantâ teneritudine dilexerat, vt commune cum eis votum ſub eodem habitu profiteri; & poſt obitum apud eos quieſcere voluerit. Ad Te redeo Reucline; Tuumque de erumpente ex corui ouo, fœtu nigro albeſcente, æquo libramine penſitemus effatum. Puto meliùs & veriùs hoc de Te intelligendum. Non atratum Te, ſed atrum probat Cenſura Romana, configens & damnans. Vox Tua coruina, crocitans, ominoſa & ſemper odioſa fuit Phæbo Chriſtiano, ſeu Pontificio Soli. Ex Te itaque atrato, atro & coruo fortè nati pulli ſeu Libelli, *veſtiti primum plumis albis, poſteriùs nigris.* Libri enim Tui per manus carnificis in ignem iniecti Coloniæ, cartha adhuc integra, æſtuque incendii ſurſum repercuſſa, velut auis alba, volitans per ignitum aërem ferebatur, donec flammis fumoque ardenti ſemiuſta nigreſceret avis bicolor, Deo odioſa & hominibus. Hoc tamen Tibi ſolatii ſupereſt, atrate Capnio, quòd parem exitum ſortita eſt etiam auis illa infœlix è ſinu Pſeudo-Petri nata, quæ Pontificio ſtigmate pariter inuſta Toloſæ & Aquiſſextiis; carnificum manu pari incendio addicta, conſimili etiam igne denigrata eſt albeſcens charta; Lucubratio ſtrumoſa, dicam melius, leproſa, ſub albo cortice intùs atra.

Cæterùm, mi homule, teſtem huius exilii adducis Reuclinum, (virum aliunde nullius fidei & Cyriacorum iuratum hoſtem) quaſi ipſe teſtetur ſe vidiſſe Picum apud Gallos & Allobrogas exulantem. At Legiſti Reuclinum loco à Te allato? Inducit tres Francofurti in Cauponâ ſimul compotantes, Philolaum Philoſophum Pythagoreum & Paganum: Maranum, (ſic vocat) Mahometiſtam & & Semi-iudæum: Denique Symonem Iudæum. Inter pocula, Germanico more exhauſta, Symon Caupo & Iudæus narrat aliis fabuloſum hoc Pici Mirandulani exilium, & ſe
Impoſtura 2. huius teſtem adducit. Mentiris ergò Petre, dum teſtem facis Reuclinum)qui tantum refert dicta compotantium.

Verùm

Verùm à Iudæo, Turcâ & Pagano teſtimonium exquiris contra Ordinem Chriſtianum, Catholicum, Religioſum, Tu ipſe (vt dicitur) Religioſus? Vbi mens? vbi pudor? vbi Religio? Deinde putas quod hæc confabulatio Iudaica, Turcica ſimul & Pagana fidem inueniet apud Lectores Catholicos? Denique vnde habes Symonem locutum ibi de Cyriacis? Nunquam enim reperiuntur Dominicani, dicti Fratres atrati, qui albis veſtibus ſemper induti incedunt, niſi dum egrediuntur foras? Demus tamen gratis de Cyraicis intelligi; quis ille qui commentitium hoc Pici
exilium Cyriacis adſcribit? Dicat ipſe Reuclinus lib. 2. *Irreligio.*
pag. *mihi* 654. in fine. *Symon homo Iudæus ex Iudæis ortus, alitus, educatus & edoctus.* Fortè Tu Iudæus es; vnde à Iudæo contra Chriſtianos ac Religioſos teſtimonium efflagitas.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Pro Reuclino impietatem ſpirante perorat.

I*Oannes Capnio, aliàs* Reuclinus, *primus Hebraïcæ linguæ* §. 135.
(quam Lutetiæ à Ioanne Lapidano illuſtri Theologo didicerat) apud Germanos Profeſſor, Trithemio in Catalogo Scriptorum laudatiſsimus; à Cyriacis duce Fratre Iacobo de Hocſtratem, *ſiue* Hogoſtrato, *variè primùm diuexatus eſt, concitatis in eum Fratribus per Ioannem Pſesferthori, apellatum Neophytum, pro Librorum omnium Thalmudicorum abolitione ſatagentem. Ei obſiſtens Reuclinus, & eſſe in illo ſtercore gemmas, ob quas libri illi cum cautela retineri poſſent, demonſtrans; incurrit in odium Cyriacorum, qui barbarie, ignorantiâ & inuidiâ ſtimulantibus, (ait Eleutherius Bizenus) multiplicatis intra & extra Germaniam calumniis, & ſcriptis Reuclini non ſecus ac perditiſſimi Sycophantæ omni fœdâ notâ inuſtis, miſerrimè hominem diuexarunt; donec Cæſare & variis Magnatibus excitatis, tantum lumen literarum, extinctione eſt prohibitum. Quod longo Carmine Epico, cui Titulus,* Triumphus Capnionis, *deſcripſit Eleutherius Bizenus, de artibus & malignitate Cyriacorum in doctos, addenſans pleraque. Additio ſecunda ad librum Trithemij de*

Scriptoribus ; habet Petrum Galatinum ordinis Minorum, opus ſuum de Arcanis *idcircò emiſiſſe, vt conſtaret, quam inanis eſſet excitata in Reuclinum tempeſtas; nec dubitaretur, poſſe cum Hebraicarum literarum cognitione, & prudenti Thalmudicorum librorum verſatione, profeſſionem Fidei Catholicæ cohærere, quod negabat* Hogoſtratus *Cyriacus.*

RESPONSIO.

CVm fabellante interim fabellandum, nec cui mirum videatur ſi Thalmudicis fictionibus, Æſopicas attexamus. Satyrus vehementer algens, interrogans Ruſticum cur inſufflaret in manus ori admotas, reſpondit alter, vt frigidas manus halitûs tepore calefaceret: Cùmque appoſitâ menſâ in pultem feruidam rurſum inſufflatet, interrogatus pariter, reſpondit, Pultem nimium feruentem halitu refrigero. Nouitate facti excandeſcens Satyrus; Nullum mihi inquit commune hoſpitium cum homine, qui eodem ex ore parirer & calidum & frigidum efflat; effugitque à Bilingui, qui eumdem modo laudat, modo vituperat. Recordetur, Petre, Barditas Tua, quid de Reuclino & Thalmudicis ſcripſerit amicus Tuus intraneus & alter *Tu*, Theophilus Raynaudus lib. Erotematum partit. 1. Erotemate 13 n. 359. Cui Titulus; *Infuria in Cabalam à Rabinis, ſuccidi digna*. Aitque ſtatim a principio. [At hoc merum Rabini variis affuſionibus diluerunt, caupones profectò non boni, vt rectè pronunciauit de hâc Cabalâ Sixtus lib. 2. Biblioth. v Eſdras.] .Sic loquitur alter *Tu*. Subiungitque plurimos Pontifices addicentes igni, aut notantes tales libros, eorumque lectionem prohibentes. Et tamen nunc pro eodem Reuclino peroras in fauorem Thalmudicarum nugationum? Frigidum itaque & calidum ex vno ore efflas. Mordes Hogoſtratum Cyriacum, quod Pontificiis obtemperans decretis, Reuclinum vellicarit eodem titulo, quo Genebrardus præfato Erotemate relatus, eum ſugillat; & lib. 2. Chronologiæ, his nugis & commentis prodendis ſine confutatione eorum, ſe conſtituiſſe patronum, eique adſtipulatos eſſe Paulum Riceſſinum & Ioannem Picum, demitatur.

Ringis quod Hogoſtratus Inquiſitor Colonienſis, Thalmudicorum librorum vſum interdixerit; Quia, inquis,

latent in ſtercore Gemmæ, ob quas libri illi cum cautela retineri poſſint. At ſi Lector ſtercus inueniat, non gemmas; incurrens in fœdos errores quos amplectatur, veritate nondum comperta? Hoc ruinoſo innixi fundamento corruunt, injurij probantur Indices Librorum prohibitorum à Pontificibus & Conciliis indicti, peruiaque eſt omnibus Fidelibus lectio quorumcumque librorum, licet ſpurcitiis, erroribus, hæreſi, impietate ac atheiſmo ſcateant; quia *ſunt in illo ſtercore Gemmæ, ob quas libri illi retineri poſſint.* Vide quò impietatis deuolueris ipſe, cauſamque Reuclini agens, dum omnis næui purum conaris oſtendere; probas ſacrilegum, irreligioſum, impium; nec ſecùs ac perditiſſimum Sycophantam, omni fœdâ notâ inuſtum diuexas hominẽ: ſicuti non poſſunt Magnates aut Cæſares fumigans lignum, virum prauè ſentientem, in puram lucem ac illibatam doctrinam aſſerere, quem errore multiplici notatum, Pontificia decreta confixere, teſte Poſſeuino in Apparatu, V. Ioannes Reuclinus, ſic effato. [Etſi alia ſcripſit; eius tamen Libri qui prænotantur ſpeculum oculare, de verbo mirifico, de arte cabaliſticâ, prohibiti ſunt in Romano Indice.] *Impietac.*

Ridiculum etiam ſupra fidem Te oſtendis, dum laudes & intemeratum decus Reuclini deriuas ex carmine Epico Eleuterij Bizeni, cui Titulus; *Triumphus Capnionis*; cùm congener Tibi, pariterque laruatus, ſub ementito Eleuterij nomine, Triumphum Capnionis, Capnio ipſe perſonatus ediderit, vt latè ſuprà oſtendimus §. 99. vbi genuinum Reuclini exhibuimus ſpecimen. Quid autem exhibes Petrum Galatinum Minoritam, agentem pro Reuclino & Thalmudicis libris, quos Pontifices cenſorio ſtylo notarunt, vltriceſque multoties ambuſſerunt flammæ, vt ipſemet queritur in ſua ad Leonem X. Epiſtolâ & lib. 3. de Arte Cabaliſtica? Quicquid doctrinam ſolidam & infermentatam redolet in illo Opere *de Arcanis*, ſuffuratus eſt Galatinus à Raymundo Martini Cyriaco, vt luculentiſſimè euicit nuperrimus ſcriptor *Ioſephus de Voiſin* Exſenator Burdegalenſis, in Præfatione ad Pugionem Fidei eiuſdem Raymundi; cui ibidem ſuffragantur Franciſcus Boſquet Epiſcopus nunc Monſpelienſis, & Philippus Iacobus Mauſſacus Præſes, cuius verba exſcribo ex Prolegomenis in eumdem Pugionem Fidei. [Huius Operis Raymun-

dum Martini verum Authorem, eumque primum Iudæos proprijs armis confodiſſe monemus. Galatinum verò quæ habet bona & vtilia in *arcanis Catholicæ veritatis*, deinde ab ipſo fuiſſe ſuffuratum. Tum demùm Porchetum eodem ferè tempore, ex eodem fonte bibiſſe ;. ſed non pari audaciâ & inuerecundiâ.] Quæ pro defenſione Reuclini inſerit Galatinus, Reuclinum ſapiunt ſub Galatini nomine latentem, libroſque ſuos de Arte Cabaliſticâ, licet prohibitos hàc commodatitiâ manu impunè euulgantem. Audiamus Poſſeuinum in Apparatu, v. Petrus Galatinus. [P. Galatinus Ordinis Minorum ſcripſit de Arcanis Catholicæ veritatis aduerſus Iudæos: quæ tamen pleraque, penè omnia, præter Cabaliſtica, legebantur in Victorio Porcheti. Scripſit item alia; nec non de Ioanne Capnione, quæ extant in Bibliothecâ eiuſdem Ordinis Romæ in Ara Cæli. Porrò quod ex malè intellecto Clementis V. Decreto de prælegendis rudimentis Hebraicis detorſit ad Thalmud prælegendum; idque meritò Sixtus Senenſis in ſuâ Bibliothecâ ſanctâ improbauit: præterquam quod reliqui Pontifices Maximi, ac nouiſſimè Clemens VIII. in Indice Romano omnino eius lectionem prohibuit.]

Audienda ergò quàm Galatino Sixtus impingit, condigna cenſura Lib. 2. de Bibliotheca S. v. Traditiones, his verbis. [Non poſſum hìc non magnopere mirari inane ſtudium Petri Galatini ex Ordine Minorum: qui, cùm in 1. de Arcanis Catholicæ veritatis libro, defenſionem Thalmudicorum voluminum ſuſcepiſſet in eam vanitatem deuenit, vt non ſolùm affirmauerit Thalmudica opera in Latinum verti oportere, & publicè in Scholis Chriſtianorum explicari; ſed hoc ipſum quoque conatus fuerit aſtruere authoritate Clementis Papæ V. qui in Concilio Viennenſi, eâdem ſanctâ Synodo approbante, ſtatuit vt in Scholis Chriſtianorum eſſent præceptores Hebreæ & Caldaicæ linguæ periti, qui libros Iudæorum in Latinum transferrent, & ipſorum linguam publicè docerent; ſicut in 5 Clementinarum Sanctionum volumine, in titulo de Magiſtris annotatum eſt. Hoc quidem Clementis decretum, inquit Petrus, cùm intelligi nequeat de Hebraicis diuinæ Scripturæ libris, quia iam toties traducti fuerant, conſentaneum eſt, ipſius verba intelligen-

genda fore de Thalmudicis Iudæorum operibus, nondùm Latinè verſis. Lepidum ſanè argumentum & tali defenſore dignum; qui non animaduerterit Clementis Canonem loqui de primis rudimentis & Inſtitutionibus linguarum Hebraicæ & Caldaicæ, quæ magis petenda ſunt ab eis qui inter Iudæos Grammaticas traditiones, & Hebraica atque Caldaica dictionaria conſcripſerunt, quàm ab iis, qui Thalmudica ſcripta colligunt. [Ita Sixtus. Et v. Eſdras.] Quia ex decreto S. Romanæ Inquiſitionis omnes libri ad Cabalam pertinentes nuper damnati ſunt; ſciendum eſt duplicem eſſe Cabalam, alteram veram, alteram falſam. Vera & pia eſt, quæ arcana ſacræ Legis myſteria iuxta Anagogem elucidat, quam quidem in 3. huius operis Volumine oſtendemus neceſſariam ad Scripturæ diuinæ interpretationem, producentes aliquos ex illuſtribus tam Græcis quam Latinis Expoſitoribus, qui ea in Explanationibus ſuis vtuntur. Hanc ergò nunquam damnauit Eccleſia. Falſa atque impia Cabala, eſt ementitum quoddam Iudaicæ traditionis genus, quod improbi quidam Iudæi à Moyſe ex Patribus vſque ad ipſos emanaſſe dicunt, innumeris vanitatibus ac falſitatibus refertum, nihil, aut parum à Necromantiâ diſtans. Explicat enim ſecreta quædam nomina Dei ipſorumque virtutes occultas, quibus ad ligandos dæmones, & ad facienda præſtigia Necromantici nonnulli apud Iudæos vtuntur, aſſerentes Chriſtum noſtrum huius artis ope omnia ſua miracula edidiſſe. Hoc igitur ſuperſtitionis genus, Cabalam impropriè appellatam Eccleſia proximis annis meritò damnauit] Talis autem eſt illa quæ à Capnione de Arte Cabaliſtica & à Galatino de Arcanis Scripturæ, expenditur. Siccine, Fratelle, arundineo baculo Tuum fulcis Reucliuum? firmiora non ſuppetebant labenti adiumenta.

Præcipuum Encomiorum eiuſdem caput omittis, accelerandæ Cyriacorum ruinæ aptiſſimum, qui virum Sanctum, inter Cælites publicâ Apotheoſi conſtitutum, & D. Hieronymo in ſede beatificâ comparem, *B. Reuclinum*, tantâ (vt loqueris) barbarie, ignorantiâ, inuidiâ ſunt inſecuti, vt (ipſomet D. Capnione referente in Epiſtola ad Leonem X.) quinquennale bellum ab ipſis illatum pertulerit. Eorum operâ damnati eius libri Romæ, Eccleſiarumque

valuis affixi, ac denique carnificis vindice manu combuſti Coloniæ. Siccinè Diuos Hieronymi Collegas irreligiosè impetunt Cyriaci? Subrides, vanâ ſpe allectus, quod Beatum indigitauerim Reuclinum? An neſcis Eraſmum, qui Tibi familiarior eſt Paulo Apoſtolo, in libro Colloquiorum pag. *mihi* 157. inſcripſiſſe Colloquium ſingulare hoc titulo. *De incomparabili Heroe Ioanne Reuclino in Diuorum numerum relato*? Hîc Apotheoſim inſtituit eiuſdem Reuclini Capnionis; quem denotat probè defunctum, D. Hieronymo datum collegam & confeſſorem in Beatitudine; ediditque (vt ſolet fieri à Summis Pontificibus in Canoniſatione Sanctorum) Collectam, ſeu Orationem in eiuſdem S. Reuclini honorem. Hunc ergò Diuum & Cælitem, ab Eraſmo, ſummo velut Hierarchâ, inter Sanctos celeberrimâ Apotheoſi relatum, non mirum cur Petrus Valcluſinus à frequenti Cyriacorum inuaſione vindicet. Dignus certè tali Pontifice Sanctus; cuius vt ſanctitas altiùs emicet, Apotheoſim ventilemus. Eraſmus Sacrorum deriſor, præcurſor Lutheri, qui Euangelium, Fabulam vocat; Chriſtum Dominum ſtultitiæ infimulat in lib. cui Titulus, *Moria*, vt teſtatur amicus eius Caluiſus in an. 1508. inter Diuos refert Reuclinum ſibi amiciſſimum, & eiuſdem farinæ virum, continetque Bulla Canoniſationis ab ipſo emiſſa, quatuor aut quinque capita, ex quibus vtriuſque ſanctitas eluceſcat. In ipſo Apotheoſeos veſtibulo, Camelum vocat Prædicatorem Euangelicum, quem Louanii nuper audierat concionantem: Cyriacos Reuclino infeſtos, Furias ac Harpiyas; ſolemnem Sanctorum Canoniſationem ab Eccleſiâ fieri ſolitam, publico Ludibrio excipit, ſpernitque ritum; cuiuis præbens anſam, quos voluerit, referendi inter Diuos, ac colendi cultu religioſo. Irridet denique Collectam quæ à Pontifice proponitur toti Eccleſiæ dicenda in honorem Sancti recens in albo Sanctorum conſcripti; ſimilem ipſe Diuo ſuo compingens. En Tibi *ſanctum* Eraſmicæ inſtitutionis, eiuſdem cum illo furfuris virum, qui ambo Hæreſi Lutheranæ præluſerunt. Nam vt ſapienter annotauit Boterus, deprauatio immenſæ illius Prouinciæ, ſeu Germaniæ, ortum accepit à facetiis & publicis Sacrorum Ludificationibus Deſiderii Eraſmi in Moria, Eccleſiaſte & Colloquiis vulgatis, irridentis ſacra vota, ſtatum Regularem, ceremonias Eccle-

p. 3. l. 1. tit. de Germania.

ſiæ, Prælatos, Pontifices, Sanctos, Chriſtum ipſum: ſicque Religionem Catholicam impudoratè traducēs, viam ſtrauit Luthero. Vnde manauit commune proloquium (quod a Poſſeuino etiam obſeruatur, V. Eraſmus) *Eraſmus innuit, Lutherus irruit: Eraſmus dubitat, Lutherus aſſeuerat: Eraſmus parit oua, Lutherus excludit pullos. Vel Lutherus Eraſmiſat, vel Eraſmus Lutheriſat.* At collega Eraſmi Reuclinus; ambo Luthero amiciſſimi, præduces ac præcones; nam teſte Caluiſo, eoque Hæretico; eodem fermè tempore quo Eraſmus edidit ſuam *Moriam* in Eccleſiæ ac Sanctorum deriſionem; Reuclinus Confrater paulò ante, putà anno 1497. Comœdias primus ediderat in Germaniâ. Quid tum? Comœdus Reuclinus, ſcurra Eraſmus, amboque Ludiones ac profani traductores ſacrorum, quorum Cenſores ac Maſtygas Cyriacos, Fidei ac Eccleſiæ vindices fateberis, ſi concedatur Tibi aliquando ſapere. Docebit Te hoc Poſſeuinus in Apparatu, v. Ioannes Reuclinus; his verbis rem propoſitam expediens. [Ioannes Reuclinus etſi alia ſcripſit; eius tamen libri qui prænotantur *ſpeculum oculare*, de verbo mirifico, de Arte Cabaliſtica, prohibiti ſunt in Romano Iudice.] Ita ille.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Queritur D. Ignatium malè habitum à Cyriacis.

S. *Ignatius Loyola in primo pietatis tyrocinio, rudis in ſpeciem rerum Theologicarum, exarauerat aureum libellum* §. 136.
ſpiritualium Exercitiorum. *Sed vnctio eum docuerat de omnibus. Itaque vt eſt apud Maffæum, c. 17. Vita Sancti viri, in Salmanticenſe S. Stephani Cœnobium, adhuc ſæcularis pro Chriſto pauper, per ſpeciem prandij allectus; poſt prandium à Priore variis circa eum librum percunctationibus agitatus; quamuis nihil niſi pium & ſanum reſpondiſſet, arrogatâ authoritate, tentus per triduum eſt; nec dimiſſus, niſi vt ad publicum carcerem, implacato per Fratres Epiſcopi Vicario, abduceretur. A Vicario adhibiti ad eum libellum recognoſcendum, plures docti & graues Cenſores, nihil in illo niſi ſanctum ac nitens deprehenderunt. Neque tamen Fratrum in eum librum*

intemperia ita ſunt ſedata, vt non recruduerint, vnde poſtulatione Franciſci Borgiæ, tunc Gandiæ ducis, Paulus III. auditis Cenſoribus, Librum Exercitiorum ab Ignatio conſcriptum, tanquam omni ex parte ſanum & pium, autoritate Apoſtolica approbauit. De eo Libello, per ipſam Deiparam commendato; ſummâque eius inter Aſceticas ſcriptiones præcellentia videndi Philippus Alegambe in fronte Bibliothecæ Societatis: I. Nicolaus Orlandinus l. 13. Hiſtor. Societ. à n. 33. & Daniel Bartoli in Ignatio. I*nuentus tamen eſt qui cum librū authoritate Apoſtolicâ approbatum, & tot Doctiſſimorum hominum ſuffragiis communitum non allatraret tantùm ſed etiam canino rictu morderet* tanquam continentem multa, temerariè effutita; non pauca, quæ piæ ac Catholicæ aures reſpuerent; quædam etiam perſpicuè hæretica. *Cenſura hæc fuit Fratris Melchioris Cani; qui multis ſugillationibus margini illitis, librum dehoneſtauit. Eas ſugillationes cum Mancius Profeſſor Compluteuſis, vrgente Ioanne Siliceo in Ignatium & ſuos malè affecto legiſſet; quærenti eidem Siliceo, Ecquid de libro videretur; reſpondit, omnia in eo eſſe ſancta & pura, præter Cani ſugillationes; quas ſolas ſordere, & expungendas eſſe, pronunciauit.*

RESPONSIO.

QVi non potuit Cyriacorum familiam in Ordinem Seraphicum commouere, tentat nunc collidere cum Societate Ieſu; ſed vtrobique æquali, vani irreligioſique conatus propudio; fœdâque mendaciorum illuuie, quæ ipſimet Ieſuitæ liberali calamo expungent. Aſſerit per ſpeciem prandii allectum à Cyriacis S. Ignatium dum ſtudia peragerct Salmanticæ adhuc ſæcularis; poſt cibum variis circa librum Exercitiorum percunctationibus à Priore agitatum; tentumque per triduum, donec à Vicario Epiſcopi, quem Cyriaci implanarant, ad publicum carcerem deduceretur. Tria vno verbo effutis mendacia. Siquidem Ribadeneira Ieſuita ac Hiſtoriæ Societatis peritiſſimus, in vita S. Ignatij lato volumine & ſeorſim conſcripta, hiſtoricum huius euentus contextum referens, dicit luculenter hoc contigiſſe in abſentia Prioris Cyriacorum, quem Tu tamen inducis præſentem & ſtrophæ fabrum. En primum mendacium. Dicis inſuper interrogatum circa librum

Mendacium. 3.
L. 1. c. 15.

Exercitiorum: En ſecundum mendacium, nam idem Scriptor teſtatur fuiſſe interrogatum tantum, quæ ſtudia & quam ſcientiam profiteretur; Item, num quæ rudi populo edocendo de pietate Chriſtianâ inſtillabat, labore proprio, an gratuitâ Dei infuſione didiciſſet: de Exercitiorum libro nec verbulum ipſi à Cyriacis propoſitum. Retentum autem in Cœnobio per triduum, non frænandæ libertatis ergò; ſed indagandæ veritatis; communique Fratrum conſortio ac Refectorio exceptum. Abeuntes interim Cyriaci in diuerſas de eo ſententias, alij laudabant conatum eius; alij (quos idem Ribadeneira in vitâ Sancti compendioſâ, cæteriſque Sanctorum legendis annexâ, vocat *viros Religioſos ac timoratos*) timentes ne ſub prætextu deuotionis error aliquis ſubreperet tempore illo calamitoſo & Hæreſibus diſcerpto, ab eo maximè qui nuper è carcere dimiſſus fuerat, vt oſtendit c. 14. ſimpliciter monuerunt Vicarium Epiſcopi, inquit Author; Tu verò tertij mendacij faber, addis de Tuo, Implanauerunt Vicarium Epiſcopi, dictum Friaz, vt abduceret eum in carcerem publicum Salmanticæ; in quem paulò ante coniectus fuerat Compluti à Vicario Archiepiſcopi Toletani dicto Figoera, nihil agentibus nec ſcientibus Cyriacis. Incarceratus itaque Salmanticæ S. Ignatius, proprio motu (vt fert Hiſtoria) nec de hac re hactenùs requiſitus, delegatis à Vicario Iudicibus obtulit librum Exercitiorum: Quid igitur amarulentâ procacitate carpis Cyriacos, quorum aliqui partes eius apertè tuebantur, & collaudabant ſpiritum; alij pro religione Catholicâ ab Hæreticis tunc multifariè vexatâ, ac ſæuiente errorum æſtu, timentes, monuerunt tantum Præpoſitos Eccleſiæ, Gregi inuigilantes, vt attenderent an ſpiritus qui in eo loquebatur, eſſet à Deo: Omnes autem integro illo triduo, quo apud eos manſit, charitatiuè ac religioſiſſimè ſicut Fratrem Ordinis exceperunt virum adhuc ſæcularem.

At funiculus triplex difficile rumpitur, imò inualeſcit, dum præfato triplici mendacio, quartum ſubnectis à perſonâ D. Ignatij ad Librum Exercitiorum, detorto Cyriacorum molimine. Verùm vt agnoſcat Lector, Te, & Hiſtoriæ Societatis planè rudem, & in vitâ S. Patriarchæ peregrinum, ſicut & ab eius imitatione deuiantem, paucula ſubiicio, Oborta 1. Hiſpali tempeſtas, corroborata Salman-

ticæ, recrudeſcit paulò poſt Lutetiæ Pariſiorum. Inuolant plures invitam Sancti & ſimul in Exercitiorum librum: Ex vtroque capite fama eius hîc proſcinditur. Indolent multi, nemo furentes compeſcit, nemo ſuccurrit laboranti. Fallor, accurrit, vtrique ſuppetias allaturus Ordo Prædicatorius. Dicam quod vox publica eloquitur, ipſeque Societatis toties laudatus Scriptor. Matthæus Ory Cyriacus & Inquiſitor Pariſienſis protectionem eius ſuſcipit; ſilentium indicit Aduerſariis, impactam viro Sancto & libro, purgat & depellit infamiam, meritumque euulgat. Petitum ac ſibi conceſſum ab Ignatio Exercitiorum Exemplar, in Gallicum Idioma conuertit propriæ ſaluti profuturum, vt inquit Ribadeneira in vitâ compendioſâ. Nec dum ſatis. E Galliâ in Romanum ſolum deuolans procella aduerſus Sanctum, multos in almâ Vrbe reperit, qui Libellum præfatum apud Pontificem ſugillarunt. Examinandum tribus tradit Paulus III. auditâque eorum relatione, ſanum ac pium Opus auctoritate Apoſtolicâ approbauit. At qui Inſtigatores ac Actores, quiue Examinatores & Patroni extitere? More Tuo, mendacia mendaciis accumulans, Cyriacos libri vexatores inducis: *neque tamen* inquis, *Fratrum in eum librum intemperiæ ita ſedatæ ſunt, vt non recruduerint.* Putaſne, Nebulo effrons, ſapientiſſimum Pontificem, quos, ſecundum Te ſciebat actores & accuſatores libri, eoſdem deputaſſe ad Examen & Cenſuram? Vbi æquitas; vt idem ſit Actor & Teſtis aut Iudex? Et tamen vt liquet ex Conſtitutionibus Societatis, in quarum veſtibulo ſunt prædicta Exercitia cum approbatione Pauli III. & Examinatorum ſuffragiis; tres â Pontifice fuere delecti, qui ea perlegerent, ſeueroque Examine trutinarent ſingula. Quinam illi? Ex tribus, duo fuere Dominicani; Tertius, Epiſcopus nulli Religioni annexus.

Calumnia.

Primus fuit Ioannes Toletanus Cyriacus, Cardinalis Tituli S. Clementis & Epiſcopus Burgenſis in Hiſpaniâ, qui pro duplici Exercitiorum tranſlatione, duplex tulit ſuffragium. Primum ſic habet, referturque in præliminaribus Conſtitutionum Societatis nuperrimæ editionis. *Legimus omnia in volumine hoc digeſta, nobiſque valde placuerunt & ad ſalutem animarum in primis conducibilia ſunt viſa.* Secundû autem eſt eiuſmodi tenoris. *Legimus ſpiritua-*

lia hac exercitia, placentque nobis valdè, & digna iudicamus quæ ab omnibus Ortodoxæ Fidei cultoribus recipiantur & magni fiant. Vtrobique ſubſcriptus. *Cardinalis Burgenſis.* Vbi ergò intemperiæ illæ Cyriacorum in præfata Exercitia, quæ Cardinalis Cyriacus & Examinator à Pontifice datus, tot Encomiis celebrat? Secundum Examinatorem prætereo, quia ſæcularem, Philippum Epiſcopum Salutiarum. Tertius Examinator & vltimus, Ægidius Foſcararius Cyriacus, & S. Palatij Magiſter, poſteà Epiſcopus Martinenſis, quem Sixtus Senenſis lib. 4. Bibliothecæ, V. Ægidius & V. Tullius Criſpolus, vocat Epiſcoporum omnium ſui temporis eruditiſſimum atque ſanctiſſimum. Claruit in Concilio Tridentino, deputatuſque fuit cum aliis Cyriacis, inter quos Leonardus de Marinis, ad reformationem Miſſalis ac Breuiarij Romani. compoſitionemque Catechiſmi Concilij Tridenrini. Hic itaque Foſcararius in primâ Exercitiorum approbatione ſic fatur. *Non poterunt tam ſancta Exercitia non maximum commodum præſtare cuilibet ſtudioſo: Ideò obuiis etiam vlnis amplectenda ſunt.* In ſecunda. *Cùm nequeat ſubſiſtere diu Chriſtiana Religio ſine Exercitationibus & Meditationibus aliquibus ſpiritualibus; (In meditatione enim, inquit Vates, exardeſcet anima mea) nullas arbitror magis oportunas his, quæ procul dubio ex Scripturarum ſtudiis & longo rerum vſu nata ſunt.* Subſcriptus in vtraque. *F. Ægidius Foſcararius Magiſter S. Palatij.* Sic loquuntur Cyriaci, ſic teſtantur, ſic approbant & laudant; quibus adſtipulatur Pontifex; eorumque ſuffragia, authoritate Apoſtolicâ confirmat. Ex his igitur ita prælibatis, Sole clariùs emicat, quis fuerit Cyriacorum erga D. Ignatium & Librum Exercitiorum animus & affectus: approbationeſque eorum tot Elogiis celebres præualent ſingulari Cani Cenſuræ quam affers, ſi tamen vera ſit nec conficta: fateor enim me poſt ſedulam eius perquiſitionem, nec in ſcriptis eius, nec alibi inueniſſe. Cum itaque lege ciuili cautum ſit, vt qui ſemel in iudicio conuictus eſt mendacij, ſemper mendax præſumatur; Te de tot Impoſturis conuictum, nunc quoque Impoſtorem licebit ſuſpicari: ſicut & mendacem ſupra euici, cum nec apud Canum vllibi reperiantur, quæ ab ipſo aduerſus vniuerſam Societatem effutira commentus eras. Certè inconcuſſa mentiendi ac imponendi, Tibi obtigit immunitas. Nec

Ibid.

ſanè D. Ignatius ſi ſibi infeſtos, vt garris, expertus fuiſſet Cyriacos, è Cyriacorum ſinu aſciuiſſet præcipuum quod Societati enaſcenti conferret paternæ dilectionis pignus, D. Thomam & eius doctrinam, quam Filijs ſuis authenticâ conſtitutione præſcripſit ſequendam.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Pro Ludouico Viue Eraſmi præcone depugnat.

§. 137. *IOannes Ludouicus Viues, Philippi Secundi Hiſpaniarum Regis quondam præceptor, magno vir ingenio, eoque amœno; notatus eſt vrgentibus & Cyriacis, quia de Fratre Thoma Valois, & Nicolao Triuet & F. Iacobo de Paſſauant minùs honorifice locutus fuerat in Præfatione ad ſuos Commentarios in libros D. Auguſtini de Ciuitate Dei. Scripſerant enim tres hi Cyriaci in eoſdem D. Auguſtini libros Commentarium, ſupra quàm dici poteſt inſulſum; atque præ ignorantiis quibus ſcatet, ridiculoſiſſimum: & cum contigiſſet, Ludouicum Viuem ad idem Opus illuſtrandum ſe accingere, reſciuere hoc nonnulli Cyriacorum; & deridentes Ludouici laborem, tanquam qui actum ageret, eo quod tres illi Fratres ad miraculum erudite, dextre, exactè, fœliciter, & ita vt nihil ſupra, in illud opus ſcripſiſſent, infœliciter ceſſuram nouam in illud Opus operam ſunt hariolati, idque vt Viues reſciret, curarunt. Accepto Viues eo nuntio, trium illorum Fratrum ineptias, ignorantias ac (ſi ſimpliciter dicendum eſt,) aſininitates, ingenuè ac nitide aperuit; non quidem colligens accurate omnia; ſed tamen attingens quædam illius generis notabilia. Hoc illi reputatum eſt, non ad iuſtitiam (vt verè erat imputandum,) ſed ad grande piaculum. Itaque tota Præfatio, cuius titulus erat,* de veteribus Interpretibus huius Operis, *reciſa eſt & Libitinæ addicta. Reliquum vero opus, iuſſum caſtrari.*

Scio alia quædam in ea Præfatione reprehendi, & ob quæ præterea admotum eſſe cultrum cauſati ſunt Fratres; nempe quod Eraſmi ſe amicum profeſſus ibi ſit Viues; & quod eidem laudes nonnullas panxerit: hoc tamen ad reciſionem Præfationis non potuit ſufficiens videri: nam Sanctus Leo, ſe profeſſus eſt Eutychetis beneuolum, eumque collaudauit. Vi-

deſis Facundum lib. 7. c. 3. Zozimus Papa fouit aliquando ac collaudauit Pelagium ac Cæleſtium, nondum tunc compertos Hæreticos. S. Paulinus Epiſtola 1. *& alia ad S. Hieronymum exarata, collaudauit Vigilantium. Ipſe S. Hieronymus, tantus poſtea Vigilantij aduerſarius, eum valdè celebrauit Epiſt.* 13. *extrema. S. Maximus apud Photium Cod* 194. *Pyrrhum poſteà detectum* Hæreticum, *laudibus extulit. Quid igitur mirum, Viuem laudaſſe Eraſmum, qui nunquam ſe geſſit pro apertè hæretico, & in eâ barbarie morum ac doctrinæ, quæ tunc orbem occupabat, habebatur celeberrimus? Ipſi Romani Pontifices, Leo X. & Paulus III. datis ad Eraſmum litteris, gratias agentes pro dicata ipſi Paraphraſi in Nouum Teſtamentum, quæ multo morboſior videri poterat, quàm Commentarius Viuis in Auguſtinum; adeò effuſi ſunt in Eraſmi Laudes, vt præ his Pontificibus Viues ſiluiſſe de Eraſmo videri poſſit. Quid ad hæc efferati in Viuem Cyriaci, prætextu laudati Eraſmi? Cætera ob quæ Viues in hoc Commentario notatus eſt, proſtantque apud Poſſeuinum in ſacro Apparatu*, v. Aurelius Auguſtinus, *non fuiſſent expeditu aut expolitu difficilia, niſi Fratres commemoratione inſulſitatum & ignorantiarum in Sociis à Viue obſeruatarum, cenſuiſſent eum vſque-quaque inexcuſabilem. Quæ verò iſta agendi ratio eſt; vt Fratrum ſupinitates lateant, diſpareat Viues? vnum aut alterum illarum inſulſitatum ſpecimen multiceps, retuli ſuprà Diatribâ* 5. *Sunt autem adeò inſipidæ, vt nullo quatumuis accumulato pipere adhibito, deſatuari queant. Mihi facile eſſet, è Commentario illo trium Fratrum, nunc quidem infælicitate ſuâ vel* Fratrum *de tot ſtultilogiis erubeſcentium ſtudio ægerrimè in manus peritorum veniente, decerpere iuſtum volumen ineptiarum atque gerrarum omnis generis, intactis ijs paucis, quas attigiſſe carò ſtetit Ludouico Viueſio. Nam humanitate Viri Doctiſsimi in eum Commentarium incidi; & eumdem per otium percurrens, hæſi non ſemel, & obſtupui ad tantas ſupinitates, quibus ſparſo obducendus, Viues eunuchizandus fuit. Sed quod tam malè collatæ operæ in euoluendâ tam miſerâ* Fratrum *Lucubratione pigeat ac tædeat, abſiſto pluribus.*

RESPONSIO.

NVgamenta Tua pro Ludouico Viue ſoluta §. 91. ac planè iam exſufflata, quid importunè recantas? Indoles vt video, Reuclino, Eraſmo ac Viueſio, intimo amicitiæ ac irreligionis fœdere colligatis, qui de Synagogâ Libertinorum enati, ſacratiora Religionis Catholicæ myſteria profanè deriſerunt. Triſtaris valdè, & exaſperatâ ſingultibus bile, excondeſcis in Cyriacos Auguſtini Commentatores; eoquod inſolens eorum Ariſtarchus Ludouicus Viues Pontificio ſtigmate inuſtus fuerit; multa in ſcriptis eius reciſa & Libitinæ addicta; maximè, quod effuſus in laudes Eraſmi caſtrari meruerit. Diluere hanc maculam conaris exemplo Leonis ac Zozimi Pontificum, Paulini, Hieronymi ac Maximi qui Hæreticos quoſdam coluere; ſed inutiliter. Illi enim latentes, non apertos Eccleſiæ hoſtes Elogiis celebrarunt; ſed ſtatim poſt abiectam Laruam; Transfugas à Fide, inuicto zelo & odio implacabili ſunt proſecuti. Viues autem ſacrilegis extollit laudibus Eraſmum deuiantem, apertè in ſacra inuolantem, & vniuerſam in ſinu ſuo coaceruantem Arianæ, Pelagianæ ac Lutheranæ prauitatis colluuiem. Attende, Petre, cui Tu cauſæ ſuffrageris, diſce ſapere alieno doctus periculo.

Poſſeuinus in Apparatu, V. Eraſmus ſic de eo effatus eſt. [Moriam edidit, Lucianum & Satyricos imitatus, Sacerdotij dignitatem & decorum oblitus. Inde, vt ſolemne eſt, equis fræno ſolutis atque furentibus, vt quo licentiùs currunt, eo grauiùs hùc illùc paſſim impingant, ex cenſurâ Patrum Antiquorum, quam nullâ fultus authoritate legitimâ, (nec certè ſolidâ Theologiâ) ſibi temerè vſurpauerat, eodem ſuperbiæ Typho lutulentos pedes in diuinos Codices inſeruit, ac feneſtram patefecit nouis Arianis ingentem, quemadmodum Tranſyluani Miniſtri teſtati ſunt. Cumque hinc ſalibus & iocis amarulentis, illinc mordaci veſaniâ Bibliothecas ſuis partubus referciſſet, inuecta eſt in animos multorum noua quædam eius ſceptica doctrina, qua plures de Chriſto Deo, deque omnibus aliis articulis Fidei (ſicut eidem Eraſmo olim contigerat) dubitarent. Has faces cùm plerique

lamberent, Lutherus quoque hauſit, Caluinus &c.] Sicque oſtendit Eraſmum Arianæ labis tabe infectum & inficientem alios. Vniuerſus olim orbis Catholicus pro Chriſti diuinitate depugnans, inſurrexit in Arium, infandiſque iacet & latet confixa diris, memoria eius, & licebit Viueſio, viro Catholico, celebrare laudes Eraſmi Arianiſmum ſuſcitantis & publicè docentis? Vltrà progreditur impietas Encomiis titillata irreligioſis. Ariaſnimo implantauit Pelagianiſmum Eraſmus, quem Pelagianæ Hæreſeos fautorem profitetur Ambroſius Catharinus lib. de peccato originali, diſp. 2. cuius Tu, Petre, teſtimonium non refugies, tanquam à Caſtris Cyriacorum Transfugæ. [Nequiui, inquit, ſatis admirari his temporibus inueniri aliquos, tametſi Chriſti ſanguinis inimicos, qui Hæreticis Pelagianis fauere poſſint. Subticeo quoſdam quos audio tacitos quiddam huiuſmodi ſubmurmurare. De Eraſmo pauca dicam: Ipſe enim egregius penè omnium Hæreſum atque Hæreticorum patronus, dum cap. 5. ad Romanos, tractans de ſenſu Pauli diſputaret, auſus eſt inter Pelagium & Eccleſiam Cenſoris atque Arbitri perſonam ſibi arrogans, in hunc modum interloqui &c.] Et hunc laudat Viues homo Catholicus? *Irreligio.*

Arium ſuſcitat Eraſmus, Pelagium protegit, hoc tantum ſupereſt vt & Luthero præludat, quod nos §. 98. euicimus, oſtenditque Poſſeuinus loco proximè citato, dolens ſortem Eraſmi, qui quantò plures edidit Libros, tantò plures cumulauit Errores, *Maior futurus, ſi minor eſſe voluiſſet*, vt Cæſar Scaliger dixit appoſitè. Patres Græcos dum vertit, curauit euertere, vt oſtendit idem Poſſeuinus V. Baſilius. Meritò itaque notatus eſt Viues, quòd in laudes irreligioſi huius Scurræ, omnium Hæreſum patroni intemperanter ſe effuderit. Nec illi hoc datum crimini à ſolis Cyriacis, vt Tu calumnioſè obtrudis. A quibus ergò? Audi eumdem Poſſeuinum, cuius fidem ſuſpectam non habes; v. Aurelius Auguſtinus. [De Ludouico autem Viue, ſi hactenùs vixiſſet, non dubito quin ſeipſum correxiſſet, ſiue in laudibus quibus hoc tempore videbatur Eraſmus extolli, ſiue in Commentariis in libros de Ciuitate Dei: nam & propterea Theologi Louanienſes præter Prologos ipſius Viuis quoſdam, quibus & antiquos Commentarios eorum librorum irridebat, & Eraſmum extol- *Mendacium.*

lebat, ſuſtulerunt etiam quodlib. 1. c. 21. &c. (vbi notantur varij eius lapſus) ſed & Nauarrus initio libri de Regularibus, meritò Viuem incuſat quod in lib. 3. cap. 15. de Ciuitate Dei ſcribens, de Canonicis Regularibus loquatur

Impudenita. imprudentiùs.] Cæterùm petulantiſſime Ludio, quò impudentiæ excurris vt Complices Viuis velis efficere Summos Pontifices ob Paraphraſim Eraſmi in Nouum Teſtamentum, ab ipſis effuſiore Encomio vt dicis, celebratam, cùm & illa Paraphraſis prohibita ſit à Summis Pontificibus donec corrigatur; quædam etiam omninò notata & eliminata, vt Dialogi, Moria, Lingua &c. Meritò itaque, (vt Tuis vtar verbis) eunuchiſandus fuit Viues; Tuque fores elinguandus, *Cùm ignorantias, ſupinitates, ineptias, ſtultiloquia, gerras, inſulſitates, fatuitates & aſinitates* tantum eructes, *adeò inſipidas, vt nullo quantumuis accumulato pipere adhibito, dejatuari queant.* Interim hic erit gloriæ Tuæ cumulus, pro Hæreticis & apertis Hæreticorum fautoribus ac patronis, emiſiſſe in publicam lucem amarulentiſſimum Tenebrionem aduerſus Ordinem Religioſum, Tot titulis de Eccleſiâ Catholicâ benè meritum.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Fingit Leſſium malè tractatum à Cyriacis.

§. 138. *LEonardus Leſius rarum æui ſui ſydus, Doctor ſoliditate & chriſtallinâ pelluciditate celeberrimus; in vniuerſali per Europam applauſu, non euaſit Cyriacorum dentes. Quod enim adamantinas Prædefinitiones æternas actuum omnium humanorum ex merâ Dei voluntate, inconſultò quomodocumque homine, cuſas non probaret; & ferreas Prædeterminationes, tactæ diuinitus hominis voluntati ineluctabiles, non admitteret; Pelagianiſmi notatus eſt; & vrgentibus Cyriacis, peregrinitatis doctrinæ, ac periculoſæ nouitatis damnatus. Adeò enim inoleuerat apud Cyriacos Prædeterminatio Phyſica voluntatis, vt quiſquis aduerſus eam mutire auderet, compertus fuliginis Pelagianæ pronunciaretur. Igitur quod Leſsius, traditiones Cyriacorum de Deo ad quæuis opera, (etiam ſcelera,)*

lera,) prædeterminante reijceret, & Gratiæ efficacis tactum, ſi homo vellet, abijci poſſe doceret; graui cenſurâ, agentibus Cyriacis, pro humanæ libertatis deuinctione ſollicitiſſimis, perculſus eſt; etiam priuſquàm Molinæ diſcors concordia prodiret, & tot decumanis, turbinibuſque Banneſianis, in Hiſpaniâ impeteretur. Præludia ad Leſſij librum de Gratia, poſteà cuſum, malè reciſa ex Editione Pariſienſi anni 1626. exortum & ſedationem motuum illorum in Leſsium, explicatè proponunt; & videri item poteſt Libellus de eiuſdem Leßij vitâ & moribus cap. 5. Vnde liquet, non alia ex causâ inferbuiſſe tot motus in Leſſium, quàm quia Cyriacam Fatalitatem reſpuebat; nec aſſurgebat Banni & Gregalibus, libertatem humanam inextricabiliter implicantibus immiſſione nexuum voluntati inexpedibilium, & (vt Synodus Batauica Dordracena barbare dixit) irreſiſtibilium; *itaut homo quamuis independenter à ſua voluntate contactus; tamen ex quo contactus eſt, non poſſit non præſtare quod fert tactus ille; ſed conſenſum elicere adigatur. Quod ἄρρητον myſterium cortinæ Banneſianæ; pro quo retinendo ac tutando Cyriaca Phalans vniuerſa, vel ſi libertatis expeditæ periculum adeundum ſit, ad extremum vſque ſpiritum certare fixum habet. Neganti autem Leſſio ac ſimilibus, ſe id poſſe intelligere; inconciliabile enim humano intellectui videri, exſolutum manere, & ad vtramque partem vertibile, ſi adſtrictio ad vnam partem facta diuinitùs, nec ab homine impedibilis aut amouibilis inferatur; repoſuit alto cum ſupercilio Bannes,* Si non intelligunt, credant. *Hac de causâ agentibus & implacabiliter frementibus Banneſij Partiariis, Leſſius damnatus eſt. Et illa item eius doctrina in capite libri nigro Theta deformata, qua dixerat* Deum omnibus hominibus ſufficientia ad ſalutem media prouidiſſe. *Conclamatum eſt à Cyriacis in eam Leßij doctrinam. Sed Sixtus V. tunc ad Eccleſia clauum ſedens, ſanam pronunciauit: & vt à ſe quondam docendo probatam amplexus eſt, vetuitque improbari. Hinc ille Cyriacorum in Leſſium ſtomachus; quem quia in ipſum effundere non potuerunt, iteratis Romanis Iudiciis repreßi, in eius demortui imaginem denique profuderunt. Nam Leßij imaginem lenibus typis expreſſam, Libello de Leßij vita præfixam, quod circum appicti eſſent, de more vbiuis recepto, Angeli, tanquam Apotheoſim Leßij præferentem; abolere omni ſtudio ſategerunt. Sic Panthera ferociſſimum animal, implacabili hominis*

N n

odio æſtuans, cum in perſonam effundere iras prohibetur, oblatam eius imaginem lacerat: antitypa Diaboli (ait S. Baſilius Hom. in Lacizis) qui quod in Deum furere nequeat, hominem eius imaginem rabiendo perſequitur, ac, ſi queat, diſcerpit.

RESPONSIO.

ALiena lumina non inuident, qui propriis abundant; nec allicit ſtellarum commodatus fulgor, quos domeſticus ſol illuminat. Per Cyriacos (quibus affingis prælongos mordendis ſyderibus dentes; qui Te vt potè viciniorem cruentent) non ſtabit, quin Leonardus Leſſius, rarum vt ais, cæli ſui ſydus, Tibi Tuæque Valli affulgeat; quamdiu fulgentiſſimus totius Orbis Chriſtiani oculus D. Thomas, illos contuebitur. Vtiliùs itaque inpoſterùm vtere iubare Tuo, ne Te tanta cæſpitationum ac lapſuum frequentia dehoneſtet; vt probes hoc vnico Paragrapho, Triplex mendacij, rebellionis ac iniuriæ Te incurriſſe crimen; variis nec condonandis exerrationibus. Mendax es Lectori, rebellis Pontificibus, iniurius ipſi Leſſio, cuius patrocinium vltrò aſſumpſeras; dum debitas interim dabis pœnas Cyriacis, quorum denigrationem vano conatu ſuſcepiſti, probaſque doctrinam quam impetis, frigidum & calidum ex vno ore iteratò efflans.

Lectorem turpiter ludificaris, craſſâ mendaciorum farragine eum ineſcans; dum ſublatam per Præmotiones Phyſicas libertatem, impoſitam agendi neceſſitatem, eraſam diſſentiendi potentiam, quaſi ex Cyriacorum doctrinâ, obtrudis, quæ omnia iam à Te pluries effutita, totieſque exploſa docebit §. 31. 53. Cur autem Prædeterminationes adamantinas ac ferreas voces, non video, niſi quia nequeunt infringi; ineluctabiles, quia nullo luctamine ſuperari poſſunt ab Aduerſariis; ſimiliſque captiuis qui è Turcicâ tyrannide, vi aut arte erepti, optatâque libertate iam fruentes, catenas ac vincula frequenter ſomniant; ſic Tu non immemor Hypparchicæ incarcerationis, (benè me intelligis) *Ferrea vincula, catenas adamantinas, ineluctabiles vinctiones, inextricabiles nexus, immiſſiones inexpedibiles*, vbiuis eructas & effundis. At ſi vincula times, Te fulmen Pontificium non attonat, vibratum in omnes qui

Mendacium. *Rebellio.*

de Auxiliis vulgato opere tractant, quæ Tu repetito in fœliciique molimine toties verſas? Attende quid de hac ſcribendi prurigine temerariâ & rebelli, cenſuerit nuperrimus Societatis Scriptor Stephanus Deſchamps in Præfatione Libri de Hæreſi Ianſeniana. *Supereſt vt admoneam, me ita poſtremum Innocentij X. Edictum defendere, vt alias Apoſtolicæ Sedis Sanctiones, non violem, quibus interdictum eſt, ne quis editis in libris controuerſiam illam agitet, quæ inter Dominicanos Patres & Societatis noſtræ Theologos de diuina Gratia auxiliis grauiſſima quondam exarſit.* Hæc Te debuerat intra limites debiti famulatus, præmonitio continere. Quem ergò Pontificiis fulminibus vmbonem oppones, qui hanc de Auxiliis materiam toties præuaricator euentilas? Suggeram libenter ex Chriſtianâ charitate, quâ Te poſſis exceptione tueri, tanquam nullatenùs edictis rebellem; Tuoque nomine reſpondebo, irrogatas Cenſuras Scriptoribus Philoſophicâ aut Theologicâ arte progreſſis; non autem anili deliroque Scurræ, qui mimicâ petulcitate auxilia diuina & Præmotiones Phyſicas irridet, non impugnat, ludit non diſputat; infœlicique euentu contrarium eius firmat, quod ſuſceperat improbandum: In quo Cyriacis adſtipulatur, dum Leſſium vellicat; tanta eſt, hocque titulo aliquantulum condonanda, lymphatæ mentis euerſio.

Queritur Pſeudo-Petrus, Leſſium (quem vellemus ab huius infauſti ac nocentis Patroni vnguibus ſeruare illæſum) graui Cenſurâ perculſum agentibus Cyriacis; & Pelagianiſmo notatum, vrgentibus iiſdem Cyriacis. Hæc quiritationis efferatæ ſumma. Cui ſic obuiamus. Doctrinam Leſſii Theologico agone in Scholis (ſicut aſſolet) impetiere Cyriaci, non actione iuridicâ apud Inquiſitores aut Pontifices: argumentis vexarunt nouum dogma inter Theologos, non delatione apud Iudices. At, inquis, lata eſt in eum grauis Cenſura. Quid tum? Non ipſi tulerunt, ſed Cenſores: non ipſi notarunt, ſed Pontifex & ab eo delegati Purpurati Patres. Si autem iuſtè lata eſt, cur in eam debaccharis? Si iniuſtè (quod nefas eſt dicere) Iudices ac Cenſores criminaris, non Cyriacos, quos aſſeris, tantum Actoris ſuſtinuiſſe perſonam; licet & in hoc mentiaris. Demus interim gratis: Omnis delator, reus eſt, ſi falſa obtrudit; ſi vera, tuetur ſe exceptione veritatis, bonique *Iniuria.*

communis. Delatores fingis Cyriacos in Leſſium: ſi vera detulere, inculpandi: ſi falſa, Calumniam debueras euincere, nec in Patres Purpuratos Cenſuræ latores reiicere ſubreptionis aut iniuſtitiæ inuidiam. Vtinam nunquam cauſæ Leſſij talis patronus occurriſſet, qui quem tuetur, prodit. Imò (vt Tuam comparationem in Te ipſum detorqueam) ſicut Panthera ferociſſimum animal, implacabili Cyriacorum odio æſtuans, cum in perſonas effundere iram prohibeatur, oblatam eorum imaginem, puta doctrinam Thomiſticam de Prædeterminationibus (quæ eſt imago & proles Familiæ Cyriacæ) lacerat; antitypa Diaboli, qui quod in Deum furere nequeat, Prædefinitiones eius æternas, vocat adamantinas, ferreas, ineluctabiles, inexpedibiles; & veluti Libertatis humanæ effractrices, rabiendo perſequitur, ac, ſi queat, diſcerpit.

Dum autem rabioſi Senis dentes non effugiunt Cyriacæ ac Thomiſticæ Prædeterminationes, mirabile dictu, iuſtaque vlciſcentis numinis pœna! ab ipſomet, quo diuexantur ore, fidem extorquent & patrocinium: euincoque

Palinodia. hoc Lemmate, earumdem aſſertorem Pſeudo-Petrum. Cum quis notatur ab Eccleſiâ ob exploſionem alicuius Doctrinæ, certiſſimum eſt doctrinam illam recipi & approbari ab Eccleſiâ: Non enim fulmine quatit aut cenſorio ſtylo notat eum, qui reſpuit Doctrinas adiaphoras, peregrinas & indifferentes: At ſecundum Te, graui Cenſurâ notatus eſt Leſſius quod Prædeterminationes Cyriacorum reiiceret: Ergò ſecundum Te, Prædeterminationes Cyriacorum quas reiiciebat, & ob quarum exploſionem, Cenſurâ notatus eſt, recipiuntur & approbantur ab Eccleſiâ. En Tibi non Prædeterminationes quas reſpuis, ceu ineluctabiles, ſed pro Prædeterminationibus inextricabile & inexpedibile argumentum, quo Te non expedies. Quale non eſt illud quod obiicis de imagine Leſſii lenibus typis expreſſâ. Non enim attingit vel leuiter Cyriacos, qui de eâ impetendâ nuſquam ſomniarunt; nec ipſi etiam Leſſio ex-

Calumnia. probrari debet, qui iam è viuis exceſſerat ſed attendenda generalis & antiqua S. Sedis prohibitio, quâ vetitum, ne cuiuſuis imago radiis, aut ſimilibus notis Apotheoſim denotantibus, decoretur, donec à Pontificibus fuerit relatus inter Diuos. In cæteris pueriliter, licèt octogenarius, garris, ſolaque in Te adoleuit impudentia; dicetque Tibi Au-

guſtinus quem nou amas, idem quod Iuliano Pelagiano, *Si Te impudentia deſerat, ipſo inſanie inſanior eris.* L. 5.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Imponit D. Soto dehoneſtaſſe Ferum.

IOannes Ferus Ord. Minorum, Scriptor & Concionator in Germania nobilis; à Dominico Soto Cyriaco, tanquam multiplici ſcabie turpis, eſt dehoneſtatus. Sed eum Michael Medina Ordinis Minorum, accuratè purgauit; demonſtrans qua in eo morboſa videbantur, potuiſſe non incommodè ab errore liberari; nec fuiſſe cur viro optimo & gnauo diuini pabuli, Chironomo; dedecus à quo aberat, per Cyriacos affricaretur. §. 139.

RESPONSIO.

TErnario numero gaudet mendacitas Tua; nec vno aut altero contentus figmento, largâ manu triplex ſimul infibulas. Notatum quereris & turpi ſcabie dehoneſtatum à Dominico Soto Ioannem Fetum; ſed à Michaele Medina accuratè purgatum, potuiſſeque non incommodè ab omni errore ſcripta eius liberari. Triplici huic mendacio, triplicem opponimus veritatem omnibus peruiam. Quo iure notatus eſt Ioannes Ferus à Dominico Soto, qui nec Epiſcopus, nec Inquiſitor, nec Cenſor fuit, quorum eſt notare libros? à quo ergò? A Summo Pontifice, & ſub eo à Purpuratis Patribus ad Cenſuram librorum deputatis, & habes in Indice Romano. Non purgauit eum Medina, manet enim adhuc prohibitus: Nec ita facile potuit ab errore liberari, alias Cenſores Romani, qui notarunt, benignè verba Authoris interpretantes, abſtinuiſſent à Cenſurâ, non enim damnant niſi inuiti. Triplex itaque hæc calumnia contumelioſè obiecta Soto, hoc ſolo nomine, quod Cyriacus eſt, reflexo ictu in caput Tuum relabitur, experieriſque æquum vindicem quem non recuſabis, Poſſeuinum in Apparatu V. Ioannes Ferus, Cenſuram eius fideliter retexentem. *Ioannis Feri Franciſcani Germani, opera om-* Mendacium. 3.

nia in Romano Indice prohibita ſunt. Excipiũtur tamen eiuſdem Feri Annotationes & Commentaria, in S. Matthæi & S. Ioannis Euangelia, ac in eiuſdem S. Ioannis Epiſtolam primam Romæ recognita & impreſſa. Reperies hunc Indicem ad calcem Concilij Tridentini. Caue itaque Nebulo, ne Lectores ſic deludas, nullo labore, Impoſturæ conuincendus. Non confixit Ferum Sotus, ſed iure confixum oſtendit.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Pro Molinæ defenſione appetit Bannem & alios Cyriacos.

§. 140: *Ludouicus Molina, Theologus in paucis excellens, apud F. Dominicum Bannem & reliquos Cyriacos, grauiter offendit, quod nihil moratus Cyriacas Traditiones ſeniorum, de Auxiliis ineluctabiliter mouentibus, (quæ quomodo cùm vertibilitate humanæ voluntatis conciliari poſſint arduum eſt intelligere;) viam excogitaſſet & expeditam & ſolidam, efficacitatis Auxiliorum cum iuribus Libertatis concordandæ, illuſtratâ & ad illud negotium adhibitâ diuinâ ſcientiâ futurorum ſub conditione; cuius ſcientiæ interuentu, & diuinæ prouidentiæ erga Electos infallibilitas ac certitudo; & humanæ libertatis diuinis auxiliis tactæ exſolutio percommodè aperitur.* Itaque *Bannes impar congreſſus Achilli, pro domeſticarum Traditionum conſeruatione Molinam adorſus, & tanquam primum conſtanter eatenùs retentæ Doctrinæ eradicatorem, incuſans, egit omnibus ſtudiis vt damnaretur. Similiter & omnes trans Pyreneos & Alpes, Cyriaci fecerunt; & omnibus artibus ac dolis anniſi ſunt, vt ſcripta Molinæ (aliquâ ſaltem ex parte,) notarentur; ſed ſemper fruſtrà. Vt enim rectè dixit Syluester Maurolycus l. 5. Oceani Religionum,* Ludouici Molinæ eruditus de Auxiliis partus, poſitus in fornace examinis Pontificii, & ſæpius igne probatus, deprehenſum eſt aurum omnibus numeris purgatiſſimum. *Iactata quidem ſunt Bullæ Clementis VIII. & Pauli V. in Molinæ doctrinam ex quibuſdam Franciſci Pennæ Schediis; ſed recens decretum Romanæ Inquiſitionis, approbante Pontifice nuper vulgatum, declarauit nihil vnquam à Pontificibus contra Molinæ doctrinam eſſe conſtitutum, & Bullas quæ prodiiſſe iactabantur, partus fuiſſe malignitatis æmulorum. Quod verò*

Molinæ aſſertio de repudiabilitate Gratiæ efficacis inſimulata ab eiſdem Æmulis fuerat, Semipelagianæ hæreſeos, deinceps non iactabitur. Nam Innocentius X. ex Sedis Apoſtolicæ ſpecula notauit Hæreſeos dicere Semipelagianorum errorem in ea Gratiæ efficacis repudiabilitate ſitum fuiſſe: cùm potiùs aſſertio eluctabilitatis Auxiliorum efficacium, ſit dogma Catholicum, traditum in Concilio Tridentino Seſſ. 6. Can. 4. quod Concilium, nemo niſi inſanus, dixerit approbaſſe Semipelagianam doctrinam. Et quamuis excogitatis voluntariè ſenſibus compoſitis, tentata ſit eluſio illius Canonis, à Cyriacis; aquè ac F. Nolanus, per ſenſus ſubuentaneos in ſuo cerebro natos, tentauit illudere Innocentio X. tamen Canon Concilij adeò clarus eſt ac planus, vt fruſtrà captentur ad eum declinandum offucia & ſalebræ. Quod item ſecurus dico de Innocentii decreto, vt benè agnouit Mater Academiarum, damnans ſenſus chimæricos affictos Conſtitutioni Innocentij Quare vt in Molina ſiſtam, deinceps præcluditur perfugium miſerorum, ſolatium ſibi quærentium à iactatâ clancularià Molinæ per Pontifices damnatione. Hoc audiant Ianſeniani & Cyriaci eorum collactanei, F. Nolanus, F. Reginaldus, & dux gregis ipſe caper, F. Ioannes Baptiſta de Marinis, *qui & ſuos Lutetiæ ad ſtandum pro Ianſenio fortibus literis impulit; & Romæ aggreſſus, Pontificem à damnando Ianſenio auertere, capitilauium ex Palatino Lixiuio retulit, nihilque præterea. Omnes ipſos tangit ea depulſio probri, Ludouico Molinæ hactenùs impacti, quia communis eorum crocitatus hucuſque fuit, Molinam eſſe Semipelagianum, quia Efficacis Gratiæ repudiabilitatem admittit.*

RESPONSIO.

ADeuntis penitiores Labyrinthi receſſus, fallit oculos, obruitque memoriam, interſecantium ſe itinerum implexa varietas. Nam & implicatæ in ſeſe cameræ, & multiplici aditu aperta cubilia, auferunt delicatum viarum diſcrimen, erranti per inanes mæandros & implexos amfractus, quibus innumeræ ingrediendi viæ patent, nullus exitus. Quam vanus ſimulque ridiculus labor ille Tuus Petre, quo pro Molina ſtruens indigeſtam rerum peregrinarum confarcinationem, veluti Labyrinthi vagam exerrationem, multiplici intromiſſus aditu, nullam inuenis

exeundi viam; immittiſque Te cæca petigine, hinc in Cyriacorum paternas Traditiones, & ineluctabilia auxilia; illinc in Scientiam Mediam: mox quaſi à deuiante ſemitâ redux, in Encomia Molinæ prorumpis: ſtatimque hoc dimiſſo tramite, diuerticulum quæris, Franciſci *Penna* lacerationi imminens. Nec mora, aliam ingrederis viam, Tuique Molinæ oblitus, repudiabilitatis Gratiæ premis veſtigia. Hinc inſilis in Nolanum, mox irruis in Ianſenianos, nuſquam Tibi conſtans, incurſurus inde in Reginaldum; hincque reflexo itinere irrumpens in R. P. Ioannem Baptiſtam de Marinis: totque exerrans ac diſtractus ſemitis, nullo ordine ſe interſecantibus, non exis pede libero è Tot ſinuoſis Labyrinthi receſſibus; ſed vbique ſaltitans extra chorum, qui de Molinâ & pro Molinâ dicturus acceſſeras, recedis intacto ferè Molinâ, de quo pauciſſima dicis, nihilque probas. Patere itaque vt fauente Ariadnes filo, facilem Tibi è Labyrintho intra quem Te incautè implicuiſti, exitum oſtendamus.

Intricatio.

Tria occurrunt hoc Paragrapho exagitanda capita. Num Cyriaci Molinam impetierint, quâ mente & quo euentu. Ne dicas in Molinam inſiliiſſe Cyriacos. Veriùs dixeris, Molinæ fregiſſe & retudiſſe aſſultus, pro Traditionibus Patrum contra nouum dogma, intrepidè depugnantes. Nec in hoc agone Theologico exceſſere limites iuſtæ defenſionis, quæ venerandam antiquitatem nouitiolæ indagini ſapienter præponit; vt optimè declarat Vincentius Lirinenſis Commonitorij cap. 27. in hæc Pauli ad Timotheum verba. *Depoſitum cuſtodi. Quid eſt depoſitum? Id eſt, quod Tibi creditum eſt, non quod à Te inuentum: quod accepiſti, non quod excogitaſti: rem non ingenij, ſed doctrinæ; non vſurpationis priuatæ, ſed publicæ Traditionis: rem ad Te perductam, non à Te prolatam: in qua non Author eſſe debes, ſed cuſtos: non Inſtitutor, ſed ſectator: non ducens, ſed ſequens. Eadem quæ didiciſti doce, vt cùm dicas nouè, non dicas noua.* Pro hac itaque venerandâ antiquitate ac paternarum Traditionum tuitione, vmbonem oppoſuere Cyriaci, telis nouitatis imperuium. Quâ autem mente, quoue acti ſpiritu, mox diſcutiendum: Et hæc ſumma quæſtionis ſeu quiritationis à Te intentatæ, qui veſano liuore ac ferocienti cacozeliâ in Molinam abreptos confingis Cyriacos: illi tamen vnicum veritatis amorem ac zelum ſacræ Pa-

Mendaceum.

trum Traditionis obtendunt. Quem igitur huius Controuerſiæ ſtatuemus Iudicem? Dabo Ieſuitam. Baezam ſummo iure hâc in parte decernentem.

Ille tom. 3. probans Euangelij Miniſtros aptiores eſſe, quos nulla proprij lucri tenet ſollicitudo, ſed ſolus amor veritatis & zelus gloriæ Dej; ait. *Laudo in hoc maxime ſacrum Ordinem Societatis Ieſu, cuius indignus ſum filius. Is pro Fide ab incunabulis ſtetit, & quia pro Fide ſtetit, nullam aduerſariam Fidëi doctrinam non notauit, non confutauit, non ſcriptis Libris confecit... Laudo etiam ſacrum Prædicatorum Ordinem, qui pro Fide ſtans, vbi Ludouici Molinæ Societatis Ieſu ſplendidiſſimi Theologi concordiam de libero Arbitrio ſuſpectam habuit, rem ad Fidej Iudicem Pontificem detulit, & vel ſuſpecta commata aſteriſco notans, coram tanto Iudice alacriter pro Fide pugnauit.* Vides ergò ex teſte Tibi nullatenus ſuſpecto, quâ mente cum Molina congreſſi ſunt Cyriaci, nempe pro Religione, pro Veritate, pro Fide. De euentu autem meum non eſt definire, cum defenſiua tantum arma arripuerim; nullatenus, offenſiua. Varia eſt de ſucceſſu, partium exiſtimatio. Præfatus Baeza priuatæ ac propriæ cauſæ adſtipulatur; alij ſecùs ſentiunt. Cætera quæ nugaciter effutis, ſingulatim exploſa ſunt ſuperiùs, refuſumque in Te *Capitilauium quod ex Palatino Lixiuio retuliſti*, in infami Columnâ proſtans cum furciferis ac patibulariis. Nec ſolitum miſerorum cruci addictorum perfugium, crocitatus ac eiulatus frequens, repudiabilitatem ſpurciſſimi Tui Tenebrionis potuit impedire, aut impactum Tibi probrum depellere. *L. 15. c. 2. § 7*

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Bellarminum vt tueatur, Grauinam ridiculè impetit.

§. 141.

Robertus Bellarminus viuum ſapientia ac virtutis ſimulachrum, abſens in Gallia Legati Pontificij Henrici Caetani aſſecla, per Cyriacos inſimulatus eſt erroris ob negatam temporalem Pontificis poteſtatem directam ſuper orbem vniuerſum; & idcirco eius tomus 1. relatus eſt in Indicem librorum vetitæ Lectionis, vt narrat in eius vitâ Iacobus Fu-

ligatius. Quamquam mox defuncto Sixto V. cui Cyriaci impoſuerant, ſacrum Collegium latum aduerſus Bellarmini Lucubrationem decretum abrogauit; & dehoneſtatio hominis erga Eccleſiam beneficentiſſimi, in caput criminatorum retorta eſt. Eidem Bellarmino F. Dominicus Grauina, negotium faceſcere adorſus, eoquod in Opere de Gemitu Columbæ ſcripſiſſet fontem vnum lachrymarum, eſſe aliquorum Religioſorum Cœtuum laxatam diſciplinam, eò rem deduxit, vt parùm abfuerit, quin vir tanta in Eccleſiâ Dei eminentiæ, tot que eximiis pro Fide Catholicâ *Lucubrationibus illuſtriſſimus; agente vno* Fraterculo, *ipſomet Roma in Purpurâ pridem fulgente annis ac meritis graui, in Columnâ infami cum impiis, hæreticis, obſcœnis, atheis Scriptoribus proſtaret. Sed Deus Innocentiæ tutor ac vindex, ſuſcitauit ſpiritum* Franciſci *Sforciæ, Cardinalis* Capiferrei, *qui de tantâ indignitate queſtus, nec* Lenia *illi* Fraterculo *comminatus, ſi libri adeò innoxij proſcriptio euinceretur, effecit vt abſiſterent timore pœnæ, quos non refrænabat reuerentia iuſtitiæ. Et ſane* Ludouicus *Bloſius, qui ſe* Dacrianum *dixit, ſiue lachrymantem ob ſalutem ſuæ Religionis infatuatum libello integro; & in Præfatione ad Sacellum animæ conteſtatus eſt, hanc eſſe dignam ſanguineis lachrymis materiam; eodem iure quo Bellarminus (id eſt nullo) fuiſſet dehoneſtandus: vt etiam Trithemius pro libro Penthico & Ioannes à Boſco pro Threnis ſui Benedictini Cœtus, variis locis conuulſi.*

RESPONSIO.

DVo ex imperitâ loquacitate Tuâ elici poſſunt, quibus totius capitis ſumma concluditur. Inſimulatum erroris Bellarminum à Cyriacis ob negatam Pontifici ſupra vniuerſum Orbem poteſtatem temporalem directam; ideoque relatum in Indicem vetitæ lectionis: itemque Grauinam ei negotium faceſciuiſſe, ob librum de Gemitu Columbæ. (Primum, eſt celebre mendacium: ſecundum iam ſuperiùs eſt ſolutum § 63 Aduertet autem Lector, quanta Te mentis vertigo inuoluat, vt auſus fueris inducere Sixtum V. à Cyriacis implanatum; decretumque ſolemne ſummi Pontificis, Cardinalium ſuffragio fuiſſe abrogatum; ſi enim par in parem non habet poteſtatem ex communi Iuris proloquio, habebit inferior in Superio-

Mendacium.

Barditas 3.

rem, Cardinales in Papam? Poteratnè imponi à Cyriacis Pontifici, circa tom. 1. Bellarmini qui typis vulgatus erat, cuius nec ipſi Examjnatores, nec Cenſores, nec Iudices aut Latores cenſuræ extiterunt? Si in Cenſurâ librorum ſubreptio contingeret aut implanatio, tota refunderetur in Examinatores & Cenſores. Alterum quod hîc commiſeratione dignum occurrit, Barditas eſt illa ſupina, qua dicis Patrem Purpuratum, Eminentiſſimum Cardinalem, purpurâ, ætate, doctrinâ ac meritis toto orbe ſpectatiſſimum, agente vno Fraterculo (vt loqueris) vix potuiſſe ſubducere ſe à Columnâ infami, in quâ cum impiis, hæreticis, obſcænis, atheis Scriptoribus proſtaret. Si Fraterculus vnus adeò ipſum vexauit, quid ſi primarij, totuſque (vt fingis initio) Cyriacorum Cœtus in eum irruiſſet? Certè, ſi vera nequis dicere, dic ſaltem veriſimilia; ne tantum Fratris Grauinæ Cyriaci ſupra Bellarminum Cardinalem, improuidâ auxeſi attollas potentiam. Cæterùm ſi Grauinam Bellarminus non terruit, terruerit Sfortia; cum in vtroque ſimilis Purpura, par eminentia, parque attonans Dignitas? Si enim iſte *Capiferreus*, ferrum intentat; ille *Bellarminus*, bella minatur & arma mouet. Sanè *digna eſt ſanguineis Lachrymis* hæc Tua ſcriptitatio, debeſque Te *Dacrianum* dicere, ſiue *Lachrymantem*, ob ſalem Tuæ Vallis in Te infatuatum integro hoc Libello famoſo: quod Trithemius ſi reſurgeret, Ioanneſque à ſacro Boſco cum ſuo cœtu Benedictino, vltrò faterentur.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Vt Suarem defendat, vellicat Combefiſium & alios.

Franciſcus Suares, Theologiæ iubar eximium, quo clariùs micabat, vehementiùs Cyriacorum inuidia flagrauit. Aggreſſi ſunt aliquando eius Tomum ſecundum in tertiam partem, vbi admittit, (ſaltem vt probabile,) Beatam Virginem ſuppeditaſſe omnem concurſum & actiuum & paſſiuum, quem vera mater ad fœtus generationem ſubminiſtrat. Hoc iuxta Cyriacos in Suareſio reprobum, diſſimularunt in Caietano 3. *p.* 31. *art.* 2. *& nuper idem diſertè docuit Paulinus Zacchia, Medicus Romanus egregiè doctus. Fœliciùs ceſſit Cy-* §. 142.

riacis, tricatio circa Abſolutionem moribundi, qui Sacerdotem ad confitendum expetiit, & doloris peccatorum ſigna externa dedit; ſed Sacerdote ſeriùs adueniente amittit ſenſuum vſum, ante iudicij abſolutionem. Hunc (vt ſupra attigi) S. Leo, & Concil. IV. Carthaginenſe, decernunt abſoluendum eſſe à Sacerdote, vbi aduenerit, & ſtatum agri ab idoneis teſtibus didicerit. Fratres Pontificem ferè impegerant in foueam, vt contrariam Soti & Cani abſurditatem, authoritate Sedis Apoſtolicæ firmarent. Sed Deus qui Eccleſiæ ſuæ ſemper adeſt, prouidit vt Pontificium decretum verbis conciperetur, quibus ſenſus legitimus ſubeſſet, cum perpetuâ Eccleſiæ praxi probè cohærens. Quem ſenſum Pontificij decreti, Suares per ea tempora tomum quartum in 3. partem quo de pœnitentia diſputatur, prælo ſubijciens, egregiè aperuit; dignus ob id ſtudium ciuicâ Coronâ. At Cyriaci, magnos apud Clementem tunc ſuperſtitem conſciuere rumores aduerſus Suareſium; quod auſus eſſet Pontificis decreto alium ſubijcere ſenſum, quam erroneum illum quem ipſi ſubjecerant, fulcienda ſuorum exerrationi; quam poſtmodum Paulus V. Clementi ſuffectus, ab Eccleſiâ exulare voluit, edito & ex Cathedrâ probato, Rituali Romano, quo doctrina Suareſij iuxta antiquum Eccleſiæ morem eſt comprobata. Vt mirum ſit, poſt Paulum V. non modo Petrum Fay atque Coquetium Cyriacos, doctrinæ illius impugnationi inſtitiſſe; ſed etiam quemdam cauſam ſocietatis Ieſu agentem, admiſiſſe eam Suareſij doctrinam, à Societate Ieſu reijci, nec poſſe admitti: Cùm tamen certum ſit aliud dici non poſſe, quam quod Suares dixit. Eſto (quòd F. Ludouicus Caſpenſis è Capucinorum familiâ benè notauit;) Paulus V. ſaluam voluerit totam Suareſij doctrinam, eraſa duntaxat Clementis mentione, vt periculum labendi, in quod Clementem inducere Fratres tentarant, poſteros lateret; tametſi prouidente Deo, & ſuum Vicarium infallibili aſſiſtentia dirigente, verbis quibus Clemens decretum concepit, ſenſus idoneus ſubſtratus eſt, quem Suares aperuit; à Fratrum *quidem intento alienum, veritati tamen & S. Leonis ac veterum Conciliorum ſenſui exquiſitè conformem. Sategiſſe* Fratres *liquet, vt per Clementem, antiqua decreta ad ſtabilienda domeſtica placita conuellerentur. Hoc premi voluit Paulus V. & è Suareſij libro expungi, incolumi eius vniuerſa doctrina; quod in Clementis potiùs ac Fratrum dehoneſtamentum ceſſit, vt per ſe liquet. Eidem Suareſio,* F. Franciſcus *Combeſis in-*

ſultat, tanquam oſcitanter, aut etiam mendaciter dixeris, iuxta D. Thomam & omnes Theologos, veritatem coniugij B. Mariæ cum Ioſepho, ad fidem pertinere: At hoc non ſatis inconſultò, (vt alia pleraque,) à Combefiſio factum, affirmare licet, cum Theologi omnes (ipſo affirmante Combefiſio) agnoſcant ita è Scripturis liquidò haberi. Vbi ergò pudendum (vt garrit Combefiſius) Suareſij μορμολυκεῖον? Num quòd liquidò ex Scripturis habetur, dici nequit eſſe de Fide?

RESPONSIO.

MEntiri, tricari, nugari, trifrons effrontis Nebulonis ſpecimen. A Mendacio fœliciter ordiris, dum quereris Cyriacos diſſimulare in Caietano, quod in Suare improbant; putà B. Virginem ſicut & cæteras matres, concurriſſe paſſiuè & actiuè ad generationem Chriſti. Exponit in eâ quæſtione 31. (non quidem articulo 2. vt Tu aſſuetus falſationibus, perperàm notaſti) ſed art. 5. & ſequitur Caietanus D. Thomam, qui in corpore articuli expreſsè docet fœminas miniſtrare materiam, mares autem actiuè agere in generatione prolis. Doctor & interpres idem concinunt, nec alius à Te, eo impudentiæ prorupiſſet, vt quod familiari manu teritur, enormi Impoſturâ corrumperet. Vtriuſque verba ſubjicio. *Habet hoc naturalis conditio, quod in generatione animalis, fœmina materiam miniſtret; ex parte autem maris, ſit principium actiuum in generatione.* Sic D. Thomas. Caietanus ibi: *Principium actiuum naturaliter ad virum ſpectat, mater materiam miniſtrat* Quantum ad caput de Confeſſione, ſeu Abſolutione moribundi; tricaris itidem mentiens, pluſque conaris inflare ſcriptum quam probare Theſim. Conſentiunt enim Cyriaci, eum de quo per idoneos teſtes conſtat petiiſſe Confeſſarium, ſignaque doloris edidiſſe, licèt vocem & nutus amiſerit, dum præſens ſit Sacerdos, poſſe & debere abſolui. Nec ſub his conditionibus vſquam Suari aduerſatos reperies. Debueras Authores & loca ſignare, & Te conuictum mendacij, Lector exſufflaret. Tu interìm attende quid dicas; dum Pontificem in foueam prope actum à Cyriacis blateras, & in periculum labendi inductum, Vicarium Chriſti, quem ſtatim infallibili aſſiſtentiâ dirigi profiteris. Infallibili aſſiſtentiâ ductus, inductus

Impoſturæ.

Tricatio.

eſt in periculum cadendi? Verſatur in diſcrimine labendi in foueam, qui cadere non poteſt? Siccinè ludis de Pontificiâ maieſtate & infallibilitate? Ita ad nutum ac placitum Cyriacorum volui & contorqueri ſupremam Sedem clamitas, vt hâc propudiosâ mutatione abutentes Cyriaci, tentarint ad ſtabilienda domeſtica placita, antiqua decreta Eccleſiæ, per ipſummet Clementem conuellere?

Irreligio. Nec dum ſatis; donec ad vltimum irreligionis & impietatis deuolutus barathrum, aſſeras, dum à Paulo V. è Suareſij libro aliquid expunctum eſt, incolumi (vt ais) eius vniuersâ doctrinâ, id in Clementis potiùs ac Fratrum Cyriacorum dehoneſtamentum ceſſiſſe, hocque ita luculentum, vt per ſe liqueat. Crede mihi, Religioſiùs potuiſſet pro Suareſio perorari; nec ipſe, vt potè obſeruantiæ erga Sedem Petri tenax, irreligioſum hunc tuendi honoris ſui modum calculo ſuo obſignaret. Quantùm ad tertium Caput, vbi Combefiſium vellicas, audi ipſum Apologiam ſuam breui proluſione texentem, in Alphabeto Bibliothecæ Patrum, V. Chryſoſtomus [Licet quiduis ludo fingere & comminiſci Fratri Theophilo Raynaudo, videat quæſo quàm ipſe virum (Chryſoſtomum) obſeruet, ac num adunco naſo ſuſpendat, qui illius, ac penè omnium Patrum, Sponſæ Mariæ, ſeu deſponſatæ, necdum conjugis cum Spiritu Sancto obumbrante concepit, etſi iam in Ioſephi domum traducta, illique credita erat, antiquo Hebræorum more, quem ille grauiſſimè probat, opinionem hæreſis infamet, cum Suareſio; mordeatque, quod Fidei leuiùs ac temerè Cenſorem Arbitrumque, non ex more maiorum, ac antiqua traditione Patrum maximè monumentis ad nos tranſmiſſâ, confixerim.]

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Pro Maſcarenha debiliſſimè pugnat.

§. 143. *Ferdinandus Maſcarenhas, vir natalibus, ſapientia, & ſupremi in Luſitania Quæſitoris munere clariſſimus, à Fratribus tanquam reus Majeſtatis Cyriacæ, traductus eſt; ob notatam Cabezudi petulcitatem, & rejectas adamantinas Prædeterminationes Banneſianas. Itaque non creta, ſed car-*

bene notatus eſt, eiuſque aurea de Auxiliis diſputationes, vnicum poſt naufragium eruditiſſimarum in 1. 2. Lucubrationum, tanti ingenij ſpecimen, vbi potentia Fratrum viguit, ſuppreſſum eſt; non tamen cis Alpes & trans Pyrenaos, vbi Rana Cyriacorum non coaxant.

RESPONSIO.

NOn fles ampliùs, nec eiulas, ſed rides & inſolitâ lætitiâ geſtis, quia oculos exſiccauit, Tecum deſæuiens in Prædeterminationes Maſcarenhas. Vt concepta interiùs iubilatio latiori ſe alueo effundat, qui veritatem horres, fabellâ, eâque Æſopicâ, Tibi non incongruè aptandâ, delectaberis, ſoluto in riſum tripudio. Porcellus mortem parentum ingenti clamore deflebat; ſed cùm, lectis Teſtamenti tabulis, magnum glandis aceruum, multoſque farinæ modios ſibi relictos cognouiſſet, obticuit. Rogatus cur non ampliùs fleret, nec eiularet; Farina, inquit, & glandes os mihi occluſerunt. Benè aduerto Petre, quid Tibi lachrymas deterſerit, oſque eiulans occluſerit. Glandis aceruum, multoſque farinæ modios Tibi ſuppeditant aureæ de Auxiliis diſputationes: ſed caue Tibi, *Mors in olla*, vaſa glandibus & farinâ oppleta, non cretâ, ſed carbone notata, ſiniſtrum quid ominantur. Riſui & ſtrophis habenas laxat fautor opinionis & liuoris in Cyriacos; ſed non attendis quæ melius coaxent Ranæ, Romanæ an Luſitanæ. Collidis incaute matrem cum Filiâ, Romam cum Vlyſippone, immemor eius quod alias retuliſti §. 33. ex Aug. *A ſede Apoſtolicâ reſcripta venerunt, cauſa finita eſt.* Adde illud quoque ſuum. *Cælum* Romanum *tonat, taceant Ranæ* Luſitanæ. Sed Tu Hæreticorum more, aureum dicis, quidquid Sedes Petri, non cretâ ſed carbone notauit; nec Alpes putas aut Pyrenæos monteſtranſire decreta Romanorum Pontificum. Sic coaxant Ranæ in Lacu Lemanico; ſic blaſphemant rei Majeſtatis Pontificiæ.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Conatur probare Diſquiſitiones Magicas delrij malè impetitas à Maluendâ.

§. 144. *Martinus Delrio, author fuit Diſquiſitionum Magicarum, operis omnigenâ Literaturâ refertiſſimi quod Ioan. Iordanus Lib. de probâ Stigmaticâ cap. 2. & Petrus Oſtreman lib. de Stigmaſtiſmo effusè laudant; Dæmones verò in Sagarum conuenticulis (eodem Iordano referente) proſcindunt. Huic Authori honoris causâ periculum creare ſtuduit F. Thomas Maluenda, in Additione ad pag. 319. Editionis primæ operis de Antichriſto; ſuggerens, delrium magica impugnare quidem, at referre tamen, atque adeò docere, proindeque opus illud ſupprimendum eſſe. Sed Delrius in depulſione Apologeticâ poſterioribus pleriſque Editionibus præfixâ, conteſtatus eſt, ſe abſque noxa retuliſſè, quæcumque magica retulit, iis truncatis quæ eſſe poſſent pro veneno.* Itaque *repulſo Maluendâ, Delrius manſit intactus; & vt in ſimili dixit. S. Hieronymus epiſtola 8.* Liber manſit, homines præterierunt. I*mò ipſa Maluenda calumnioſa ſuggeſtio, è poſtremâ Editione, cultro ſodalium de ea erubeſcentium, reſecta eſt, incolumi integro perſeuerante Delrij opere; aduerſus quod eodem artificioſo prætextu acturum ſe putabat F. Maluenda, quo inconſulti quidam Hoplothecam Bellarminianam appetiuere dicentes adduci quidem à Bellarmino argumenta Hæreticorum vt refellantur; ſed tamen adduci, & improuidos poſſe eorum* L*ectione irretiri. Quâ ſecuri æquè exſcinderentur ſcriptiones S. Aug. contra Fauſtum, Creſconium Petilianum, ac Iulianum; Itemque ſcripsio S. Cyrilli contra Apoſtatam; quia omnibus his ſcriptionibus lucubratio hæretica vel pagana inſeritur, ſubiectâ confutatione.*

RESPONSIO.

PRoni ſunt ad malum ſenſus hominis ab adoleſcentiâ ſuâ & quouis irretiri lenocinio, prorumpunt in peius, ſi nullo vel debili præpediantur retinaculo. Curioſum animal homo: nouitate periculoſâ acuitur natiua prurigo; &

auium

auium more, facilè capitur, ruinosâ, ſed ſpecioſâ ineſcatus dulcedine, rerum variarum incautus Lector. Mors enim aſcendit per feneſtras; adulterium diſcitur dum videtur, teſte Cypriano, hauſtumque oculis venenum, recto tramite inuadit præcordia, & niſi præſens & potens adhibeatur remedium, iugulum incauto & imperito Lectori præcidit improuidus & imprudens Scriptor. Huic periculo prouidens ex Chriſtianâ charitate pius Maluenda, optaſſet vel à nullo attingi, aut potenti confutatione elui Magicarum narrationum inſidioſas Proluſiones; quæ dum ſpurcitias, blaſphemias, ſaltationes meretricias, incantationes diabolicas, totiuſque laſciuiæ fœdos apparatus prælo exarante oculis ſubijciunt; fœdiſſimas ingenerant cogitationes, motus nefandos ſuſcitant, ſtimulantque innatam laſciuiendi pruriginem, ſimilia tentandi iniectâ cupidine, niſi venenoſis hiſce animorum eduliis præſens pharmacum ſtatim adiungatur, quod omiſſum luget Maluenda; Paulo ſubſcribens dicenti, *Noli cibo Tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt.* Vt quid ergo Magicas Illuſiones & abominanda Sagarum conuenticula calamo refugiente depingam? Nec ego de proximis tam malè mereri volo, vt illis ſternam iter ad immane præcipitium, & notabilem multorum funere voraginem. Pauci enim Lectores hanc periculoſæ curioſitatis viam ſunt ingreſſi, quin ex alterutro incantati montis vertice caderent in euidens pietatis excidium, aut ſacrilegam obiectæ incantationis imitationem; niſi (quod rarò fit) efficaciſſima vis inſtantis remedij, totam euacuet aconiti virulentiam; vti fecere Auguſtinus, Cyrillus & alij Patres, qui propoſita Hæreticorum argumenta, ingenti ſolutionum ac rationum mole confutantes, ipſi errorum tumulo ſuperſtruxere veritatis trophæa; quod à Delrio factitatum optaſſet Maluenda. Cæterùm quæ Bellarminum hac in parte vrgent quorumdam querulæ voces, à me nullatenus attingentur, quia non detorquetur in Cyriacos querela. Verùm quid alios defendis Petre, oblitus Tui? *Medice cura Te-ipſum*, & attende quomodo amicus Tuus intraneus & alter *Tu*, cuius vis ſponſor audiri, Theophilus Raynaudus, in hanc ſe foueam præcipitem dederit: Libro enim Erotematum partit. 3 conqueſtus de librorum Cenſoribus, ait. [Sed vt appareat quantopere progredi poſſit, ni coërceatur hæc libro-

Rom. 14.

Erot. 3. n. 515. & ſeq.

rum à Catholicis Scriptoribus editorum in vanos ſenſus diſtractio, vt à ſanâ doctrinâ alieni & damnabiles appareant; placet non omittere Paradigma huiuſmodi ineptarum Cenſurarum, in quo condendo ingenium his ipſis diebus exercuit vir eruditiſſimus & Catholiciſſimus.] Quod autem Paradigma illud? Subiungitur ibidem, Symboli Apoſtolorum ad prauos, hæreticos & impios ſenſus detorſio, per ſingulos eius Articulos. Primum ſubjicio, vt de cæteris par conſtet iudicium.

[*Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ.* Primus iſte articulus, ſi intelligatur, quaſi ſolus Pater ſit Deus, & omnipotens & creator; Filius autem & Spiritus Sanctus ſolùm creaturæ ſint: propoſitio eſt impia, blaſphema, indiuiduæ Trinitatis deſtructiua, & pridem in ſacro Oecumenico Concilio 318. Epiſcoporum aduerſus Arij impietatem damnata; quatenùs autem ſoli Patri creationem attribuit, noua eſt, temeraria, erronea, contra communem Eccleſiæ, Patrum, ac Theologorum omnium ſenſum prolata, cum hactenus receptum ſit tanquam inuiolabile decretum; omnes Trinitatis actiones ad extra, eſſe indiuiſibiliter toti Trinitati communes.] Hæc Cenſura licet animo Catholico prolata, ex eo tamen capite valdè periculoſa eſt, quod Fideles in Symbolo Apoſtolorum tanquam in primâ & celebriori teſſerâ, ſimpliciter conquieſcentes, puro hauſtu, firmâque adhæſione delibant veritates Catholicas ibi propoſitas: At dum varij, implicati ac erronei præfati ſenſus illis Propoſitionibus ſubſternuntur, nec adiungitur ſtatim clara & ſimplex Fidei formula, nutant animi Fidelium, titubat & hinc inde flectitur in varios diſtracta ſenſus, indiuiſa veritas; manetque infidelis aut dubius, qui antea erat firmus in Fide: guſtat venenum appoſitum, ſi non bibit docilitas Religioſa; nec adeſt Theriaca quæ expellat. Hoc igitur ſcribendi genere conuellitur primum Fidei Catholicæ fundamentum, dum à Theophilo Raynaudo proponitur quot modis poſſit abripi in prauas interpretationes, induciturque earum Author, vir Eruditiſſimus ac Catholiciſſimus, nec vllum adhibetur quietando intellectui ſubſidium. Authoris nomen indicat Alphonſus Vargas Toletanus cap. 18. debueratque Theophilus iniecto veneno Pharmacum annectere, quod cùm non præſtiterit, foueam ac voraginem Simplicibus ſuffodit.

Quæ igitur imprudentia Tua, ne dicam, temeritas, Petre, ferreo ac acuminato enſi, vitreum, aut veriùs, nullum opponere vmbonem, purùmque venenum nullo dilutum Pharmaco, Lectori epotandum propinare? Vtinam conſuluiſſes Maluendam.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Pro ſe ſub Marchini nomine perorat.

PHilibertus Marchinus, ſcripſit Opus luculentum, cui Titulum fecit, Bellum Diuinum, *in quo omnes quæſtiones quæ circa peſtem agitari poſſunt, & quicquid ad praxes* §. 145. *curationis, illius diuinæ in homines plagæ, adhibendas pertinet, excutitur valdè accuratè & ſolidè. Idem ſcripſit de Sacramento Ordinis, pleniùs quàm vllus ante ipſum. Verùm Cyriacos irritauit Marchinus, quia voluit approbare doctrinam Theophili Raynaudi (de quo poſteà,) de Martyrio eorum, qui ex charitate inſeruiunt Ægris, & in eo miniſterio mortem obeunt; quam doctrinam Cyriaci propter Raynaudum, qui eam (vt ipſi volunt) inuexit, exoſam eum ipſo habent. Non potuit Marchinus vllis per Cyriacos admotis machinis ab eo ſenſu diuelli. Itaque primus liber ille* de Bello diuino, *curantibus Cyriacis proſcriptus eſt, & carbone notatus; cùm tamen omnium Doctorum iudicio, ſit liber bonus, & in ſuo genere optimus, gratâ doctrinæ varietate paſcens Lectorem, & in tempore neceſſitatis peropportunus. Sed hanc neceſſitatem non multum attendunt Cyriaci; nec volunt librum ſibi eſſe vſui in illo tempore. Nam proximè ſuperioribus annis, graſſante in tot Prouinciis peſtilentiâ, multi paſſim auditi ſunt FF. Minores; Capucini præſertim ac Recollecti, in eo pio officio defuncti; multi item Ieſuitæ & aliquorum aliorum Ordinum: Cyriacorum vix vlli. Itaque non eſt mirum ſi librum tempore peſtis neceſſarium nanis Dei adminiſtris, non curarunt retineri. Deinde ad cumulum vindictæ, librum quoque Marchini* de Ordine, *voluerunt proſcribi; tantùm quia Author ſecutus eſt vnam ſententiam circa Extremam Vnctionem, cuius praxis approbatur in publico Rituali Archiepiſcopatus Merchlinienſis; & in Rituali Epiſcopatûs Ruremundenſis, ac in Geneuenſi per hominem Dei Franciſcum de Sales, concinnato; & à dua-*

bus Belgij Vniuerſitatibus, Louanienſi ac Duacenſi, admittitur vt legitima. Sed illæ Academiæ quamuis referta viris Doctiſſimis, neſciuerunt Cyriacos eam ſententiam in Marchino reprobaturos, propter quadrigas Aminadab. *Iacobus Marchantius in Candelabro Myſtico, Tract. 5. lect. 3. refert Nuncium Apoſtolicum ſcripto publico idem approbaſſe. Et ipſe cum Heſſelio & Molano, eidem aſſertioni ſubſcribit. Et autem nemo obſtrepit, quia non intereſt Cyriacorum.*

RESPONSIO.

SCriptor plexus, plexus & approbator: Theophilus Raynaudus quod malè ſcripſerit; Marchinus quod malè approbarit, inuoluitque eadem pœna, quos eadem labes infecerat. Hoc tamen initium dolorum eſt, non finis. Ediderat, inquis, Marchinus librum *de Bello diuino*, ſanè bonum & omnium Doctorum iudicio optimum; & tamen vrgentibus Cyriacis carbone notatus eſt. A quo? A Cardinalibus & Cenſoribus, librorum Indici præpoſitis, quorum nullus debet eſſe doctus, nec Doctor, cum ſecundum Te, Doctorum omnium iudicio ſit optimus. Delegati itaque omnes à Pontifice ac Cenſores Librorum, ſunt ignorantiæ profeſſores, notantes carbone Opus, quod Doctorum omnium calculo comprobatur; ſitque iuxta verbum Tuum, Sedes veritatis, Cathedra peſtilentiæ, quâ iubente, remedium peſtis, & veritas ipſa ab imperitis exploditur. Verùm manus manum fricat, & vtraque repetitâ fricatione ſe inficit, non emundat. Approbat Marchinus Librum Theophili *de Martyrio per peſtem*, notatum poſtea à Pontifice: approbat & laudat librum Marchini *de Bello diuino*, pariter notatum à Pontifice, Theophilus Raynaudus, ſuntque pariter ambo colligati vnâ catenâ tenebrarum ac confixionum. Eia perge pede quo cœpiſti! Librum hunc, inquis, tempore peſtis peropportunum non attenderunt Cyriaci, qui graſſante in Prouinciis peſtilentiâ, dum alii Religioſi omnes, charitatis operibus publicè incumberent, ſoli à proximi ſubleuamine abſtinebant, timentes ſibi. Petre quære alium Tui dicti ac figmenti approbatorem. Putas incluſam Lugdùni muris totam Religioſorum charitatem peſtis tempore? Interroga vocem publicam, & dicet Tibi, quot Cyriaci in Galliâ Ægris

Impudentia.

Calumnia.

inſeruientes, obierint. Dabit Auenio Tibi nota, Petrum Baſtidam & Ioannem Geruaſium. Obiit Claromonti in Occitaniâ Ioannes Ruffus; Burdigalæ Michael Boneau. Prætereo eos qui Carcaſſonæ, apud S. Maximinum, Maſſiliæ in eodem charitatis miniſterio occubuere, & in aliis locis tibi conterminis.

Benè aduertis de Libro Marchini non curare Cyriacos, qui ad curationem *illius diuina in homines plaga*, vt ais; neglectis humanis ſubſidiis, diuina poſtulant; contenti vnico libro charitatis, è quo Pater S. Dominicus ſe omnia depromere dictitabat, proximorum ſaluti allaborans. Qui reſpicit retrò, non eſt me dignus, aiebat Saluator; quique vigente peſtis æſtu, proximi ſeruitio mancipatus, Tot ſe vallat humanis auxiliis, de fugâ cogitat, nec lubens vitam exponit quam adeò ſollicitè curat. Denique myſterium proponis nec explicas. Voluerunt, inquis, Cyriaci proſcribi; non proſcripſerunt, nec obtinuerunt proſcribi. Sed voluere proſcribi alium eiuſdem Marchini *de Ordine* Librum. Euge, Euge, corda hominum intueris, hominum oculatiſſime, & voluntati Cyriacorum illaberis quaſi Deus? Superior itaque es Pontificibus & Eccleſiæ, quæ non iudicat niſi de exterioribus; interiora non ſcrutatur nec percellit. Sed cur voluere illum librum proſcribi? Reſpondes; Quia Author ſecutus eſt vnam ſententiam cuius praxis approbatur in pluribus Diœceſibus & à duplici Vniuerſitate. At quæ illa ſententia? An quod Æger debeat vngi oleo ſacro? An quod Vnctio debeat fieri in ſede ſenſuum? Nihil dicis; vis Lectorem diuinare? Vbi mens Tua, vbi iudicium dum hæc ſcriberes? Verùm aſſigna rationem, cur eam innominatam ſententiam reprobarent in Marchino Cyriaci? Reſpondes: *Propter quadrigas Aminadab.* Tali momo, tali mimo, digna ſcurrilitas! Diſpeream niſi ad vltimum ſtultitiæ gradum prolapſus ſis. Dicam & aperiam ego Tibi myſterium, Tua premens veſtigia. Improbanda eſt incognita illa ſententia, propter *quadrigas Aminadab.* Denique Tu ſummopere deſipis; ratio euidens, *propter quadrigas Aminadab.* Itaque non eſt opus Candelabro Myſtico Marchantii ad elucidandam Tuam barditatem, quæ claret omninò, omnibus patet, ſubſcribuntque ſuffragio publico Heſſelius & Molanus.

Deliratio.

Scurrilitas.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Pro Nouarino agit, non ratione, ſed eiulatu.

§. 146. *Aloyſius Nouarinus, Clericus Regularis, à Fratribus appetitus eſt pro vno verbulo, cui optimus ſenſus ſubiici poterat. Sed F. Baptiſta Marinus incentor rumoris, ad omnia obſurduit. Itaque vir bonus & Eccleſiaſticæ Bibliothecæ gnauus locupletator, cum impiis & ſceleratis Scriptoribus reputatus eſt, nec ad eum aliquid turbini marino ſubducendum valuere, tam multæ ſcriptiones ab eo emiſſæ Catholicè ſemper ac piè. Nimirùm qui in* vmbra *ſua* Virginea, *Conceptionem Deiparæ immaculatam; & à peccato originis ac etiam à peccati debito immunem aſtruxerat ſtudioſiſſimè, non poterat aliud à Fratribus expectare, quàm eam reactionem, quæ ſola ad manum eſt Fratribus Cyriacis, cum aliqua ex parte vrgentur. Quia enim non valent Argumentis in ſe intortis obſiſtere, & legitimè reſpondere, in illudmet, vel in aliquod aliud infeſti Authoris Opus, vertunt iras, & proſcriptionem Operis, Authori pro recruciatione reponunt. At Tu, optime Nouarine, (nam quaſi viuentem alloquor,) Matri Sanctiſſimæ in Conceptione faueras, feriùs itaque aut ocyùs, ſentire debuiſti auerſos ictus Cyriacorum, quales* Ioabi *in Amaſan. Quare occino Tibi illud Poëticum.*

Sus dederat pœnas; exemplo territus huius,
Palmite debueras abſtinuiſſe, Caper.

RESPONSIO.

NOn iraſcuntur nec inſultant Cyriaci, ſed indolent ſorti Aloyſij Nouarini, optaſſentque vt prudentiùs ſcripſiſſet; ac obſeruantior Decretorum Pontificum, intra præſcriptos obedientiæ limites continuiſſet calamum, exemplo (ſi potuiſſet prænoſcere) edoctus Tuo & pœnâ, qui toties ob inconditam garrulitatem, Pontificium expertus es fulmen. Quare occino illi, ſed ad Te reſpiciens, illud Poëticum:

Sus dederat pœnas; exemplo territus huius,
Palmite debueras abſtinuiſſe, Caper.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Sydereum dum defendit, offendit.

Vincentio Carrafæ, idem meritò occinuerim, quem ſub per- §. 147.
ſona Ludouici Syderei *latentem, propugnata ſtrenuè Conceptio immaculata,* F. *Baptiſta Marini furori obiecit, propter nugas Obiectionum, verè nugas, ſed malignitatis refertas atque veneni. Nempe manebat altâ mente repoſtum, fœdus Vincentij, cum Ioanne de Napoli initum, pro tuenda Conceptione immaculata, contra clancularias piæ ſententiæ ſuffoſſiones, per illum crine rubrum. Qui etiam dolorem ſuum de damnato Ianſenio, & aliis Prædeterminationis receſſis, lenire voluit, ea apicis Ieſuitarum (vt ille vocabat) deiectione. Sed quas dixi nugas, viri optimi criminationi prætextas? Audiant Cenſores Marino lenocinati, & erubeſcant. Audiant quos has malignitas non attigit, & de ea ſuccenſeant. Nugas ergò dixi, damnare Ludouicum Sydereum, quia dixit B. Virginem in templo cibatam eſſe cæleſti nectare per Angelos. 2. Quia Gratiam Deiparæ, iam à primo vitæ eius momento, dixit fuiſſe ſuperiorem gratiâ purarum quarumuis creaturarum. 3. Quia citauit S. Bernardinum Virgini tribuentem nomen Deæ. Non dicam, O Cenſorum ſupinitas! O cauillationes argutatorum! Sed dicam; O cæca malitia Cyriacorum, talia vocantium in inuidiam in viro optimo, quæ alibi innoxia habent neque ſugillant, imò adſcriptione ſuâ firmant!*

Igitur quod primum culpatur, ridiculè in hoc tantum Scriptore culpatur. An enim adeò ignorantes ſunt Romani Cyriaci, & quos ſubornant Cenſores, vt neſciant, eam aſſertionem eſſe grauiſſimorum Patrum & Scriptorum recentiorum plurimorum, queis nemo idcircò obſtrepuit? Ita ſanè S. Germanus Orat. de Virg. Præſent. Andreas Cretens. Orat. de Dormit. Deiparæ; Georgius Nicom. Orat. de Oblat. Virg. (ad quam Orationem Combefiſius Dominicanus ait omnes alios conſentire.) Cedrenus in Compendio Hiſtor. Iſidorus Theſſalon. Orat. de Præſent. S. Bonauentura in Meditationibus vitæ Chriſti, cap 3. Ex nuperis, idem habent Ioannes Maria Zamorus lib. 3. de eminentiſſima Deipara Perfect. cap. 6. à n. 5. Caſtro in

Hiſtor. Deiparæ cap. 3. Lancilotus in Viticula Mariana Pampino 6. Nouatus de eminentia B. Mariæ Virginis, tom. 1. cap. 9. Coluenerius in Calendario B. Virginis ad 21. Nouemb. num. 9. Benzonius in Pſalm. 86. cap. 22. & cap. 40. Tradit. 9. Caniſius lib. 1. de Deipara c. 13. Hyppolitus Maraccius ad Orat. 1. & 2. S. Germani de Præſent. Georgius Schrotelius ad eum titulum Litaniarum, Ianua cœli. Morales l. 1. in Matthæum Tract. 19. n. 20. Et videtur annuere Suares tom. 2. 3. p. d. 7. Initio piè credi poſſe ait Vaſques 3. p. d. 120. n. 126. Si damnandus propterea fuit Ludouicus Sydereus, quia hoc dixit; æquè damnandi erant omnes iſti. Vel ergò F. Caput cucurbitæ, eiuſque incentor F. Ioannes Baptiſta de Marinis, authores damnationis Syderei, ſciebant tot & tantos viros eadem dixiſſe vel neſciebant. Si neſciebant, valdè ignorantes ſunt. Si ſciebant, quâ fronte potuerunt illud damnare in hoc vno, quod in tot aliis diſſimulant?

Quod ſecundò culpabatur, purum reuera eſt, & traditum ab omninò multis, qui ita acceperunt illud Pſal. 86. ad Deiparam aptatum; Fundamenta eius in montibus ſanctis. Sic Benzonius Epiſcopus Lauretanus in Opere Romæ cuſo & approbato, exponens illum Pſalmum; Iacobus Marchantius lib. 2. Horti Paſtorum, Tract. 4. lect. 3. Spinellus in Opere de Throno Dei cap. 4. à n. 3. adducens alios. Nec non Suares tom. 2. 3. p. diſp. 4. ſect. 1. & ferè recentiores. Et quamuis nemo id explicatè dixiſſet, quis tamen niſi hoſtis Conceptionis immaculatæ, poteſt inficiari eam aſſertionem eſſe piam atque probabilem, cum abyſſus gratiæ & immenſitas, quam Patres & DD. abſque temporis limitatione atquè adeò ab initio, agnoſcunt in Deiparâ (nominatimque Damaſcenus Orat. 2. de Aſſumpt. & Orat. 1. de Natiuit. Anſelmus de excellentiâ B. V. cap. 8. Epiphanius Orat. de Deiparâ, Bonauentura in Speculo Virginis, Lectione 5) eam aſſertionem ſatis inſinuent? Denique quiſquis hoc decus B. V. reprobare volet, monſtret hoc decus excedere dignitatem Matris Dei. At hoc nunquam monſtrabit: Igitur damnatio vana fuit atquè malignè curata.

Culpabatur 3. quod Sydereus allegaſſet S. Bernardinum, dantem Deiparæ nomen Deæ: At ſi is qui allegauit in eam rem S. Bernardinum, noxius eſt, multo magis noxius fuerit ipſe S. Bernardinus; qui proinde damnari primo loco debuit. Deinde Romæ, approbante P. Vincentio Candido M. S. P.

cuſus eſt eodem tempore, P. Hyppolits Mvracci, ex Congregatione Matris Dei, Commentarius ad Orationes Iſidori Theſſalonicenſis, in quo circa eam quæ eſt de Præſentat. B.V. n. 8. per decem integras paginas refellitur Theophilus Raynaudus, quia in Nomenclatore Mariano, dixerat B. Virginem non eſſe vocandam Deam; *& pro appellatione* Deæ *tributa B. V. alleguntur à Commentatore illo Albertus Magnus, & S. Antoninus, ac Nicolaus Richardius, omnes Ordinis Prædicat. Prætereaque Nazianzenus (veriùs Appollinaris) in Tragædia*, Chriſtus patiens. *S. Bonauentura, S. Bernardinus*, Ioannes *Mauburnus, Ludouicus Bloſius, Petrus Caniſius*, Ioannes *Carthagena*, Ioannes *Baptiſta Nouatus, & præter alios multos*, I*uſtinus Michouienſis, qui non obiter, ſed plenè id confirmat. Nemini iſtorum mota eſt lis ob hanc cauſam.* In *ſolo Ludouico Sydereo, hoc fuit damnandum. An quia Generalis fuit Ordinis, in quem liuet gens Cyriaca? An quia Sydereus, fœdus iniit pro Conceptione immaculat., cum* Ioanne *de Neapoli? Explicet ſe F. Caput cucurbita, & eius in Sydereum ſtatuarius F. Baptiſta de Marinis.*

RESPONSIO.

OFfendit dum laudat, qui contumeliâ exorditur Elogium, dehoneſtatque obiectum Encomij, ſpurcâ ſimilitudine. Latentem ſub Ludouici Syderei perſonâ, R. P. Vincentium Carrafam Societatis Ieſu Præpoſitum Generalem, quem religioſâ obſeruantiâ colere debuerat Pſeudo-Petrus, Capro comparat, illi occinens illudmet poëticum quod præcedẽti Paragrapho cecinerat Nauarino, *Palmite debueras abſtinuiſſe, caper.* Nec maiori reuerentiâ exceperat alium eiuſdem Societatis ſupremum parentem R. P. Vitelleſcum, quem ludicrâ nominis alluſione, vitellum indigitauit, vitellinæ mollitudinis inſimulans §. 94. Verùm inter has tricantis Nebulonis fraudulentas laudationes, triplicem excitari Patrum ac Doctorum cateruam in Cyriacos, ceu eiuſdem Ludouici Syderei aut R.P. Carrafæ depreciatores, mirabitur ſanè quicumque attenderit, criminationes huiuſmodi nullatenus Cyriacos attingere; ſed Cenſores, Cardinales Cenſorum ſequentes veſtigia, ipſumque Pontificem Cardinalium ſententiam calculo ſuo approbantem. Cauſa itaque Cenſorum

Patrum Purpuratorum, ac præcipuè Pontificum agitur, poſſumque pro Diis, ſubulâ armatus in arenam deſcendens, reddere Tibi quæ à Te accepimus §. 33. ex Auguſtino; *A Sede Apoſtolica reſcripta venerunt, cauſa finita eſt*; iubetque pluribus abſtinere, conceptus erga tantam Societatem Reuerentiæ & obſequij tenor.

Ad Te redeo, audax Nebulo, & vt conficta fuiſſe à Te, tria illa præfatæ Cenſuræ capita, luculenter euincam, Te ipſum adduco meæ Propoſitionis aſſertorem, hoc Lemmate in formam Syllogiſticam redacto; cuius ambæ præmiſſæ, Tuæ ſunt; iuſtaque conſecutio manifeſtè oſtendit ignotas Tibi rationes Cenſuræ, quas Tu tamen ſingulatim & apertè deſignas, fulciſque numeroſâ Authorum adſcriptione; vt qui ratione nihil probas, ingenti citationum mole poſſis obtundere Lectorem, & Adiaphoris inflare opus exile. Falsò & temerariè aſſignantur cauſæ damnationis alicuius libri, quando quid damnetur in eo, incognitum manet, arcanum & ſupra Eleuſina myſteria premitur: At incognitum manet quid damnatum fuerit in libro Ludouici Syderej, ſeu R. P. Carrafæ Præpoſiti Societatis Ieſu, quia ſecundum Te, vt mox referam, non conſtat quid damnent Cenſores Romani in libris Ieſuitarum, quibus notam inurunt: Ergò falsò ac temerario auſu aſſignas cauſas notatæ Lucubrationis Ludouici Syderei, vt pote quas Te ignorare profiteris. Verba Tua exſcribo ex Diatriba 9. §. 156. vt hinc non iniucundum Tuæ impudentiæ ſpecimen prudens Lector decerpat. [Nulla, in-

Mendacium. quis, eſſet in hac parte difficultas, ſi conſtaret quid damnarent Cenſores in libris Ieſuitarum, quibus notam inurunt. Appareret enim non eſſe vt plurimum Authorum inſcitiam, cui Cenſura rependitur; ſed Cenſorum auerſum animum, vel non ſatis illuſtratum intellectum. Nunc autem quia in regno Fratrum, Cenſura librorum eſt negotium perambulans in tenebris, itaut damnetur quidem liber, ſed quid in eo improbetur, arcanum ſit, & ſupra Eleuſinia (congruentiùs, eleuſina) myſteria prematur; timentibus ſibi Cenſoribus à iuſtâ Cenſurâ, ac ſollicitè præcauentibus, ne impegiſſe damnando deprehendantur; non eſt ita facile, ignorantiæ notam amoliri ab eo, cuius liber proſcribitur, vt fieret Lutetiæ, Salmanticæ, & vbiuis alibi; vbi apertè exponitur quid in libro improbe-

tur: idque conſentaneè ad ius naturæ ac gentium, ne à Pilato quidem violatum, qui Chriſtum patibulo addicens, cauſam addicendi non tacuit, ſic ſcribens, *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum*,] Ex quâ perlongâ oratione duo colligo. 1. luculentiſſimè fateris in Cenſuris Romanis librorum, vbi Ludouici Syderei Lucubratio notata eſt, nullo modo conſtare quid in libro damnato notetur: Itaque cum cauſas adducis, quas vt profiteris, ignoras; finxiſti quod opponeres, & incompertâ veritate, conuerſus es ad fabellas in Capite cucurbitæ, ſeu in capitello Tuo cuſas. Voluiſti etiam oſtendere & vniuerſo orbi intonare, Lutetiæ & Salmanticæ, ſeu in Galliâ & Hiſpaniâ, obſeruari ius naturæ & gentium in Tribunali Eccleſiaſtico, cùm decernuntur librorum confixiones: Romæ autem & in ſupremâ Eccleſiæ arce, iniquitatem ſedere in throno Iuſtitiæ; quinimmò, & ipſum Pilatum Præſidem Romanum, ſed infidedem & Deicidam, ſe æquiorem præſtitiſſe Clero & Romano Pontifice. Proh Impium, ipſâ impietate tetriorem. Sane reportabis ſuo loco, dignum exorbitanti impudentiâ *capitulaurum*. *Impietas.*

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Contra Caëtanum inſurgit pro Ioanne Rho, quintupliciter mendax.

IOannes Rho, Chriſtiana facundia & omnigena literatura vbertate laudatiſſimus, Societatem Ieſu Matrem ſuam, & parentem Ignatium, à Conſtantini Caëtani ſemiueſani Scriptoris, & ab ipſo ſuo Ordine eo in Opere, decreto publico exauterati; necnon à Caſtaldi morſibus duplici lucubratione vindicarat. F. Ioannes Baptiſta de Marinis, qui tunc marinus erat, & rotam Congregationis Indicis agebat, quia erat in ære Auguſtini de Bellis, bipedum omnium artificioſiſſimi, vt Ioannes Rho de Caſtaldo impugnato pœnas daret, Opus contra Caſtaldum dimiſit intactum; Opus autem eiuſdem Rho, contra Caëtanum curauit damnandum, vt ſaltem eo indirecto modo Caſtaldus dolorem ſuum leniret, aduerſario dehoneſtato. Micat ſanè hac in re artificium Fratrum. Nam li- §. 148.

ber Ioannis Rho contra Caetanum, & ſimul cum libro Caetani per Ioannem impugnato, ſuppreſſus eſt, agente Marino per Bellum ſtimulato. Quamquam vt Caetani famæ vtcumque conſuli videretur, actum cum eo eſt proinde atque cum Morone. Programma enim damnationis, præferebat Caetanum illud Opus non agnoſcere ſuum; quod tamen ipſe tunc ſuperſtes conſtanter aſſerebat. Ioannes verò Rho, qui directè impetebatur in Caſtaldi & Belli gratiam, non eſt eâ laruatâ galeâ munitus. De Opere autem Ioannis *Rho contra Caſtaldum, altum ſilentium fuit. (En hic Mariniana & Belliana artis inſignem ſtropham:) Quia ſi liber* Ioannis *Rho aduerſus Caſtaldum fuiſſet proſcriptus, cum non alia prætexi poſſet damnandi cauſa, quam boni pacis, & retinendæ charitatis, oportuiſſet & Caſtaldi &* Ioannis *Rho libros cadere atque proſcribi, ſicque Caſtaldus non abiiſſet indemnis, nec Rho ſolus excepiſſet recruciationem, vt ferebant Marini ac Belli pacta conuenta. Quare plectendo aliqua ratione* Ioanni *Rho, ſine Caſtaldi dehoneſtatione, larua charitatis inter Rho & Caetanum retinendæ prætenta eſt; de Caſtaldi autem &* Ioannis *Rho conflictu, quaſi nihil ab eo incõmodaretur charitati, altum ſilentium fuit; iuxta veteratorias Marini & Belli agitationes.* Nihil occultum quod non reueletur, neque abſconditum quod non ſciatur.

RESPONSIO.

QVod vnicâ hâc periodo expedire debueras; (Intactum reliquit Marinus librum Ioannis Rho in Caſtaldum ſcriptum, ne pariter cum eo proſcriberetur Caſtaldi Opus: damnauit autem alium eiuſdem Rho librum aduerſus Caëtanum editum, vt hâc proſcriptione aliquas daret pœnas Ioannes Rho Caſtaldo) importunâ & intricatâ loquacitate diſtendis per duas fermè paginas libelli famoſi, vt magis videaris Lectorem obtundere quam docere, verboſe & impudorate Senex, tot infibulans mendacia, quot verba.

Mendacium 5. Falſum 1. Cyriacos proſcripſiſſe librum Ioannis Rho, cui Cenſuram iuſſere congregati Cardinales, ex præuio examine & præiacto Cenſorum iudicio, ac ſubſecuta Pontificis approbatione.

Falſum 2. Marinum (qui Tibi ſemper Marinus erit, quia Rabioſis infeſti Marini vortices, egitque meritò rotam Indicis, dum infami columnæ configendæ fuerunt variæ Scriptitationes Tuæ, furciferis & hæreticis collaterales.)

librum Ioannis Rho dimiſiſſe intactum, vt de Caſtaldo impugnato daret pœnas: Non enim Authot alicuius libri famoſi dat pœnas infamato, niſi dum famoſum & infamans Opus ipſummet Columnæ infami affixum proſtat, aut vltricibus addicitur flammis, carnificum manu: quâ duplici viâ, de Tuo Tenebrione in Cyriacos compacto, Romæ cum patibulariis confixo, biſque in Galliâ combuſto, meritas dediſti Cyriacis pœnas; nec proinde ſatisfactum Caſtaldo, niſi editum in Caſtaldum Opus, pari incendio conflagraret aut penderet affixum patibulo. Quid enim ad reparationem debitam Caſtaldo, proſcriptio libelli aduerſus Caëtanum? Diſparata hæc ſunt, nec communi vinculo conſtringuntur. Certè deliras.

Falſum 3. actum cum Caëtano, tanquam cum ſemiueſano, aut Morione, quem ſcripta publica ab ipſo elaborata & Encomiaſtæ celeberrimi Abbatem doctiſſimum, grauiſſimum ac ſingulari pietate pollentem denuntiant, vt §.116. luculenter euicimus. Hoc tamen veriſſimum, Te ex nimiâ Apoſtoli Tui Eraſini lectione, reuolutaque ſæpius Lucubratione dictâ *Moria, Morionem* effectum.

Falſum 4. Caëtanum tanquam proprium Opus agnouiſſe, quod in Programmate damnationis pendebat ſimul cum libro Ioannis Rho, vt potè intruſionibus illegitimis & ſpuriis oppletum: nec qui grauem & ſolidum emiſerat fœtum, futilibus & ridiculis infartum Opus aliud ab aduerſariis, debuit agnoſcere velut ſuum. Doles autem quod libellus Rho, priuilegium non obtinuerit Hieronymi, cui iure adſcribitur *Prologus Galeatus*: Optarem & ego, Tuis vtor verbis, vt ſaltem eo indirecto modo, dolorem Tuum leniret galeâ, vel laruatâ munitus Tu Rho.

Falſum 5. ſi liber Ioannis Rho aduerſus Caſtaldum fuiſſet proſcriptus, non aliam prætexi poſſe cauſam, quam boni pacis & retinẽdæ charitatis; poterant enim obtendi aculeata dicteria & morſus cruenti, quibus abſtinuerat Caſtaldus: Imò potuit proſcribi nullâ prætensâ causâ damnationis, cum ſecundum Te, Romani Cenſores & Iudices Iudici præpoſiti non indicẽt quid in libro notato damnetur. Non exigitur itaque prætextus, vbi nec cauſa inquiritur: ſicque non debuit timere *recruciationem* Caſtaldus, abiiſſetque indemnis, Ioanne Rho iam notato. Debueras Tu, Petre, qui charitatem primam iam pridem abieciſti, retinere

ſaltem *laruam Charitatis* Chriſtianæ ; nec adeò profanè ac irreligiosè , R. P. Marinum Ordinis Prædicatorij Generalem Præpoſitum , & Caëtanum Abbatem Benedictinum , ambos ſapientiâ , pietate , ac dignitate colendos proſcindere , quaſi ſub laruâ latens , impunè debaccheris. Nouimus Te , & veteratorias perditæ animulæ Tuæ agitationes; *nihil enim occultum quod non reueletur, neque abſconditum quod non ſciatur.* Sed eges miraculo , vt reſurgat deſperata ſalus , cui adipiſcendæ , propitium Tibi optamus Numen.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Pro Nerembergio ludit.

§. 149. *IOannes Euſebius Nerembergius, vir eſt doctiſſimus & ingenij amœniſſimi , ac copioſâ literariâ fœturâ prænobilis. Itaque non potuit vngues Harpiyarum effugere pro ſorte omnium qui extra Ordinem Cyriacorum micant in literis. Inter multa & inſignia volumina, quæ eximius hic Author emiſit , numeratur Opus Hiſpanicum* de vita Ignatij de Loyola. *In eo Opere , narratur inſigne Miraculum patratum in Sacerdote , qui Manreſæ , dum viueret , ſenſui Cyriacorum de maculatâ Deiparæ Conceptione inhæſerat. Vitâ vero functus , cum in Templo per tempus Sacrorum Mortualium iaceret in feretro , ſubito exſurrexit , affirmans iuſſum ſe eſſe ad vitam regredi , vt falſam ſuam ſententiam de maculatâ Deiparæ Conceptione retractaret. Id quod fecit ſignificantiſſimè , & magno in illud myſterium affectu : a narratio , quo tempore S. Ignatius Manreſam appulit , viuebat in omnium memoriâ , & in parietibus Templi Manreſani picta proſtabat , hodieque proſtat. Et quamuis Fratres Cyriaci , omni curâ in obliterationem illius Picturæ incubuerunt ; tamen profecerunt hilum , quia Inquiſitio Barchinonenſis, ſemel atque iterùm re accuratè diſcuſſâ, ſtetit pro miraculi & narrationis veritate. Quod hæc in eo quem dixi , Euſebij libro referrentur , incurrit in odium Fratrum, apud quos nihil multum remanebit; ſiue Ordo ipſe in ſuis ſententiis , ſiue quapiam Ordinis perſona violata videatur. Videntes ergò fruſtra à ſe quæſitam Miraculi obliterationem , librum Euſebij , aliunde quæſito colore , proſcribendum cura-*

ſunt ; præſtantes in Euſebij libro, quod in parietibus Manreſanis præſtare fruſtra tentarant. Sic obeuntur à Cyriacis munia publica ; ſic Iuſtitia & Eccleſia ſeruiunt.

RESPONSIO.

GAudeo planè quod inueneris virum ingenij amœniſſimi Euſebium Nerembergium, qui facetulis narrationibus temperet amarulentos animi Tui rancores ; dicamuſque Tibi quod ſerui Saul ad eum, 1. Regum 16. *Ecce ſpiritus Dei malus exagitat Te ; Iubeat Dominus noſter, & ſerui Tui qui coram Te ſunt, quærent hominem ſcientem pſallere Cytharâ, vt quando arripuerit Te ſpiritus Domini malus, pſallat manu ſua & leuius feras.* Vides quam bellè Tibi hæc Cytharedi ſolertia obtigerit. Fateor, oſtendit ſe doctiſſimum ac copioſâ literariâ fœturâ prænobilem Euſebius, hoc quidem vnico, ſed mirabili ſpecimine : quod vt patuit §. 125. Anagrammaticis proluſionibus ſuperet omnes, artemque ſupereminenter calleat (cui cæteræ omnes ſcientiæ diuinæ ſeu humanæ, inſeruntur & ſeruiunt) combinandi vario ordine apices, & mirabili hac literarum tranſlatione, de nihilo quiduis educendi. Veruntamen vt ex intercíſis queſtubus Tuis colligo ; omniſcius iſte ac peramænus literarum Anagrammaticus combinator, ignorauit modum euadendi vngues Harpyatum quæ periucundum fœtum abſtulere, librumque Nerembergij, Pia Hilaria ſolito more præcinentis proſcripſerunt. Hoc perfecere Cyriaci quæſito aliunde colore. At quis ille color ? Micat, inquis, in parietibus Manreſanis : cumque omni curâ in obliterationem illius Picturæ vano conatu incubuerint Cyriaci, à picturâ ad librum detorquentes fulmen, confixere Lucubrationem innocuam, quia ſibi, Ordiniſque doctrinæ minimè arridentem. At nunquid non Cenſores Romani (qui non ſunt Cyriaci) librum Euſebij notarunt? Procul dubio. Nunquid non congregatio Cardinalium Indici præfecta, Cenſuram protulit ? Nihil verius. Qua ergò fronte in Cyriacos refundis damnationem libri, quam conſtituti à Pontifice Iudices irrogarunt ? Crede mihi, vade Manreſam ; ibique inſtar alterius quem ſuſcitas, compone Te in feretro velut emortuum : Mortuus enim es, nec amplius viuis, bis crematus, toties con-

fixus; & ſubitò exurgens, affirma Te iuſſum ad vitam regredi, vt falſa omnia quæ in Tenebrione Tuo contra Cyriacos, Sanctos, Deiparam, Chriſtum ipſum, blaſphemo ore protuliſti, retractes. Cæterùm quodcumque Miraculum Eccleſia approbarit, prono vultu ac humillimâ animi deiectione ſuſcipiunt, ac venerantur Cyriaci; ad cætera obſurdeſcunt, falſa quæque repudiant, nec attendunt ad elaborata figmenta.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Pozam dum tuetur, miſerè traducit.

§. 150. *Baptiſtam Pozam, (velint nolint Cyriaci,) virum ingenio ac doctrinâ præcellentem, Fratres ſupra Lutherum & Caluinum, & ſi quod eſt aliud ominoſum nomen, infamarunt ac proſciderunt. Ad eius vel ſimplicem appellationem cohorreſcunt, nec aliter de eo quam de aliquo impietatis carcinomate, loquuntur; ſi quando adiguntur memores eſſe nominis eius per labia ſua. Sententias aiunt, ex eius incude prodiiſſe,* intolerabiles, erroneas, hæreticas, impias, ſacrilegis ſordibus, propè atheiſmis infames. I*pſe quidem Poza, triplici forti Apologiâ, doctrinam ſuam ſtabiliuit, monſtrauitque nihil abs ſe dictum, quod non dixiſſet ante ipſum Cyriacus quiſpiam; & ſignat cum fide, libros & capita. At Fratres velut aſpides ſurdæ, obturant & continent aures ſuas. Et Sodalibus quidem ſimilia prælocutis parcunt; nec ob eaſdem ſententias, negotium faceſſunt: Miſelli autem Archemori Elucidarium adeò altè infoſſum volunt, vt emergat nunquam, nec niſi per antiphraſim luceat. Quærenti tantarum irarum cauſas, illa monſtrata eſt primaria & valentiſſima; quod poſtremi Tractatus Elucidarij, toti ſint in detegendis ac publicè exhibendis, ſcriptorum D. Thomæ adulterationibus atque falſationibus per Cyriacos. Hoc eſt Pozæ peccatum, ſcriptum in vngue adamantino: peccatum in Spiritum Sanctum, quod à Fratribus non remittetur in hoc ſæculo, neſcio an in futuro. Vſque adeò flagrant in illum odiis, vt F. Nicolaus Rodulfius, in cuius ſenile caput, quæ iunior negotiatus erat, retorta diuinitùs ſunt, ne librum quidem Balthazaris Villelæ, de bona ad mortem comparatione, ferri voluerit; Tantum quia quâ pollebat odorâ vi, ſibi*

ſibi viſus eſt ex libelli eruditione, ac pietate deprehendere, eum ex Pozæ officina prodiiſſe. Itaque nomen Pozæ, Fratribus, per omnia ſæcula conſequentia erit abominationi, & ipſis vrgentibus apud vulgus computreſcet, quia dixit, Cyriacos falſaſſe, adulteraſſe, interpolaſſe libros S. Thomæ; præſertim quoad immaculatam Deiparæ Conceptionem, vocando quæ non erant, tanquam ea quæ erant. Sed Deus Iudex iuſtus omnia in tempore reteget, cum iuſtitias iudicabit; & quicquid latet apparebit.

RESPONSIO.

LVculentiſſimum lymphati iudicij paradigma exhibes, in ſcenam aduocando mentionem Pozæ, quem indemnem & illæſum non potes reducere è Theatro. Cogit me iuſtæ defenſionis lex ſuprema ac Religioſa, aperire Lectori impoſitam Cyriacis neceſſitatem depellendi impactas D. Thomæ & eius doctrinæ, ac conſequenter vniuerſo Ordini Prædicatorio, plagas ac dehoneſtamenta, in opere illo cui nomen *Elucidarium*. Sub ouinâ pelle, ſtragem edit lupinam libelli Auctor; obſequium ſimulat, dum parat excidium; & collectâ numeroſâ Propoſitionum ſegete ex ſcriptis D. Angelici, quibus veluti breuiculâ Epitome, tota ferè eius Doctrina concluditur; queritur ſtudioſus D. Thomæ (quis credat talem?) inſertas fuiſſe eius Operibus, eſſeque falſas, erroneas, damnatas ab Eccleſiâ aut à communi Doctorum conſenſu; nullam tamen à calamo aut à mente D. Thomæ profectam; ſed ſingulas ab Amanuenſibus & Typographis, errante aut fallente prælo intruſas. Subdit ſe nihil ſiniſtrum in Operibus tanti Doctoris genuinis agnoſcere, ſed aliunde aſcitos errores; ex quorum tamen aceruo conflетur & coaleſcat tota ferè eius doctrina: ſicque, inſidioſâ hâc arte, quæ obſeruantiam ſimulat, dum figit aculeum, denunciantur ex mente præfati Scriptoris, ſcabioſa fermè omnia Thomiſticæ doctrinæ placita, vndecumque virus exundarit; nec tutam ſalutem vbi affatim propinatur venenum. Hoc ſcripſit Poza Elucidarij lib. 4. tract. 5 Irreligioſum itaque viſum eſt ſilentium, vbi non tantum Angelici Præceptoris doctrina peſſundatur, ſordeſcit gloria, fama obſcuratur, ſed & ipſum Sedis Apoſtolicæ iudicium, aſſerentis S. Doctorem

ſine vllo prorſus errore conſcripſiſſe, tot à Poza euulgatis in eo erroribus, hæreticis exſibilandum, execrandumque relinquitur.

Peruenit interim ad Pontificis aures, inuſtum gratis S. Præceptori dedecus, tanto audaciori ac infœliciori conatu, quod vt Tumet Petre, proprio comprobaſti experimento, contrariis ex Elucidario Pozano propoſitionibus, quæ faciliorem cenſuræ videbantur offerre aditum; primo Cyriacorum flatu detumuit calumniarum inflata moles, inuentuſque eſt iuxta Innocentium VI. Pontificem, nuſquam à veritatis tramite deflexiſſe, qui D. Thomam tenuit. Conſociati ſunt in Aduerſario æſtus & aſtus, & in Sanctorum laudes ſe inſolito clangore effundit Elucidator, non vt veneretur quos eleuat, ſed vt agglomeratâ Encomiorum ſegete, velut pondere glorioſo ac cætera curuante, deprimat eminens decus D. Thomæ, quaſi ſtellulæ inter tot aſtra caligantis. Verùm ſibimet foueam parauit improuidus Trico. Sicut enim in primo mundi exordio, coadunati diuerſorum luminum ſplendores, ingens expreſſere luminoſum corpus, cui *Solis* nomen inditum, ſic nihil aliud eſt *doctrina Angelica*, quam coagulatus ac implexus Patrum omnium ſplendor, confertaque expreſſio; Ideòque tantum abeſt, vt ad cæterorum effulgens decus palleſcat Aquinas, quin hâc nouâ acceſſione augetur gloria eius, & accreſcit ex augmento & concurſu aliorum: Eſt tamen vtriſque iniurius Elucidarij Auctor.

Intereà dum coaxant ranæ, cælum tonat; detonat Vaticanum, duplicique fulmine confixum Elucidarium Romæ & in Hiſpaniâ, ob hæc & alia non condonanda; infoſſumque adeò altè, vt nunquam potuerit emergere, *nec* (vt verbo Tuo vtar) *niſi per antiphraſim lucere*. Peccauit enim in Spiritum S. vt Tu fateris, quia contra agnitam veritatem, erroris tentauit inſimulare doctrinam Angelicam. Cæterùm gratuletur ſibi Poza, eiuſque Exſcriptor Villela, *(nec enim Diſcipulus ſupra Magiſtrum)* nuſquam minùs diſpoſitus ad mortem, quam cum de bonâ ad mortem comparatione, virulento ac mordaci calamo ſcripſit; quod Cyriaci tot impetiti probris ac contumeliis, ex Religioſâ charitate velut aſpides ſurdæ obturauerint & continuerint aures ſuas, nec vngue adamantino notarint impactum ſibi dehoneſtamentum: alias miſelli Archemori; Diſcipulus

& Magiſter, Villela, & Poza Te non haberent collegam & calumniæ eiuſdem impactorem, veluti vermem de putredine enatum qui ſacratiora corrodit. Fertur enim quod fulgurata non verminant, duplici autem fulmine iacet confixus Poza. Verùm in Te mutatur ordo Rerum & propter Te.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Pro Theophilo ſuo inſoleſcit & fabellatur ridiculiſſimè.

§. 151.

Secundùm Baptiſtam Pozam, vix fuit in quem Cyriaci vehementiùs exarſerint, quam in Theophilum Raynaudum. Irarum cauſa ducta eſt ex Petro Paulo de Bellis Ordinis Prædicatorum Apoſtatâ. Is Geneuæ degens, rogatus eſt ſententiam de affinitate doctrinæ Bannis cum doctrinâ Caluini, quoad libertatem & efficacitatem gratiæ; vt quando in Caluini tunc caſtris merebat, prius autem Banneſii aſſecla fuerat, nitidè ac ſyncere renunciaret; eſſet ne inter Bannem & Caluinum quoad ea capita, doctrinæ germanitas: de quo inter Catholicum & Hæreticum lis Lugduni mota fuerat, eius arbitratu ex compromiſſo decidenda. Reſpondit Transfuga, belliſſimè Banneſio & Caluino in punctis propoſitis conuenire. Syngrapha adſcriptione eius firmata, ſupereſt apud doctum Theologum Auguſtinianum, qui Apoſtatam ſcripto repulit. Eius Lucubratio, Theophilo Raynaudo qui adfuerat concertantibus, attributa eſt, à quodam pileo tenùs Doctore Cyriaco, cui nomen Portier. *Is de re totâ, Nicolaum Rodulfium, Lutetiâ tunc redeuntem, cum Lugduno tranſiret, admonuit; Libellum obtulit, & ſuas de Autore eius Theophilo imaginationes obtruſit. Reſpondit Rodulfus, carò conſtituram Theophilo eam operam. Nec mora, vix Romam rediit Rodulfus, cum omnes Theophili libros ad eam diem vulgatos, per totidem Fratres hypercriticos excuti diligentiſſimè mandat. Sed poſt ſcrutationem in Lucernis; nihil repertum eſt cui inædificari vindicta poſſet.*

Verùm non ita multo poſt, apparuit Liber Theophili de Martyrio per peſtem, *in quem confeſtim Nicolai Richardij Monſtri feroces baubatus inſonuerunt adeò altè, vt ex ipſa*

Galliâ exaudirentur. Itaque Decretorium libri interdictum, prius quàm in publicum efferretur, potentibus interceſſionibus ſereniſſimorum Principum, & Cardinalis Ducis Richelai, per excellentiſſimum Ducem Crequium Oratorem Regium extra ordinem ad præſtandam Pontifici obedientiam ſubmiſſum, publicatione eſt retardatum; & ad fortia Oratoris Regij ac Sabaudiani, poſtulata, Vrbanus VIII. librum accuratè recognoſci præcepit; ad id adhibitis Eminentiſſimo Cardinali Oregio, & Reuerendiſſimo Franciſco à Potentia, nec-non Illuſtriſſimo Boccabella S. Officij Aſſeſſore. Ab his integerrimis & doctiſſimis cenſoribus liber recognitus eſt & vſquequaque labis purus pronunciatus; ita vt ſuo & Adiunctorum nomine, Eminentiſſimus Oregius confirmarit Pontifici, ex eo libro ne ſyllabam quidem tolli poſſe. *Superſunt Romæ qui id ex ipſius Cardinalis ore acceperunt. Succenſuit Pontifex prioribus Cenſoribus, quod librum innoxium vocaſſent in diſcrimen; & deinceps omnia pacata eſſe, nec vllam amplius mentionem ſtringendæ in eum librum cenſuræ fieri, mandauit; de quo teſtis omni exceptione maior teſtimonium locuples tulit. At F. Baptiſta Marinus, penes quem erat primum illud decretum, quod aiebam non fuiſſe euulgatum; ſiluit quidem ſecundum mandatum, dum ſuperſtites fuere, Vrbanus Pontifex, Cardinalis Oregius, à Potentia Antiſtes, & Boccabella Aſſeſſor. Iis verò ad Patres ſuos appoſitis, non deſtitit exſufflare carbones, donec flamma erumperet; vulpino aſtu proferens decretum antiquatum, tacitâ antiquatione & antiquationis ratione. Itaque poſt fluxum annorum 16. à primo turbine, recruduit tempeſtas, per ſubitam & prorſus inopinam euulgationem primi decreti; quod priùs publicè pependit, quam de eo quicquam audiretur. Reclamatum eſt apud eos quos F. Marinus implanauerat. Obiectum Vrbani mandatum; & teſtimonium de eo lato prolatum, ſed reſponſum datum eſt, eſſe apocryphum, & de quo minus conſtaret.*

Cum verò non ita multo-poſt, aduenïſſent literæ atteſtantes veritati, inde tranſmiſſæ, vnde mens indubia Vrbani, conſtare poterat; reſponſum eſt, eſſe literas priuatas, quæ non ſufficerent ad faciendam certam fidem. Nihil affingo. Illuſtriſſimus Holſtenius comperti ſsimam habet omnium quæ refero veritatem. Delata ad ſanctiſsimum Innocentium X. querela, dati ſunt Cenſores noui, ſed in quorum labiis gladius fuit; Ita vt cum Pontifex mandaſſet librum recognoſci, iuſsi ſint diuer-

ticula quærere, iubente eo qui honoris ſui intereſſe contendebat, rem iudicatam (etiam ſi per errorem ac obreptionem) ſtare inconcuſſam. Et dixit quidem, ſi res non eſſet facta, non fieret; quodoquidem verò facta eſt, & agitur honor Iudicum priorum, habeat Libri Autor patientiam. Quare extorqueri nunquam potuit, vt Cenſores ſenſum ſuum aperire ſinerentur, vno dempto, Reuerendiſſimo Hilarione Rancato; qui intrepide ſemper profeſſus eſt, in libro de Martyrio per peſtem, *nullam poſſe intorqueri Cenſuram, cum doctrina in eo contenta, eſſet ſaltem probabilis, atquè adeò extra aleam damnationis. Inſtaurato rurſus iudicio, Pontifex homini qui maxime Libro & Authori fauturus putabatur; (certè debuerat) rem totam commiſit. Sed is rationibus ac ſpebus conſultum volens, veritatem cognitam, & ſæpè priuatim comprobatam, in iniuſtitia detinuit, ne incurreret in eum qui ſua iudicia irretractata volebat; ſicque vno calculo candido, ſuæ ſubuectionis vlterioris executionem minueret. Res artificio Fratrum, ſic geſta eſt in vrbe. Sed vniuerſa Europa aliter viſum. Nam Theologi inſignes vltra ducentos ex Luſitaniâ, Hiſpaniâ, Galliâ, Belgio, Germaniâ, Poloniâ, Lituaniâ, Italiâ; Antiſtites item lectiſſimi non pauci & Academiæ celebres 12. adſtipulatione ſuâ firmauere veritatem; Nequicquam emotis eam ob rem feris fluctibus marinis deſpumantibus confuſiones ſuas; & detritum priorum Iudicum honorem cauſantibus. Sed vera ratio ducenda fuit ex Genio Mariniano, quem vir grauiſſimus eius benè gnarus, ſic Italicè exprimebat.* Fa ſempre Gli ſui paſtichi: puoi non vole, che ſe gli contradica.

A quo tempore libellus de Bannis & Calumni conſenſione, Theophilo Raynaudo à Cyriacis adſcriptus, lucem vidit, Fratres in eum tantis exarſere odiis, vt ſcriptiones eius nullibi in Italia nanciſci ſecurum portum potuerint. Suffecit ad prædamnationem nomen Theophili *fronte præferre. Nicolaus Richardius, monſtrum, ore triſauci, immani rictu quicquid Romam appellebat vaſtis molaribus manſum glutiebat; nec reuomebat vnquam; ſpecie probandi aliquid, nè fermenti libris inſperſum lateret. Omnia exemplaria harpagabat, nec vnquam poſteà comparebant, (quod nuperrimè renouauit Inquiſitor Bononienſis Cyriacus, cum Bononiam appulliſſent ſex exemplaria Opellæ Theophili* de non abroganda Religioſis Sacerdotibus Patrum appellatione. *Quia omnia clepſit Cyriacus, nec vnquam reddere voluit; quaſi Summus Pontifex*

det Adminiſtris ſuis, facultatem furandi.) Vigente eâ monſtroſâ harpagatione librorum, Bibliopolæ à Theophili Libris, eam ob rem auertebantur. Dixiſſes Aggrippam eſſe, furuæ Theurgiæ Propolam; aut ſi quod aliud horridius & abominabilius Erebi excrementum proferri poteſt. Ad omnem occurſum libri ab eo exarati (& ſunt planè multi;) illud inſonabat, Crucifigatur, crucifigatur. *Opponentibus autem,* Quid enim mali fecit? *reponebatur,* Reus eſt mortis: Si non eſſet hic malefactor, non tradidiſſemus eum. *Fruſtrà allegatum eſt, Scriptorem eſſe vniuerſâ Europâ clarum, & ab ipſo Summo Pontifice non vulgari elogio ornatum, qui benè cauſam Pontificum egiſſet, ſentes Theologicos amœnaſſet, pietatem cum eruditione nexuiſſet; fruſtra omnis huiuſmodi vmbo pro eo. In Sanctum Dominicum, cui manus ſunt prælongæ, (aiebat vnus eorum in conuiuio Diui Petri Martyris pariter potantium;) veniendum ſibi fore, recogitare debuit, cum loca Banneſij, & Caluini committebat, tanta accuratione, vt de vtriuſque conſenſione liquidò conſtaret, vt aliud prætendere videretur, & aduerſus eam conſenſionem poſtea diſputaret. Tam probroſæ conſenſionis, vel meminiſſe, piaculare eſt. Nec id nouum, eius furfuris hominibus; nam etiam Leo Sanctius cùm Albertum Magnum Magiæ inſimulatum propugnaret, reiectus inexorabiliter eſt; quia retulerat, quæ in illum intorta erant, mox depulſurus. Quo calumnioſo agendi modo in diſcrimen venit S Thomas, qui confirmaturus Dei exiſtentiam, primum propoſuit Atheorum argumenta, illicò ea diſiecturus.*

Ne ſit graue S. Eccleſiæ Principibus ſuggeſtionem poſtremiſſimi hominum, audire. Nam etiam Moiſes populi Dei Princeps, Iethro hominem infidelem ſalubria monentem, non eſt aſpernatus. Fodicat mihi pectus, & lancinat animum, agendi ratio, quæ in propoſitis exemplis micat. Homines magni virtute, & prudentiâ ſuâ præditi, nuntiantes in Prophetis dignitatem Prophetarum, & imperantes in præſenti populo, & virtute prudentiæ populis ſanctiſſima verba, *(periphraſis eſt à Siracide adhibita, exprimendis magnis viris optimè de Republicâ meritis, qui Dei negotia ſtrenuè geſſerint,) non rarò per ſubreptionem, plerumque per calumniam traducti, in programmate infami pependere, & cum ſceleratis reputati ſunt, admiſti interdum Atheis, Magis, Hæreticis. Alios verbulum anceps & cui bona ſubijci notio haud ægrè potuiſſet, inuidiâ liuoreuè æmulorum apud Fratres potentium,*

inauditos dehoneſtauit. Nam ipſos quidem Fratres, qui vel lineâ, & quantumuis obiter tetigerit, ſine remiſſione contereretur, & infamis tota cantabitur vrbe, imò toto orbe, quàm latè patet. Quoſdam, (ita demus) leuicula calami exerratio, cui mederi nullo negotio fas fuiſſet, Authoribus paternè monitis, ſummum ſui, quod ſumma iniuria eſt, inhonoros fecit. Vbi charitas? vbi æquitas? vbi laborum pro Eccleſia exantlatorum condigna penſatio? Quid Cyriacorum negotia & priuatæ offenſiones, ad Eccleſiam, vt vltio Dei eis ſumenda ſit per concreditam ab Eccleſiâ authoritatem? Ex vltimo exemplo adducto, iudicium feratur.

Indicata, vel tacta, (non enim aſſerta) à prætenſo Libelli Authore Theophilo Raynaudo, Caluini & Bannis, quoad Libertatem expeditam, & Gratiam conſenſio, tota origo fuit procellarum, quæ in eum Scriptorem detonuerunt: Ea tamen indicatio, adeò non fuit damnabilis, vt conſenſionem illam poſtmodum à Ianſenio explicatè traditam, amplexati lubentiſſimè ſint Cyriacorum plerique; & pro remoranda, vel etiam prorſus impedienda, Caluini illius infulati, (ſic nominant Galli ac Belgæ Catholici) iuſtiſſima per Sedem Apoſtolicam damnatione, omnem lapidem mouerint, conteſtante F. Thoma Turco, tuendum ſtrenuè eſſe ſuburbium, ne vrbs ad deditionem cogatur; id eſt, ſtandum Cyriacis eſſe pro Ianſenio, ne Prædeterminatio peſſum eat, aliaque Bann.ſiana placita concidant. Quin etiam poſt damnatum hæreſeos Propoſitionum Ianſeniarum quinarium, non defuerunt in ipſa vrbe Roma, & alibi cis & trans Alpes, Cyriaci; qui eidem maledicto quinario accurrerint patroni, & per ſenſus epicanos, ridiculè, (ne inſanè dicam) affictos, Pontificia definitioni illuſerint & nominatim illud Caluino-Ianſenianum effatum, de libertate incolumi cum neceſſitate, ſola coactione excluſâ; Cyriaci Pariſienſes, propoſitis publicè Concluſionibus, illimo eſſe dixerunt, neque vnquam ab Innocentio X. damnatum. Et tamen indicaſſe anterius, eam aſſertionem Banni & Caluino fuiſſe communem, capitale fuit, & prætenſi Authoris de Eccleſiâ bene meriti, iugulatione piandum. Obſecro, tantine ſunt apud Eccleſiam domeſtica Cyriacis opiniones, vt quiſquis eas vel extremo digito attigerit, ludibrium ventis ac marinis fluctibus, ex neceſſitate debeat? Hoc S. Eccleſiæ Principibus humillimè ſuggeſtum volui, in clauſula recenſionis illuſtrium Scriptorum, artibus Cyriacis peſſime habitorum.

Quod ſi benigne audiatur, adſcribere licebit bonum factum. *Sin ſecus, Deus Iudicum Iudex, cum acceperit tempus, iuſtitias iudicabit.*

RESPONSIO.

HVc vſque leuiora attigimus; nunc altos aſſumens ſpiritus Blatero mendaciorum ferax, maiora tentat, ſibique videtur loqui grandiora ore mortali. Dum pro Doctoribus, pro Cælitibus, pro Dei-parâ, ipſoque Chriſto Domino, in ſpeciem depugnaturus inceſſit, breui agone, quaſi pacem deprecaturus, proluſit; Nunc autem pro Theophilo Raynaudo acturus; ſupra ſe aſſurgens, detonat acriùs, & in immenſum excurrit, indicans inſolito hoc agendi more, maiorem ſibi cum Theophilo neceſſitudinem ac amicitiam intercedere, quam cum Deo & Sanctis. Verùm abreptus abſque fræno impotentis animi æſtus, aliquo limite eſt concludendus; & confuſa rerum congeries, feſtiuo adornanda apparatu. Patere ergò, Petre, vt indigeſtum Opus, exacto ad aliquam amuſſim ordine reguletur. Non illepidè Tragi-comediam inſtauras, in prædilecto Tuo, varios diſpenſaturus fortunæ ludentis errores; vbi triſtibus faceta miſcentur, aſperatque comicos ſales, tragica eiulatio. Scena exhibetur in alma Vrbe; argumentum ſuggerit damnatio libri, cui Titulus *De Martyrio per peſtem*; Actores primarij, hinc Theophilus Raynaudus Author libri proſcripti: illinc Cyriaci, Proſcriptionis incentores præſumpti: Interloquuntur Oratores Principum; Legati Epiſcoporum; Academiarum Profeſſores; miſſique à Cœtu Theologorum Collegæ; Principes Eccleſiæ iudicaturi conſiſtent; & quod mirere magis, tam multiplicem perſonam vnicus Actor ſuſtinebit, proque omnibus inconfuſo ordine, ſolus proloquetur Petrus à Valle-Clausa, qui Theatrum Prologo aperiet, claudetque Epilogo, ſub vnâ laruâ multiformis. Tota denique Scena quinque actibus concludetur, hoc ordine & titulo: Scena *Probatica, Politica, Militaris, Criminoſa, Funerea.* Notum interim ſit Lectori, quòd Paragraphus iſte, cardo eſt totius negotii ſupra quem ineruditæ prauitatis ac libelli famoſi quem vexamus, rota conuoluitur. En puteum inferni, vnde tot Locuſtæ, Ranæ, Bufones, Noctuæ tur-

Tragi-comedia.

matim eruperunt. Hæc inquam vnica & primitiua origo mendaciorum, calumniarum, contumeliarum, obſcœnitatum, ac impietatum, quas Tenebrio virulentus euomuit, *damnatio libri de Martyrio per peſtem*; quem arte & inſtigatione Cyriacorum proſcriptum, ſibi finxit Author illius. Quo factum eſt, vt abhinc decem annis & vltrà, corradendis hinc inde probris & fabricandis commentis totus incubuerit fæculentus Senex ſub laruâ latens, infando & infauſto carbone denigraturus vniuerſum Ordinem Prædicatorium, ſi conatui illegitimo reſpondiſſet fœlix euentus.

Præludij materiam concinnat rudis fabellarum contextus; & ducit volentem ire, ab vnâ rerum ſerie fictâ, in aliam pariter confictam, fabuloſus trames. Supponitur inita Lugduni diſputatio inter virum Catholicum & alium Caluiniſtam, circa diſcrepantiam vel affinitatem Bannis & Caluini, quoad libertatem & efficaciam Gratiæ. Iudex litis ſtatuitur quidam Petrus Paulus de Bellis, Ordinis Prædicatorum, Apoſtata (ſcilicet) ciuiſque Geneuæ, peritus vtriuſque doctrinæ. Delectus cauſæ Arbiter, pronunciat omnimodam intercedere affinitatem, eiuſque ſyngrapha adſcriptione firmata, ſuperſtes adhuc apud Theologum Auguſtinianum, qui Apoſtatæ iudicium ſcripto repulit. Creditus inſuper *Theophilus Raynaudus*, qui Diſſertationi interfuerat, Author Libelli poſt in lucem emiſſi, cui nomen, *Caluiniſmus, Religio beſtiarum*; & hinc accenſa in Theophilum Cyriacorum odia Sic proloquitur, ſic excurrit. Bella certè nugatio, narratio mendax & ridiculum ex omni ſui parte figmentum. Aperta itaque eſt Scena ſcurrili Prologo; & pro domeſtico ac intraneo amico perorans Pſeudo-petrus, fabulam ac hæreſim; matrem ſimul & filiam aduocat, vt initium dent querelæ ac calumniæ, quam irrogauit Cyriacis; quos, inquit, præceps & falſus furor armauit in Theophilum, ceu Authorem libelli conſenſionis Banneſij cum Caluino, ex præiacto Apoſtatæ iudicio. *Impoſtura.*

Ad huius fabellæ nouitatem arriguntur Lectorum animi, & obuiam irreligioſi craſſique commenti artem exhorreſcunt. Petrus-Paulus de Bellis chimæra eſt, nuſquam vera: Apoſtaſia falſi Transfugæ, æquè falſa; conficta concertatio inter Ortodoxum & Hæreticum; Belliſiani iudicium *Mendacia 7.*

de conſenſione, merum ſomnium, ſicut & Syngrapha eiuſdem; Theologi Auguſtiniani ſeruata depoſiti fides, viua Transfugæ depulſio, cæteraque quæ libello de conſenſione, præſtruuntur fundamenta, eiuſdem Authoris ſunt pudenda figmenta, quem abiectâ veritate ac pietate, deſeruit penitus iudicium. Putauit enim Lectores ſe nacturum adeò hebetes vt crederent virum Catholicum Lugdunenſem aſſenſum Hæretico, de Iudice litis conueniendo apud Geneuam, quæ eſt infamis ſedes Hæreſeos; libramque Iudicij commiſſam viro ab Eccleſiâ Catholicâ & ab Ordine Prædicatorio Apoſtatæ. Qui Deo recens mentitus erat, abijciens Fidem Catholicam, nunquid præſumebatur mentiturus & hominibus; iterumque proſcripturus veritatem, quam publicè eiurauerat? Hos Tu diligis Petre Pſeudo-Catholicos qui in rebus Theologiæ ac Fidei, velut Caluiniſtis affines, ac contubernales, conſulant Geneuenſe Oraculum; conſtituantque virum Apoſtatam, religioſæ Diſſertationis Arbitrum ac Dicaſtam. Sunt qui vera nequeunt proferre, nec benè compaginare falſa. Inofficioſus amico qui eſt alter *Tu*, auſus es ſcribere Theophilum adſtaſſe concertantibus, nec obſtitiſſe infami eorum ad Transfugam perfugio? Conſenſio ficta inter Bannem & Caluinum, ſat prodit mentem ſtudiumque Authoris, nec minuit ſuſpicionem, putidæ eiuſmodi Lucubrationis editio Batauica. Non itaque bilem Cyriacorum accendit purulentus Tenebrio, inſcriptus Caluiniſmus; ſed lachrymas excuſſit indolentibus figulo ſeu fabro commenti; totaque Prologi textura, catena eſt impoſturis infarta & mendaciis. Ad rem veniamus.

Scenam *Probaticam* aperit oblatus Congregationi ſacri Indicis liber de Martyrio per peſtem, qui à Cenſoribus notatus, à Patribus Purpuratis accepit proſcriptionis ſententiam, dein à Pontifice comprobatam. Acquieſcis, Petre; ſed ſubiungis, decretorium libri Interdictum, Potentum precibus non fuiſſe emiſſum in publicam lucem. Abſoluta itaque eſt breui *Probatica* Scena, conſtatque, Te annuente, latam, non quidem à Cyriacis, ſed à Iudicibus & Cardinalibus Indici præfectis, damnationis ſententiam. De eius euulgatione nunc quæſtio ingeritur, euaditque ex *Probatico*, *Politicus* Theatri apparatus. Oratores, inquis, Galliæ ac Sabaudiæ; ipſiuſque Cardinalis Richelæi pe-

Ducem Crequium inſtantes preces apud Pontificem intercedunt pro impediendâ ſententiæ iam latæ publicatione. *Tanta moles erat*, intactum ſeruare honorem libelli, peſtem toto orbe depellentis. Subdis. Exoratur Vrbanus VIII. Oratorum emollitus precamine; euulgatio Cenſuræ ſuſpenditur; adhibentur noui Cenſores, inter quos Cardinalis Oregius, Franciſcus à Potentia & Bocca-Bella S. Officij Aſſeſſor, communique ſuffragio approbatur Opus; teſtaturque Oregius, *ex eo libro ne ſyllabam quidem tolli poſſe*. Pergis: Succenſet Pontifex prioribus Cenſoribus qui illibatam Lucubrationem propudioſè habuerunt De quo teſtis omni exceptione major, teſtimonium locuples tulit; ſicut & de approbatione impertitâ à nouis Cenſoribus, ſunt Romæ qui de ore Cardinalis Oregij accepere. At dic Petre, quo nomine inſigniuntur illi teſtes? Reſpondebis, quid nomen eorum quæris quod ineffabile eſt? Comprobata tot experimentis fides mea, ſponſorem me pro illis exhibet. Magna quidem eſt fides Tua, ſed magnitudine ſuâ laborat, egetque potenti fulcro veneranda *magnitudo*, ne aſſueta labi, corruat, quæ aëros offert nobis teſtes, & fictos. *Fabella.*

Verùm nunquid Vrbanus decreto ſuo, vt aſſolet fieri, antiqua eraſit conſtituta, maximè tot inflexus Principum precibus? Non eraſit; ſed elingue manſit & mutum decretum proſcriptionis; donec Pontifice è viuis ſublato cum Approbatoribus, Marinus depoſiti cuſtos, vulpino aſtu omnibuſque quorum intererat, inſciis, euulgauit illud, affixitque Programmati nefando. Statim conclamatur in Marinum: Literæ aduenriunt atteſtantes veritati, inde tranſmiſſæ, vnde mens indubia Vrbani (iam defuncti) conſtare poterat. Procul dubio ſimiles literis quæ ad Regem Ioram 2 Paral. miſſæ ſunt ab Heliâ Prophetâ iam in Paradiſum tranſlato. At detulit Ioram literis Heliæ, & non defert Marinus literis Vrbani? Non, inquis; quia Apocriphæ denunciantur, & ad fidem præſtruendam inſufficientes. Itaque voluntas Vrbani teſtibus obſignata declaratur apocripha à P. Marino & huius rei Te teſtem adducis irrefragabilem. Ais enim, *nihil affingo*. Abſit vt quis de fide Tua debitet, iam toties eiuratâ. Siccinè de fide publicâ ludis, Nebulo, nec ad tot nugas irreligioſè & craſſè compactas, excandeſcent Lectores? *Nugæ.*

Incaleſcunt animi; miro fœdere inſtauratur bellum & ex *Politico*, fit *Militaris* decor Theatri. Sic placitum coram Te, Petre, nouo identidem Scenam inſtaurare apparatu. Delatâ enim (vt ais) querelâ ad Innocentium X. dantur Cenſores noui: quid illi? Approbarunt librum adeò ſolemniter & toties ventilatum, *de Martyrio per peſtem*? Reſpondes, nequaquam. Quare non? quia, inquis, gladius in labiis eorum, clangor Tubæ intonuit, vi agitur non ratione, & quamuis Pontifex iuſſerit, renouato examine librum excuti; intactum voluere primum damnationis decretum. Quid audio? Illudis Petre? vbi Pontificis authoritas, eiuſque mandatum in Vrbe alma? Vbi protector veritatis, errorumque confixor? Quid ni libri *à quo ne ſyllaba quidem poteſt tolli*, vindex conſurgit? Audio Te dicentem, Præualuit Cyriacus, cuius intererat; & reſponſum: *Habeat Author libri patientiam*; quicquid, vt leniret rancores Tuos, in contrarium reclamaret Rancatus. Inſtauratur rurſus Iudicium; Pontifex rem totam committit viro rebus ſuis nimium ſtudenti, inquis, qui veritatem in iniuſtitiâ detinuit: ſicque Pontificum decreta, molitiones Principum, totius orbis Chriſtiani ſupplex votum, eluſit Fratrum Cyriacorum ars fraudulenta, quam (vt aſſeris) publicis odiis ac fœderatis conatibus inſecuta eſt tota Europa. Nam conclamatur ad arma; Vindices veritatis exulceratæ, Academiæ accurrunt; centeni & ducenteni Theologi aduolant ex Luſitaniâ, Hiſpaniâ, Galliâ, Belgio, Germaniâ, Poloniâ, Lituaniâ, Italiâ; Et antiſtitum illuſtris cohors, ſuppetias allaturi omnes diuexatæ tantæ Lucubrationi. Sed quâ viâ Romam appellent libri *de Martyrio per peſtem* defenſores? Ex vnâ parte obſtant *Marini fluctus*, vt quereris; Ex aliâ, *Monſtrum ore triſauci*; *immani rictu*, *quicquid Romam appellit*, *manſum deglutiens.* Quam bellè iſta ſunt compoſita! quid hoc eſt? Tot preces, tot Oratores, Antiſtites, Academiæ, Theologi, tota denique Europa vindiciis libri allaborans, nihil obtinuit Romæ, Cardinalibus approbantibus, Pontifice imperante? Deſpumatio fluctus Marini vniuerſo orbi obſtitit? Certè nec Ludio aut Mimus tot ſcurrilia effutiret. Malè fingis, peiùs tamen efficta componis, nec vis audire docentem. Tua itaque imperita obfirmatio, ſic Italicè exprimetur à viro grauiſſimo Tui benè gnaro. *Fa ſempre gli ſui*

Somnium.

Scurrilitas.

paſſichi: puoi non Vogle, che ſe gli contradica. Triumphat itaque etiam in agone Militari Fratrum ars veteratoria; quanto magis in *Iudiciali* ac criminatorio, qui quarto loce inſtituitur? Sic querulâ voce eiulas.

Scintilla, conflat incendium, niſi citò extinguatur, vniuſque libelli de Martyrio per peſtem iniqua fortuna, ſerpit & protenditur ad omnes ferè eiuſdem Authoris Lucubrationes, quibus præcluditur almæ Vrbis ingreſſus. Monſtrum enim ore trifauci, cui feroces baubatus (ſic Richardium Magiſtrum S. Palatij, licentiâ hæreticâ indigitat) quidquid Romam appellit, vaſtis molaribus manſum deglutit; Exemplaria omnia Theophili Raynaudi nomine inſignita harpagat, Opellaque eius pari naufragio cum libro de peſte, abſumpta eſt. Furis itaque in eum inſtituenda actio, omnes enim libros retinuit, etiam Bononienſis Inquiſitor. Inuolant ſtatim Cyriaci in huius Scriptoris labores, nec reddunt. Interìm detinetur veritas in iniuſtitiâ; exſiccatur Orbis Chriſtianus hoc cæleſti nectare, ac rore priuatus: depauperantur Bibliopolæ, abſtinentque ab alijs Authoris operibus, quæ nemo audet vendere, nemo emere; terrenturque omnes hac monſtroſâ librororum harpagatione, quaſi ſecreto lateret in folio *Agrippa, Jurua Theurgia Propola; aut ſi quod aliud horridius & abominabilius erebi excrementum proferri poteſt.* Quid ad hæc reſpondent Cyriaci? Commentum rident, nec poſſunt non indolere comminiſcenti hæc ſpectra, quæ ſolâ Imaginatione læſâ conſiſtunt. Cur enim apud eos nomen Theophili, ſeu amantis Deum, fronti operis inſcriptum, præiudicata foret (vt inſulsè garris) Authoris damnatio, cùm vnico Dei amori ipſi incumbant? Cur *Opella* exemplaria, de non abroganda Sacerdotibus Religioſis Patrum appellatione clancularia ſubreptione ſupprimerent, qui omnes Religioſos venerantur vt Patres, eos etiam qui virulento & graſſanti in ipſos calamo, Religionem omnem eiurarunt? Si quæ ergò clepſit (vt Tuo vtar verbô) Inquiſitor Cyriacus, aut ſacri Palatij Magiſter, hæc ſunt quæ amorem Dei infrigidant, non quæ accendunt. Hoc ſi furtum voces, rapto viuit Chriſtiana pietas, Fideſque Catholica aboleri iubet quicquid Chriſtum non ſapit aut quod offendit. Quos ſemel, Deo obtemperans terra, deglutiuit Dathan & Abyron, ſacrilegos

Contumelia.

Delirium.

Diuinorum Inuaſores profanóſque Adminiſtros, nunquam reuomuit; nec debent publicæ luci exponi Lucubrationes proſcriptæ, ac tenebroſæ, quibus lumen approbationis negatum eſt, aut non affulget. Sed *habeant Librorum Authores patientiam.*

Hâc caligine intercepta oculorum acies, nouam aduertiẽ rerum faciem, quam ſi *Funeream* dixero, à veritate non abludam. Adeò enim ſecundùm Te, exaſperatus Cyriacorum animus ſæuit in præfati libri Authorem, *vniuersâ Europâ clarum, & ab ipſo Summo Pontifice non vulgari Elogio ornatum* (mirare Lector Scriptoris modeſtiam de ſe ipſo loquentis) *qui benè cauſam Pontificum egiſſet, ſentes Theologicos amœnaſſet, pietatem cum eruditione nexuiſſet*: vt illud inſonet vbique contra eum, *Crucifigatur, crucifigatur.* Iudæorum hæc vox in Chriſtum: Nunquid ergò Chriſtus venit Romam iterùm crucifigi? Reſpondes, Nequaquam; ſed Author libri proſcripti. Bone Deus! quanta illi gloria obtigit, Chriſto crucifixo configi! Verùm, quid mali fecit? Reſpondent Cenſores; librum illum Cenſorio ſtigmate iuſtè notandum & notatum. Ergò-nè non vulgari Elogio laudatus à Pontifice, cuius à Pontifice emanauit damnatio? Certè ſi hæc ſit vera laudatio; verè Tu, Petre, ab Alexandro VII. non vulgari elogio es ornatus, cum inter flagtiones & furciferos liber Tuus eius decreto pependerit. Verè vniuersâ Te Europâ clarum effecere, ignes illi funerei & flammæ vltrices quibus bis in Gallia combuſtus es. Quam bellè *ſentes Theologicos amœnas*, cum ſacra irrides, cum Dei-param, ipſumque Chriſtum mimico excipis riſu, rudis Theologiæ, nugarum peritiſſime! Pietatem denique cum eruditione, quâ arte miſcuiſſes, qui es vtriuſque exors & vacuus? Delectant Te conuiuia & cauponæ, vbi edoctus es à Tecum compotantibus, prælongas D. Dominici manus non effugere maledicos ſimiles Tibi ac purulentorum libellorum fabros? Quippe viuus Dominicus, Patres Tuos Albigenſes Hæreticos, ex fugâ Inalpinos, verbo & ſcriptis exagitauit in Galliâ, viuoſque plures flammis ambuſſit; mortuus, fæculentam eorum ſobolem inſectatur per Filios ſuos; quibus nullum fœdus, nulla pax cum hoſtibus Fidei & eiuratoribus pietatis chriſtianæ, qualem Te vbique prodis, duplexque Senatuſconſultum vindice flammâ comproba-

Impietas.

uit. Prælongas has D. Dominici experietur manus quicumque Ordinem eius & Angelicam Ordinis Doctrinam, audaciâ hæreticâ ac ſatanicâ procacitate infamarit.

Finem Tragicomediæ impoſiturus eodem ſpiritu quo cœpit mimus, mouet riſum Lectori, opplens pagellas queſtubus inſanis. Ad Principes Eccleſiæ, ſeu ſupremos ſub Pontifice cauſæ Iudices, ſermonem conuertit rogatque eiulabundus, vt ſuggeſtionem *poſtremiſſimi hominum audiant*. Profectò, cum poſt tot mendaciorum confertam meſſem, ſemel tandem veritatem eructat, exaudiendus eſt pro Reuerentiâ ſuâ, & haberi debet, quod verè eſt, nempe *poſtremiſſimus hominum*. Loquatur ergò in omni rerum ordine *poſtremiſſimus hominum*. Caue Tibi interim, ne Combefiſius quem toties aprino dente cruentaſti, Tibi laruam excutiens ad Bibliothecam Concionatoriam, detegat ſub laruâ Petri à Valle-Clauſa, latentem Theophilum Raynaudum, Theophili Raynaudi pleno ore effundentem præconia. Perge igitur, & bellæ animæ Tuæ aperi nobis ſcrupuloſa latibula. *Fodicat*, inquis, *mihi pectus*; aliquid grande de Te ipſo prolaturus es? [*lancinat mihi animum paraphraſis à Siracide adhibita: Homines magni virtute & prudentiâ ſuâ prædıti, nunciantes in Prophetis dignitatem Prophetarum, & imperantes in præſenti populo, & virtute prudentiæ populis ſanctiſſima verba*: Quid inde? Paraphraſis eſt à Siracide adhibita, exprimendis magnis viris, optimè de Republica meritis, qui Dei negotia ſtrenuè geſſerint; non rarò per ſubreptionem, plerumque per calumniam traducti, in Programmate infami pependere, & cum ſceleratis reputati ſunt, admiſti interdum Atheis, Magis, Hæreticis.] Doles certè, cum inſigni modeſtiâ exprimendo (vt putas) ſortem Tuam & eius quem reflexo in Te Indice, notas & laudas. Dicis enim; Pronuntiaſſe doctrinam Bannis doctrinæ Caluini fuiſſe collactaneam, capitale fuit, & prætenſi Authoris de Eccleſiâ bene meriti, iugulatione piandum. Adde quod ſub Alexandro VII. eiuſque iuſſu, in eodem infami Programmate pependiſti cum Atheis, Magis ac Hæreticis. Hinc exclamas. *Vbi charitas? vbi æquitas? Vbi laborum pro Eccleſiâ exantlatorum condigna penſatio?* At dic Tu Petre, Vbi charitas? vbi æquitas, carbone notare nigro, probriſque horrendis onerare integrum Ordinem Religioſum? Vbi Laborem à Cy-

Inſolentia.

riacis pro Eccleſiâ exantlatorum condigna penſatio, tantò à Te relaxari propudio? Siccinè Hæreticis annectere lubet viros Catholicos & Religioſos? Hoc nos ſanctæ Eccleſiæ Principibus ſuggeſtum volumus; non tamen pari Tecum petulantiâ, quâ inter eiulatus & preces, illis comminaris, quando ante Tribunal Chriſti conſtiterint, paſſuros Deum ſupremum iudicem iudicum, & cum acceperit tempus, iuſtitias iudicaturum; quaſi hâc comminatione ſignares, Deum iuſtas eis irrogaturum pœnas niſi maledicentiæ Tuæ acclines, Tibi permiſerint vulgato ſcripto in Cyriacos effutire, quicquid ferox animus ſuppeditabit ac ſuggeret.

NONA REFLEXIO.

An Cyriaci, ſeu Dominicani, Ieſuitis inuideant.

DOCVIT Te, Lector patientiſſime, importuna, ſed neceſſaria amarulenti Tenebrionis depulſio, doctrinam ac pietatem Ordinis Prædicatorij eâdem ſcaphâ tractas per varios æſtuantis fluuij vortices, tandem imperaſſe ventis & mari; aſſertamque ex multiplici aſſultu tranquillitatem. Quo autem tramite fluido, fluxuque inæquali portum intemerata ratis obtinuerit, iam aduertes. Inter miracula Nili incredibilem incolarum audaciam accipe. Bini paruula nauigia conſcendunt, quorum alter nauem regit, alter exhaurit. Hinc inter rapidàm Nili inſaniam & reciprocos fluctus volutati, tenuiſſimos Canales tenent, per quos anguſta rupium effugiunt: & cum toto flumine effuſi, nauigium ruens manu temperant, magnoque ſpectantium metu in caput nixi, cum iam exploraueris, merſoſque atque obrutos tantâ mole credideris, longè ab eo in quem ceciderant, loco nauigant. tormenti modo miſſi, inquit Seneca. Nec mergit cadens vnda, ſed planis aquis tradit, vndarum ac vorticum illæſos victores. Impetitæ vno ictu doctrina & pietas, Dominicanæ Religionis

gionis illuſtres aſſeclæ, velut rapido abreptæ fluctu, variis iactantur motibus, furenſque inſani calami ſtylus velut torrens indomitus, per arduas exciſaſque rupes inſurgit & vires ſuas ex reluctante obice concitat. Frangitur enim Nilus iſte occurrentibus ſaxis, & per anguſta eluctatus, vbicumque vincit, aut vincitur; fluctuat; excitatiſque aquis, quas ſine tumultu leni alueo duxerat, violentus & torrens, per malignos tranſilit, diſſimilis ſibi. Quid rapidæ Nili inſaniæ non æquipares inſanientem Petri Valcluſini ferociam? Hæreſeos ſcopulis primùm alliſit Sororum Cymbam fluctus inſolens; impulit inde in deuios à ſedis Apoſtolicæ reuerentiâ diſſultus, ſed vtrobique euanido conatu: mox ſalebroſas impietatis attigit ſyrtes; hinc circulante vndâ coniecit in aſperas ac præruptas inuidiæ & mordacitatis oras,cautium incurſu fruſtatim diſcerpendam ratem. Vbi fracto impetu reſiliens, tot verberauit ſcopulos, ſpumat Nilus quaſi victus; victriceſque Sorores Ordini Prædicatorio collactaneæ, Veritas & Religio, ſeu Doctrina ac Pietas, glomerato tot turbinum aſſultu illuſtre obtinent gloriæ Trophæum. Hoc adijcit laudis incrementum, irrogata eis à Nilo tempeſtas; quod huiuſce fluuij primæua origo ad radices *montium Lunæ* prope Regnum *Xophala*; implentque alueum vndæ è ſecretioribus terræ viſceribus aſcendentes, dum ne guttulâ de ſurſum irrigante, excreſcit, & in cuius viciniâ nemo aratorum aſpicit cælum *nec pluuio ſupplicat herba Ioui*, teſte Ouidio. Torrens eſt, alterque Nilus è montibus, influxibuſque Lunæ defluens totus Pſeudo-Petri diſcurſus ac liber: lymphatæ ac emotæ mentis ineluctabile argumentum; perenne exundantium ac æſtuantium ab imo paſſionum luctamen; ne guttulâ quidem cæleſtis pluuiæ ac Chriſtianæ pietatis aſperſa Lucubratio, vt hæc Nona Reflexio luculenter euincet, ex improuidâ Ordinis Prædicatorij colliſione cum Societate Ieſu, lucem ignemque eliciens, quo pellucidiùs emicet vtriuſque ſplendor, & antiquum amicitiæ fœdus nouo ardore incaleſcat.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Conatur collidere Cyriacos cum Ieſuitis.

§. 152. *Nihil à Ieſuitis expecto; vt tamen iuſtitia ac veritati ſit locus, iuuat vnum aliquid in hâc causâ ad eos attinens non præterire. Eſt enim eiuſmodi vt pleroſque, nec abs re, admiratione defigat. Hugo Cauellus Armacanus Archiepiſcopus cap. 5. vita Ioannis Duntij, denominati* Scoti, *ingenuè ſcripſit, Romæ Minores & Ieſuitas, ſub tyrannide Cyriacorum gemere. Videmus tamen iam à multis annis via* DIATRIBA 9. *Minores Indicem librorum vetitæ lectionis augere; ſed Tyrannis illa Minorum, ferè tricis Cyriacorum circa facultatem edendi, exhibendam ad prælo ſubijcienda Opera, continetur. Sæpè enim cum idcircò adeuntur, pilum in ouo, & in ſtupâ nodum quærunt. Nec tamen tricæ illæ ſunt adeò frequentes circa Minores; quia pridem cautum eſt à Pontificibus, vt cum aliquod punctum controuerſum, Scoti autoritate fulciretur, Cyriaci eo indiſcuſſo Minoribus ſuam doctrinam permitterent.*

RESPONSIO.

Nihil, inquis, *à Ieſuitis expecto*; hypparchica antiqui reatus confeſſio. *Nihil à Ieſuitis expecto*; Valcluſina noui criminis iactatio. Quid expectares à Ieſuitis, quos vtrobique inſolenter appetiiſti, Tibimet omnem ab ijs aliquid ſperandi, irreligioſo conatu anſam præcidens? Ibi enim, ſeu in Hypparcho Tuo, totum Societatis Ieſu corpus malignè traducis; hîc iterato auſu, Caput eius, Præpoſitumque Generalem ludicrâ comparatione dehoneſtas, aſſimilans R. P. Vitelleſcum Vitello §. 94. & R. P. Carraffam Capro §. 147. Falleris tamen; omnia à Ieſuitis expectare debueras: à zelatoribus gloriæ Dei, caſtigationem: à Sociis Ieſu qui venit peccatores ſaluos facere, miſericordiam. Et certè vtramque abundanter expertus, quid vltrà clamitas, *Nihil expecto à Ieſuitis*? Fortè nihil à Ieſuitis expectas, quia nihil Tibi commune cum Ieſuitis.

Illi ſiquidem doctiſſimi; Tu ignoranriſſimus es: Illi prudentes, Tu inſanus: Illi pietaris cultores, Tu omnis pietatis exors & hoſtis: Illi denique majori Dei gloriæ allaborant; Tu, Dei, Ieſu Filij eius, Dei-paræ, Sanctorumque euacuando honori totus incumbis, vt nihil à Ieſuitis expectare debeas, qui Ieſuitis, in omnibus contrarius inueniris. Nec mirùm certè, Pſeudo-Petre, ſi apud exteros & intra Cyriacorum Ordinem, Tyrannos fingas, qui intra propriam domum Te reperiſſe teſtaris in quodam libello Tuo, cuius Titulum reticebo, ne Te ex proprio nomine deſignem.

Cæterùm quid ab Armacano Archiepiſcopo teſtimonium extorques, cuius nulla planè authoritas, maximè dum loquitur contra Religioſos Mendicantes (quales inſcribuntur Cyriaci;) cum teſte Bellarmino de Scriptoribus in an. 1350. infarti ſint erroribus Libri eius, præſertim quos ſcripſit de paupertate Chriſti, & de ſtatu Religioſorum Mendicantium? Impudoratâ etiam mendacitate Lectorem ludificaris, dum exemptos ſimulas aliquos à poteſtate Cyriacorum circa opera Prælo Romano ſubijcienda; omnibus enim præſidet Magiſter S. Palatij, ſemper Cyriacus. Sique aliàs indictum fuit vtrique parti in aliam ſilentium à Pontificibus; hoc factum in alia materia, & ob pacem inter duos Ordines collactaneos fouendam & ampliandam. Crebra extitere prælia mentium, illæſâ charitate; diſſidet à Chriſoſtomo Epiphanius: ab Hieronymo Auguſtinus: Angelique Græciæ ac Perſidis Tutelares ab inuicem. Cum itaque vltra Vrbem Almam, ſacra Inquitio à D. Dominico incepta, Alumnis eius concredita fuerit, in aliquibus tamen locis commiſſa FF. Minoribus; Cenſuramque librorum ferant Fidei Quæſitores; cum in D. Thomam ex condicto ſcripſit Scotus; in Cyriacum, Minorita. In Scotum, Caietanus Dominicanus: in Caietanum & D. Thomam, Aureolus Minorita: in Aureolum & Scotum, Capreolus Cyriacus; incaleſcentibus frequenti luctâ animis, in diſcrimen vocabatur primigenia charitatis compago inter hos Ordines, mentiumque pugnam, pugna cordium timebatur ſecurura. Vnde ſapienter Pontifices, communi & reſpectiua lege ſtatuerunt, vt Quæſitores Minoritæ, domeſticarum Fratrum Lucubrationum ferrent Cenſuram, abſtinentes à Cenſurâ Cyriacorum; ſi-

Mendacium.

Daniel.c.10.

cut & Cyriaci Inquiſitores à Minotitarum libris, adeòque in inuicto vtriuſque familiæ zelo conquieuit Eccleſia, vt & in domeſticos ſæuituram vtramque Religionem, non dubitarit, cum ratio Fidei aut morum exigeret. Hoc non eſt pilum in ouo, & in ſtupâ nodum quærere, vt Tu garris; excepiſſentque hanc petulcitatem nodoſo maſtyge, ſi Te Dominicana aut Franciſcana veſtis contegeret, (quod abſit) iam pridem Quæſitores Fidei vtriuſque Cœtus, libellum Tuum, feralibus flammis addicentes.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Stultè queritur libros Ieſuitarum affigi Columnæ infami frequentiùs alijs, operâ Cyriacorum.

§. 153. *At Ieſuitarum (quia nullum huiuſmodi frenum eſt, quod Fratres coerceat;) pleraſque Editiones truncant, elidunt, impoſiti ſuper capita eorum Cyriaci: nec tantum ad edenda Opera, ſed etiam quoad edita volumina, liberè graſſatur in Ieſuitas licentia Cyriacorum; quorum, velint, nolint, iugum ſubibunt, aiebat de Ieſuitis Gregorius Donatus. Obſeruatum ergò iam pridem eſt, quoties aliquando, aut etiam ſapius in anno proſtant in Programmate infami Scriptores reprobi, Athei, Magici Haretici, Obſcœni, ſemper inter eos pendere aliquem è Scriptoribus Societatis Ieſu. Ex aliorum Ordinum Scriptoribus, non niſi infrequentiſſimè aliqui proſcribuntur: Dominicani nunquam. Niſi verò aliquis è Ieſuitis Comediam compleret, non videretur Drama omni ex parte perfectum, aiebat grauis I. C. Romanus, cum in Programma recens affixum incidiſſet, & inſcriptum in eo Ieſuitam deprehendiſſet. Quaritur vnde hac ſollicitudo Cyriacorum, tantâ curâ ſatagentium, vt ſemper aliquis Scriptor Societatis Ieſu, in eum Catalogum intrudatur. Nam hoc Moretum Cyriaci Ieſuitis tererunt, vel ſoli, vel pracipui, vt eſt compertiſſimum.*

RESPONSIO.

Certè longè optatius eſt, Te experiri hoſtem quàm amicum; quos enim appetis, illuſtras: prodis, quos defendis. Vnica Roma, nec tota dignoſcit quinam in columnâ infami libri pendeant, reliquus diù Orbis ignorat; ſicque illibatâ & incolumi famâ fruuntur apud cæteros Orbis Chriſtiani Incoas, Authores reprobi. Hoc igitur Tibi debet, ingratiſſime hominum, illuſtri famâ celebris Societas Ieſu, vt toti mundo intones, plures Ieſuitarum libros (de quo nemo cogitabat) quotannis proſtare in Programmate infami, ex aliis Ordinibus paucos; ex Dominicanâ familiâ nullos: quorum illibatæ doctrinæ præco hâc viâ exiſtis; dum mimicè traducis quos laudare debueras, non notare. Quid non altâ voce inclamabas? Effundunt ſe in extremos Canadenſis terræ receſſus Ieſuitæ, animabus Chriſto lucrandis; irruunt in Synenſe Regnum de Fide Chriſtianâ inſtruendum: rubent proprio ſanguine purpurati Chriſti Pugiles in Iaponio. Has intonare debueras laudes; tumque veritati ac iuſtitiæ reddere hoc tributum; ſuppreſſâ omni de Columnâ infami mentione. Forſan non poteras enarrare quæ ignorabas. Debueras conſulere peritos; & effuſus in meritas Societatis laudes, dicere cum Baëza eiuſdem Scriptore. *Da errorem exortum in hac tempeſtate, qui non inueniatur confoſſus à Filijs Societatis Ieſu: nullum dabis; omnes obtruncat Bellarminus, Caniſius, Valentia, Becanus, Turrianus & alij; & nouiſſimos illos Anglicana Synagoga ſapientiſſimè confecit Xuares. Quis Hæreticus vel erroneus in tota Germaniâ, in Belgio, in Angliâ, in Galliâ, qui non ſpicula ſenſerit Filiorum Societatis?* Hoc Programma glorioſum exponere debueras, infami ſubducto. Tu verò Scenam inſtruis; Comediæ inducis apparatum & clauſuram comicæ proluſionis, Ieſuitis aſſignas, veluti, inquis, *ſine ipſis non videretur Drama omni ex parte perfectum*. Quod ſcurrile dictum non inuenit, vt fingis, grauis I. C. Romanus, ſed Ludio Momuſque cordis Tui inquilinus, ſeu *Tu ipſe*.

T. 3. l. 15. c. 2. § 8.

Si vt impactum elueres dedecus, & detorta in Cyriacos caderet confixionis inuidia, mens foret; emaculaſſes ſaltem ex parte illinitum Scomma: At cum omnibus planum

ſit, Cyriacum Indicis Secretarium non agere Iudicem, ſed Promororem in librorum damnatione; euidentiſſimum quoque relinquitur, quotquot notantur poſt Lucubrationum auſteram ventilationem, & poſt ſolemne Cenſorum iudicium; tandem Decreto Cardinalium configi, Pontifice demùm Cenſuram ac Decretum confirmante. Non ergò Moretum interunt Ieſuitis Cyriaci; ſed Patrum Purpuratorum manu vibratur fulmen Cenſorium. Verùm hoc cunctis mirabile, imò monſtroſum. Carentiam iudicij, communiter comitatur exuberantia memoriæ; Tu vtroque orbaris: iudicij inanitatem propalas, traducens quos colis; lapſum autem memoriæ, dum inter tot notatos, quereris nullum pendere Cyriacum, cum ſuprà Sauonarolam, Coquæum & alios ludibrioſo affixeris Programmati. Exclamas tandem quaſi vocem deſperationis emiſſurus; *Quæritur vnde hæc ſollicitudo Cyriacorum, tantâ curâ ſatagentium, vt ſemper aliquis Scriptor Societatis Ieſu, in eum Catalogum intrudatur*? Falleris, nugaris, mentiris. Cyriacorum ſollicitudo & zelus, neminem nouit ſecundum faciem; neminem ex habitu diſpari aut ſingulari odio auerſatur; fertur æquali impetu in omne à veritate ac pietate deuium; notamque inuri ſatagit ruinoſæ cuiuſuis Scriptoris exerrationi, vt cæteri Fidelium ab imminenti offendiculo, ex præuiâ animaduerſione declinent. Amicus Ariſtoles, ſed magis amica veritas: quæ dum vel tantillâ vellicatione temeratur, nec domeſticis etiam parcitum. Vigetque conſimilis in Societate zelus; ne quis in eam præuaricatos arbitretur Cyriacos, ſi aliquando Scriptoris cuiuſque notationem ſollicitent. Audiatur ergò præfatus Baëza Loco iam laudato. *Laudo in hoc maximè Sacrum Ordinem Societatis Ieſu, cuius indignus ſum filius; Is pro Fide ſtetit ab incunabulis, & quia pro Fide ſtetit, nullam aduerſariam Fidei doctrinam non notauit, non confutauit, non ſcriptis libris confecit.* Audin'?

Calumnia.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Encomia Societatis ieiunè ac inofficioſè tractat.

Ratio vel ſe tenet ex parte Ieſuitarum, vel ex parte Cyriacorum. Excutiendo primum caput, videtur manifeſtum, cauſam talis tractationis, non poſſe referri in demerita corporis Ieſuitarum, in Eccleſiam Catholicam. Nam Orbis vniuerſus clamat, nec Pontifices ipſi diffitentur, magna extare illius merita in Eccleſiam & Catholicam Fidem. Et vt mundus vniuerſus ſileret, nec Pontifices agnoſcerent; ſtarent pro Societate Ieſu exornanda, meritiſque cumulanda, euentus ſecundi in plantandâ Fide, & excolendis Noualibus apud Indos Eoos, atque Occiduos, apud Braſilios, apud Æthiopas, apud Afros, apud Canadenſes, apud Huronos, vlterioreſque eis Iloquenſes immanitatis propè ferina, & apud alias plagas ab orbe noſtro ſemotiſſimas. Nec minus laborat idem Ordo in Catholiciſmo fulciendo ac inſtaurando, apud Anglos, Scotos, Hybernos, Hollandos, Germanos, Danos, Dacos, Polonos, Gallos, Græcos, alioſque; apud quos vel Lolium ſolum, vel immixtum tritico infæliciter ſoboleſcit. In Fidei autem calore inter Catholicos fouendo, & promouendâ pietate, quàm impigrè, & infatigabiliter laborent Ieſuitæ, etiam qui quærentes quæ ſua ſunt, illos ſæpè numero exteriùs mordent, taciti agnoſcunt. Melancthon expuens furuam animam, hoc cum ſingultu fateri adactus legitur. Non ergò adeò aſperè tractantur, ac quotannis traducuntur Scriptores Societatis Ieſu, ob demerita corporis ipſorum in Eccleſiam: cum potiùs extet immenſus meritorum cumulus, ab iiſdem in omne genus humanum, ac nominatim, in ſacrum Ordinem & eius verticem Romanum Pontificem, cuius aſſerendæ in vniuerſam Eccleſiam ſupremæ poteſtati, nullos defugiunt labores, nullis vigiliis, ſudoribus, algoribus parcunt: Et eo nomine ſæpènumero, non ab Hæreticis duntaxat atque Schiſmaticis, ſed etiam à perſonatis Catholicis deuorent magnas haud vno loco moleſtias. §. 154.

RESPONSIO.

INopem Te copia fecit & in ampliſſimâ meritorum Societatis Ieſu in Eccleſiam ſegete, vnam aut alteram ſpicam tremulâ adhuc manu collegiſti, Laudator ieiune, triſtis Encomiaſtes. Triplicem congeris laudum cumulum; ex Fide implantatâ apud Paganos: excultâ inter Chriſtianos: & nouo accensâ ardore apud ſynceros Catholicæ pietatis cultores. Sed dum vagâ probatione hoc tentas, nec ſingularem exhibes inductæ narrationis euentum, importunâ loquacitate Lectorem fatigas; opplenſque eius memoriam ſpecioſis totius mundi regionum nominibus, Coſmographicum magis quam Hiſtoricum aut Panegyricum texis ſermonem; nec Societati plus tribuis hâc inconditâ laudum farragine, quàm cæteris Religionibus, quæ per varios & diſſitos Orbis tractus diſſeminarunt Euangelium. In vago & communi Elogio, ſingulare cuiuſque obmuteſcit. Diſce ergò, inerudite Nugator, reique quam tractas, Temerator inſolens, quâ manu ſpargere debueras illibatos Inſtituti Ieſuitici flores. Verùm ne in alienum inuolem ſolum, videarque parcus aut inuidus laudator, domeſtico inhærebo & familiaribus Te imbuam narrationibus, vt genuinam texendorum Encomiorum artem volens nolens addiſcas.

Cyriacorum in Eccleſiam Dei, Fidemque Catholicam merita, terra eloquitur, Cælum approbat, populi enunciant, ipſique Summi Pontifices tot tubis intonant, quot gratiis ac priuilegiis Ordinem Prædicatorum exornarunt. At, taceat tellus, ſilentij impatiens, dum videtur ingrata: obuelet cœlum indebitâ caligine, celeberrimi Cœtus micantes & innocuos ſplendores: elinguis conſiſtat, obſtricta vigili eorum allaborationi, populorum Chriſto litantium gratitudo: nec ſuos Roma ventilet aut promat fauores: Res ipſæ loquentur, vocalia erunt omnia terreni aqueique Orbis ſpatia, vt Cyriacorum labores immenſos, fructuſque Apoſtolici zeli nuſquam ſilendos prodant & conclament: Siquidem *in omnem terram exiuit ſonus eorum & in fines orbis terræ verba eorum.* Dicamnè ergò Tecum Petre; apud Indos Eoos atque Occiduos, apud Braſilios, apud Æthiopas, apud Afros, apud Canadenſes, apud Huronos, vlterioreſque eis Iloquen-

ſes, cæteroſque populos immanitatis prope ferinæ, & apud alias plagas ab orbe noſtro ſemotiſſimas, fulget Ordo Prædicatorius? Si dixero, vera dixero: ſed frigida & puerilis huiuſmodi laudatio. Hæc dixiſſe tacuiſſe eſt, aut texuiſſe nugas: Ex ſingulari rerum & Authorum calculo, vera ac ſolida laus erumpat.

Dicam itaque; (& vtinam Te volentem ire, deduxiſſet par trames.) In Africam vix detulit me proſpera ratis, & irruentes video Dominicanos turmatim iuſſu Pontificum in Regnum Tuniſium, ſeu Tunetanum: vbi Raymundus Martini Cyriacus & linguæ Hebraicæ ac Arabicæ peritiſſimus, innumeros Arabes Mahumetanos ad Chriſti fidem adduxit ſub Clemente IIII; teſte Diago. Hinc tendo in Æthiopiam, imperiumque Abyſſinum, vbi fixam ſtatuere ſedem, Fidem ſeminarunt, multa erexere Cœnobia & ex Regio ſanguine Princeps habitu Dominicano indutus, profeſſuſque Inſtitutum, effuſo pro Chriſto ſanguine Prædicatorum Ordinem illuſtri agone Martyr decorauit, vt fuſè oſtendimus §. 97. quò remitto Lectorem, ne importunâ eiuſdem recantatione fatigetur indulgens patientia. Ab Æthiopia (relinquo ad dextram Regnum Congi, quo appellentes an 1491. ſex FF. Prædicatores Luſitani, Regem, Reginam; Primores Regni baptiſarunt, traditis igni Idolis innumeris. Ita Ioannes Barros, & alij apud Fernandem,) recto tramite dirigens iter in meridionales plagas verſus *Caput Bonæ-ſpej*. Vltimum Africæ limitem vix ingreſſus, Regem vidi, Reginam Primoreſque vaſti illius Imperij, inflexo vtroque poplite, totoque corpore humillimè curuato, Baptiſmi ſalutaribus aſpergi vndis à Dominicanis Luſitanis an. 1652. Hæc ſingularia ſunt, Petre, & vix à decem annis peracta. Verùm quid in Africâ diutiùs immoror? Vocat me Aſia.

L. 2. c. 28.

L. 3. c. 9. 10.

Itaque reducta naui à *Capite Bonæ-ſpej* per mare Indicum Africæ legens Orientales oras, Mozambicam appuli, cuius celebre occupant Xenodochium Fratres Prædicatores, excipiendis Europeis; hincque Fidem ſpargunt per vicinas Regiones, facilique ſat viâ in Æthiopiam & Abyſſinos terreſtri itinere demigrant. Tremis, vt video, Petre, macte animo; non te attonent Marini vortices; Non eſt hîc Pater Marinus quem times. Eia ſta mecum, & hinc in mare rubrum deuoluto nauigio, Iſthmoque Ægyptia-

co breui peragrato, mare nos excipiet Mediterraneum, deferetque rectâ viâ in Anatoliam & Armeniam Aſiæ prouincias ſibi conterminas; quas, præſertim Armeniam, im-
An.1318.n.6. butam & excultam in Fide Chriſtianâ à Dominicanis oſtendit Spondanus, quem iteratò audire de eodem iuuat. [Ioannes XXII. miſit ad Regem Armeniæ petitam ab eo formulam Fidei; cum licèt eſſent Armeni Religione Chriſtiani, multis tamen erroribus priſcarum Hæreſum infecti eſſent. In quibus ad Fidem Orthodoxam reducendis, vtiliſſimè laborauit quidam *Bonauentura* cognomento *Paruus*, patria Bononienſis, Ordinis Prædicatorum; eo fine à Sede Apoſtolicâ in Armeniam cum poteſtate Archiepiſcopali miſſus: qui doctrinâ & pietate præſtans, innumeros conuertit, templa quam plurima ædificauit, Cœnobia Prædicatorum erexit, ac demum hoc ipſo anno die Aſſumptionis B. Virginis, plenus bonis operibus ibidem piè obdormiuit, viuens ac mortuus miraculis plenus. A quo tempore Prouincia illa, quam ipſe potiſſimum excoluit, ducibus FF. Prædicatoribus in Fide ac Religione Catholicâ hactenùs perſeuerans, id etiam ipſo præcipiente deligenter obſeruauit, vt ipſius Catholicus (ſic enim Primatem vocant) confirmationem Electionis ſuæ à Romano Pontifice depoſcere ſollicitus, ſollicitusque fuerit.] Viden' Petre quomodo ex ſingularium euentu laus vera decerpatur, non ex vagâ & confuſâ proluſione, qualis eſt Tua?

Pergamus vltrà verſus Orientem. Conterminæ ſunt Armeniæ Syria & Paleſtina; quarum primus Inquiſitor à Nicolao III. contra Iudæos ac Hæreticos illic graſſantes conſtituitur Nicolaus de Anapiis, Gallus, diœceſis Rhemenſis, & idem Cyriacus, ac Patriarcha Hieroſolymitanus, de quo
An.1298. n.17. idem Spondanus. [Erant autem iam ab initio Ordinis Prædicatorij erecta multa eiuſdē Cœnobia quæ dùm viſitaret B. Iordanus (quod idem Annaliſta tetigerat an. 1236. n. 10.) primus poſt S. Dominicum Ordinis Prædicatorum Generalis, vir ſcientiâ, prudentiâ, pietate valdè inſignis, ac miraculis tam in vitâ quam quam poſt mortem clarus; celebrauit Pariſiis ad Pentecoſtem Comitia totius Ordinis, quæ vocarunt generaliſſima. Poſt quæ Hieroſolymam viſendi S. loca ac Fratrum cœnobia viſitandi gratiâ naui delatus, in reditu prope Acconem ſiue Ptolemaidem, orta

grauiſſimâ tempeſtate, periit Idibus Febuarij anni proximi, non præſentis, vt multi ponunt, vnà cum duobus ſociis & nonaginta nouem aliis, qui naui eadem vehebantur. Ad cuius & Sociorum corpora inhumata, luminaria de cœlo ſingulis noctibus effulgere viſa ſunt, cruceſque multæ: fragrantiſſimuſque inde odor manare cœpit; vſque dum ab Incolis ſepulturæ tradita, delata inde ſunt ad ipſorum Cœnobium Acconenſe.] Vides Fratercule, quomodo cœlum ipſum inuigilet promouendæ gloriæ Dominicani Lilij quod Tu denigrare contendis?

Sed à Paleſtinâ ad dexteram deflectamus verſus Sarracenos Arabiæ Incolas; hinc ad Æthiopas Orientales vnde vxor Moſis, quæ Æthiopiſſa dicitur Num. c 1. vt inde in Perſidem & Indos pergamus. Ducem ſe viæ nobis præſtabit idem præſul Apamienſis hîc à nobis bis laudatus & pluries laudandus; qui ſic ait. [Hoc anno idem Pontifex *An.1321.n.3* (Ioannes XXII.) de progreſſibus FF. Minorum & Prædicatorum inter Tartaros, Æthiopas, Sarracenos & alias Orientis nationes, certior factus, alios rurſum ſimiles operarios direxit.] Et infrà. [Miſit etiam Pontifex, *An.1329.n.* (Ioannes XXII.) plures ex Prædicatoribus & Minoribus in *21.* Perſidem aliaſque Orientis Regiones: quos proinde commendauit Imperatori Trapezundarum, Regibus Ruſſiæ, Georgianorum & Choraticæ, aliiſque, per quorum dominia tranſeundum foret, ſcriptis ad eos literis quæ extant. Deindeque alias ſubmiſit ad Archiepiſcopum S. Thadæj & Chriſtianos Imperij Perſici: Nec non ad Elchigadam Imperatorem Tartarorum, Coraſſan, Turqueſtan, & Indeſtan: (Attende Petre, ſumus in Indiâ cum Dominicanis & Minoribus:) denique & ad Imperatorem Æthiopum: quæ omnes pariter extant in Regeſto ipſius Ioannis Pontificis.] Non ignoras etiam, Petre, extare florentiſſimam & Regularis vitæ obſeruantiſſimam Congregationem Fratrum Prædicatorum in Inſulis Philippinis, Chinæ ſiue Synæ & Iaponio conterminis; vnde exeunt quotannis alij in Synenſe Regnum, promouendæ Fidej gratiâ; alij vt verbis Tertulliani vtar, velut *Martyrij Candidati*, in Iaponium Imperium ementito habitu irruunt vt verbo & ſanguine proprio, Chriſti Regnum ibi ſtabiliant. Vidi ego Toloſæ an. 1628. in Comitiis Ordinis Generalibus, Superiorem huius ſanctæ Congregationis ſitæ in vltimis Indiæ Orientalis Regionibus.

Iam Petre, è Synâ in Majorem Tattariam confinem deuolemus, reperturi Cyriacos in hac Septemtrionali Regione Fidem Chriſtianam infatigabili zelo promouentes. Audiſti ſuprà, miſſos Dominicanos à Ioanne XXII. ad Tartaros; à fructibus eorum iam dignoſces eos, putà à conuerſione Regis, qui legatione ad S. Ludouicum in Cypro tunc agentem, Nuncios miſit, remiſitque alios Rex piiſſimus, quorum Legatorum princeps fuit Andræas Dominicanus, iam cognitus & dilectus à Rege Tartaro ad Fidem conuerſo, quod Spondanus optimè proſequitur.

An. 1248. n. 6. [Ingenti gaudio nuncios Erchalthan Rex Ludouicus ſuſcipiens die Natali Domini ac ſequenti Epiphania, ſecum ad Eccleſiam cum honore ductos, menſæ adhibuit: muneribuſque donatos ad propria remiſit, iunctis ſuis ad Magnum Chaam & Erchalthan Nunciis: per quos & particulas Crucis Dominicæ, & elegantiſſimum miſit Chaamo Tentorium coccinum, quod mira phrygionis arte Chriſti Domini pro ſalute humana perpeſſa ludibria graphicè expreſſa continebat: hortatuſque eſt literis ſuis ad perſeuerantiam in Fide quam ſuſceperant, & vt optima initia incremento Sanctitatis, in dies adaugerent. Legationis verò Regiæ princeps fuit F. quidam Andræas (Louſimer qui conuertit Chaam Mugo ad Fidem, vt ait Altonus de Tartaris c. 23. apud Fernandem,) Ordinis Prædicatorum, qui quod iam anteà eas terras peragraſſet, hominum regionumque peritus erat.] Meminit & de alterâ Legatione ad Tartarum per duos FF. Prædicatores, facta an. 1271. à Gregorio X. Verùm quia populoſæ nationes Aquilonares non ſingulatim, ſed coitione factâ ad Fidem ſunt prouocandæ, Dominicani inſtituunt Societates pientiſſimas, de quibus præfatus Annaliſta eſt

An. 1325. n. 7. audiendus, quas dicit vocatas *Societates peregrinantium inter gentes*: quibus præfectus eſt Frater Iſnardes, iam reſtitutus à Ioanne XXII. in ſedem Patriarchalem Antiothenam; & ſubdit [Quanquam non primùm hoc tempore huiuſmodi ſacræ facultates cœpiſſe dici poſſint, ſed ab eo 1253. quo ſub Innocentio IV. Prædicatores & Minores miſſi ſunt ad peragrandas terras Ruthenorum, Valachorum, Tartarorum, Saracenorum, Burgarorum, & aliarum Orientis Aquiloniſque nationum, non credentium aut ſchiſmaticarum.] Attendis Petre, quâ ſorte Cyriaci,

quos fæcem mundi arbitraris, ad Imperatores Legati deſtinantur à Regibus & Sanctis, totamque Aquilonarem plagam Chriſti iugo ſubmittunt?

Reflexo itaque tramite deuenimus in Europam per Moſcouiam, quæ alias Scythia, partim Ruthena, partim Parua ſeu Præcopenſis Tartaria dicta, Valachiæ & Burgariæ ſat vicina. Ibi allaborantes inuenimus Cyriacos ab Innocentio IV. miſſos. Cuius Pontificatus an. 7. inquit Fernandes, [F. Henricus Prior Prouincialis Poloniæ, Ordinis Prædicatorum ab eodem Pontifice Diœceſis Culmenſis Antiſtes factus, tanta animi virtute curauit conuerſionem Danielis Regis Ruthenorum & Mendegonis Principis Lithuanorum, iiſque ſubiectarum gentium, vt Mendegonem latice ſacro abluerit, inque Regem Lituanorum ſacro oleo inunxerit, diademate & aliis Regis inſignibus redimiuerit.] Poloniam ingrediamur? cuius Inquiſitor Generalis (inquit Spondanus an. 1341. n. 5.) Suenckefeldius Ordinis Prædicatorum, à ſicariis iuſſu quorumdam Senatorum hæreſi infectorum interfectus eſt; cuius necem vindicante cęlo eadem Vvratiſlauia, Theatrum Martyrii, tota arſit, viſo Angelo contra ciuitatem exertum geſtare gladium & carbones in eam iniicere, vt Michouius & Cromerus ab eodem Spondano citati narrant. Adde quod de alio Inquiſitore iam latè declarauimus §. 5. qui ablato de manu Regis calamo, quo aditum Lutheranis in Poloniam, deceptus permittebat, obturauit omninò & viam præcluſit Hæreſi, virtute heroicâ & Chriſtianâ. Quid autem debet Germania Cyriacis? Peſſumdedit eam Lutherus viperino morſu exenterans matrem. Qui in Lutherum primus ſcripſit, vt iam dixi, Syluester Prierias Cyriacus & S. Palatij Magiſter. Eiuſdem profeſſionis Tetzellius Inquiſitor, Theſes ſtatim in Lutherum publicè propoſuit, & Hogoſtratus Inquiſitor Colonienſis alios ex Transfugis igne combuſſit; & quorumdam Libros, vt Reuclini, qui fuit cum Eraſmo, Præcurſor Lutheri, inſtantibus pro Reuclino omnibus ferè Germaniæ Magnatibus, ſoli etiam ferè cum aliis perpaucis, Cyriaci pro Fide & Pontifice inuictè depugnarunt, vt latè oſtendimus §. 135. Galliam purgauit Albigenſibus hæreticis (pace Tua dixerim Petre) proauis Tuis, alter Galliæ Apoſtolus B. Dominicus, eiuſque Filij, Hæreſim eamdem in ſede ſua præfocantes. Quid

Toloſæ pro Fide paſſi fuerint, audiendus eſt idem Annaliſta qui ſupra. [Cum commiſſa fuiſſet per eumdem Pontificem (Gregorium IX.) Fratribus Ordinis Prædicatorum Inquiſitio in iis partibus contra Hæreticos: deputatis ad hoc primitus Fratribus Petro Cellani & Guillelmo Arnaldi; hique officium ſuum, non ſolum in minoris conditionis homines, quos facilè iudicatos damnaruut; verum etiam in potentiores Hæreſis ſuſpectos exercere cœpiſſent; ægrè hoc iſti ferentes, tantâ ferociâ ſe ſe illis oppoſuerunt, vt graui excitatâ ſeditione; non ſolum iidem Inquiſitores cum omnibus Fratribus Prædicatoribus, verùm etiam ipſe Epiſcopus vrbe eiectus fuerit, & Canonici Eccleſiæ indignè habiti: vt refert qui videbat Guillelmus de Podio Laurentij, in ſuo Chronico; ſed parcè ac breuiter, parcens vt ait, vrbis honoti. Et paulo poſt. Ex alio Chronico intelligimus Inquiſitores conſtitutos ad finem menſis Aprilis 1233. Prædicatores autem vrbe proceſſionaliter binos & binos pulſos ad principium Nouembris 1232. exiiſſeque animis ad Martyrium diſpoſitis cantantes *Credo & Salue Regina.*] Necdum ſatis. E Totâ Hiſpaniâ omnes Iudæos pepulit vnus Thomas de Turre-cremata Cyriacus & Confeſſor Regis, vt ſupra declarauimus §. 126. Supereſt Italia; quam proſciſſam bellis ac tumultibus diuinoque ardore in ea penè extincto, repetitis factionum aſſultibus; vnus Cyriacus, Ioannes Vicetinus, aliis Vincentius, vt fusè euicimus §. 101. pacem ei reddit, ardorem deuotionis in ea ſuſcitat; ita vt, inquit præfatus Spondanus; Annus ille vulgò *Generalis deuotionis annus ſit appellatus.* Audiſti Petre, quâ viâ & arte ex ſingularibus euentis deprompta eſt laus Dominicanæ Religionis? Sic Tu, non vagâ laudatione, ſed ſingulari indagine debueras merita Societatis exponere, quod fortè alius præſtitiſſet. Sicut ergò merita eiuſdem Societatis in Eccleſiam, præſtant illi, vt non debuerit à quouis infamari; ita merita Ordinis Prædicatorij erga eamdem Eccleſiam, hoc illi præſtitere vt non poſſit à quoquam infamari, nec velit infamare quemquam. Hæc debes meditari, & ſapere.

Spond. an. 1234. n. 3.

An. 1233. n. 6.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Peritiam Societatis dum eleuat, deprimit miſerando diſcurſu.

Sed neque ignorantia Ieſuitarum, poteſt adeò frequenti infamiæ locum præbere; cum conſtet, eos vbiuis terrarum laudem referre à præſtantiâ Doctrinæ, & Doctorum virorum copiâ. Siquidem non eſt inter eos rara auis, homo à literis optimè conſtitutus, vt in quibuſdam aliis Ordinibus vſu-venit; ſed multi & præcellentes inter eos in omni ſtudiorum genere, & ſacrâ ac prophanâ literaturâ reperiuntur. Opera quæ illi faciunt, teſtimonium perhibent de eis. Conſulatur Petrus de Ribadeneira in Opere de Scriptoribus Societatis Ieſu: *ac longè plenior illuſtriorque de eodem argumento Lucubratio Philippi Alegambe, tametſi valdè mutila, quam* Chiliade *Librorum augere fas ſit. Si Labor conſulendi & euoluendi eas ſcriptiones faſtiditur, adeantur* Bibliopolæ, *& exquiratur ab eis, ecqui ſint in vnâ quaque facultate Scriptores maiore in pretio, & conſtabit, vel omnes in Orbe hallucinari, captando ſcriptiones* Ieſuitarum *adeò auidè; vel aberrare à vero, qui eis impegerit ignorantiam. Nec ex hoc igitur capite, toties traduci cenſendi ſunt* Ieſuitæ. §. 155.

RESPONSIO.

Rei patentiſſimæ probatio nulla exigitur; hîc inducitur falſa, diem obnubilans, non effundens lucem; ſique propriis conſpicua fulgoribus eminens Societatis peritia, aliunde ſpecimen ſui non exhiberet indubium, nutaret probatione hâc ridiculâ, quæ inſtar tædæ fumigantis, meridianæ expoſitæ luci, illibatum Solis lumen, lucendo obſcurat. Eruditionis itaque vniuerſo orbi compertæ inſulſam probationem, tria euincunt. Scriptoris Valcluſini Stylus, modus, iudicium. Stylus agreſtis, modus ferox, lymphatumque ingenium, & ex hoc triplici ſenilis capitelli nugamento, eiuſdem ſtulta barbaries. Villanus Ludimagiſter nuſquam ruſticatus eſt acerbiùs, infimæ garrulitatis nullum ſplendidius argu-

mentum ; & ad exponendam rem omnium digniſſimam , grauem illam, quâ Scriptores Societatis pollent, eloquentiam, nihil ineptius viliſſimis illis locutionibus, quæ nihil nobile, nihil auguſtum ſpirant, qualis eſt illa, quæ nullo vrgente, exaſperat Lectorum animos, ruſticitas imperita, hirſuta verboſitas. Cruentatur mens docilis, his puncta vepribus, & dum pudet ſingula blateramenta excutere, ſufficiet beneuolam Lectoris patientiam vnicâ, ſed agreſti expreſſione vellicaſſe, in qua tamen tota probationis ſumma reſidet. *Non eſt inter eos* (Ieſuitas) *rara auis, homo à literis optimè conſtitutus.* Heu Tullianæ facundiæ reſtaurata maieſtas! Hic ſtyli floridus decor. Verùm agreſte Idioma aſperat adhuc, modus laudandi crudelis, qui vnius euerſioni ſuperſtruit alterius famam; & plurium Ordinum ruinæ implantat Societatis excreſcens decus; quaſi inter perpetuos cæli ignes, nequeat quiuis Planeta radiare, niſi cæteri extinguantur; iubeatque orbis Moderator, de aliorum tenebris, lumen eius ſplendeſcere. Audiamus crudele Proloquium. *Non eſt inter eos rara auis, homo à literis optime conſtitutus, vt in quibuſdam aliis Ordinibus vſu-venit.* Caligant hi Ordines, facti cæca ruditatis & inſcitiæ repagula.

Depellit procul generoſa & Religioſa Societas, inofficioſa hæc gratitudinis improuidæ argumenta, iniuria aliis, ſibi inhonora, quaſi non poſſit in aliorum præſentiâ, natiuum ſeruare ſplendorem, egeatque alieno funere, vt viuat & luceat, emendicata claritas. Nec adhuc vltimum euoluti iudicij experimentum. Emicat hoc triplici ſuſceptæ probationis Indiculo, quam à populari applauſu deriuas; à numeroſâ ſcriptionum multitudine; ab ipſo denique Bibliopolarum iudicio. Celebriore certè Elogio, prudentioreque Encomiaſte digna Societas, cuius ſplendidiſſimos ac nuſquam deficientes micatus obumbrat bardiſſimi laudatoris imperita garrulitas. Claret vbique terrarum eius doctrina; ſed non à totius Orbis terrarum populari aſſenſu deſumenda illius præſtantia; ſi quidem teſte Seneca, *Argumentum peſſimi, turba eſt.* Pauci ſunt veri rerum æſtimatores. Nihil ergò magis præſtandum, quàm ne pecorum ritu, ſequamur gregem, pergentes non quà eundum eſt, ſed quà itur. Ad ſimilitudinem viuimus, non ad rationem; ſtatque contra rationem, erroris ſui defenſor populus. Deſipis

itaque,

Itaque, Petre, dum rei compertiſſimæ, falſam aut ſaltem dubiam, inducis probationem: viſque præſtantiam Doctrinæ Societatis euincere; non ex Sapientum, qui rari ſunt, iudicio, ſed ex vago & cæco Plebeiorum aſſenſu.

An ergò ex chiliade librorum, vt loqueris, & ex copioſâ Lucubrationum ſegete, certius eruis probationis argumentum? Adhuc debilius. Eſt enim penſanda cuiuſuis Artificis ſolertia, ex merito & dignitate Operum, non ex numero; quia teſte Salomone, *in multiloquio non deerit peccatum.* Vilium ſortem adhuc deprimit numeroſa propago; pretioſa, raritate ſua coluntur, vt probat, iuxta Tertullianum, auis illa Arabica de poſteritate ſingularis, & de ſingularitate famoſa, quæ vna & ſolitaria terris oſtenditur; ſicut ſol lucet vnus, & ſolus in Cælo. Vtinam igitur, Fratercule, lugendum Tibi tempus quod euoluendis Poëtis ac fabulis irreligiosè luſiſti, occupaſſet Doctor Angelicus, quem horres; docuiſſet Te Chriſto tanquam excellentiſſimo Doctori, excellentiorem quoque doctrinæ modum congruiſſe, vt nempe doctrinam ſuam Auditorum cordibus verbo imprimeret; relinquens Diſcipulis & Adminiſtris, ſcripto infundendam. Regium Chriſti docentis magiſterium; propter quod dicitur Matthæi 7. quod *erat docens eos ſicuti poteſtatem habens.* Vnde etiam apud Gentiles Pythagoras & Socrates, profanæ literaturæ præcipua lumina, nihil ſcripto mandare ſunt dignati. Vnde, inquit S. Doctor, lex vetus vt potè imperfectior, *neminem enim ad perfectum adducit*; viſibili figurarum contextu exhibita, ſenſibili etiam ſcripto exaratur. Doctrina autem Chriſti, (præſtantiſſima omnium) quæ eſt lex ſpiritus vitæ. non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus inſcribenda, verbo infunditur, nec Authoris ſcripto innoteſcit. Non ergò præſtantia cuiuſuis Doctoris aut doctrinæ ex librorum multitudine euincitur, quæ etiam libris inſerta aliquantulum defloreſcit, nec cordi, ſed oculis imprimitur: Verùm ſi præcellentiam eruditionis arguit Lucubrationum ampla numeroſitas; idem planè erit plura ſcribere, & ſcribere meliora; ſicque præſtantior Lutheri calamus, celebriorque doctrina quam D. Bernardi, cuius vnicum volumen excedit numeroſa Transfugæ Lucubratio hæretica. Sine dubio, Fratelle, Tu multa, licet non vno tempore, ſcripſiſti;

3. p. q. 42. a. 4.

ſed quia ſemper malè, & cenſorio multoties inuſtus es ſtigmate; toties peccaſti, quoties ſcripſiſti, multitudoque incondita furuarum ſcriptitationum Te multipliciter effecit reum. Celebrandi igitur à Te erant Societatis Scriptores ex ſolerti inuentionis acumine; ex ſolidâ rationum texturâ; ex indeficienti rerum vbertate; & ex Religioſo pietatis afflatu; coaluiſſetque hâc arte, intenti Tui exacta ad amuſſim probatio.

At in vltimo gradu inſtat adhuc fœdior lapſus, dum Authorum Societatis præſtantem peritiam non ex attentâ librorum meditatione, ſed à non perito Bibliopolarum ſuffragio depromendam inculcas, ſic ſcribens. *Si labor conſulendi & euoluendi eas ſcriptiones faſtiditur, adeantur Bibliopolæ, & exquiratur ab eis, ecqui ſint in vnâ quaque facultate Scriptores maiore in pretio: & conſtabit vel omnes in Orbe hallucinari, captando ſcriptiones Ieſuitarum adeò auidè; vel aberrare à vero, qui illis impegerit ignorantiam.* Ignorantiæ itaque depulſio & ſcientiæ aſſertum Elogium, pendent ex pretio quod Libris poſuerint Bibliopolæ. Hic Petre, breui morulâ ſiſtamus gradum. Vt puto, non intelligis de pretio pecuniario; aliàs poſtponenda forent Scripturæ ſacræ diuina oracula, ſacrilegis Alcorani fabellis, quia longè cariùs emitur quam Biblia: cumque nitamur in vetitum acuatque pruriginem prohibitio, maiori pretio venditur liber, ex quo reſcitur notatus, vt Tu faſſus es §. 166. Cenſeretur itaque quoduis Opus licet ſcabioſum, melius, quia cariùs conſtat, daretque pretium & æſtimationem libris, impacta malitia; cui ſententiæ Tu non adſtipulaberis. Intelligendus ergò venis de pretio animi & æſtimatione, viſque omnibus, velut ex Tripode denuntiare, pluris æſtimari, eruditioreſque ac ſaniores haberi illas Lucubrationes, quæ Bibliopolarum iudicio, cæteris præponderant: ſicque Te annuente & iubente, iudicabunt de coloribus Cæci; de doctrinâ, Imperiti; de Librorum dignitate, non docti Librarij, qui de cortice tantum & mole voluminis, apti ſunt pronuntiare. Non erubeſcis, Trico Inſolens, hæc effutiiſſe, hæc eructaſſe, hæc euomuiſſe propudioſa delitamenta? Audi Senecam, ſupinitatem Tuam acriùs contundentem. *Vni ſapienti notum eſt, quanti res quæque taxanda ſit.* Solus ſapiens dat pretia libris & rebus; non imperita multitudo, non inſa-

Ep. 81.

nus populi rumor, non Operum numerus aut moles, non denique Bibliopolarum ridenda approbatio; Nollentque conſpicui Societatis Scriptores, à viliſſimâ hominum fæce, peritiæ ac eruditionis excipere teſtimonium. Ad quam nihilominus eos detrudit, inofficioſus beneficio; laudeque turbidâ & imperitâ, contumelioſus Pſeudo-Petrus.

Abſit vt nugatorio ac mordaci hoc Encomiorum genere celebrandos ſuſcipias Cyriacos; plus enim laude quam vituperio dehoneſtares Ordinem Prædicatorium; cuius præſtans eruditio præcellenſque doctrina à triplici Sapientum cœtu, cumulatæ approbationis Elogia accepit; nempe ab Academiarum, Conciliorum, Pontificumque vnanimi magnificoque aſſenſu: ſunt enim Rei literariæ agnoſcendi Iudices, qui & ſcientiarum peritiſſimi & veritatis habentur inclyti Interpretes. Ne timeas in hâc exequendâ indagine moram; raptim ſingula delibo, (quorum amplam probationem dedit §. 4. vbi Diui Thomæ propugnationem ſuſcepimus) neque enim grandiora portare potes, aut defæcatæ luci aſſueſcere. Quæ ergò doctrina Dominicanorum? Thomiſtica, Angelica: nam omnium mater Vniuerſitatum (vt Tu etiam fateris) Pariſienſis Academia tanquam fontem Doctorum ac doctrinæ agnoſcit D. Thomam, iubarque ſplendidum, quo illuſtrantur quicumque ad veritatem perueniunt, vt videre eſt in præfato §. Quid celeberrima Salmanticenſium Academia ibidem laudata? Iuramento ſe aſtrinxit, in quotidianis Lectionibus (vide quanti eas faciat) ſe docturam ac prælecturam in Theologiâ Scholaſticâ doctrinam S. Auguſtini & concluſiones D. Thomæ, nec quid vnquam ingeſturam quod eorum doctrinæ cognouerit aduerſari. Duacena, Patronum ſuum inſcripſit D Thomam. Patauina ſimiliter, & die illi ſacrâ, vnus Profeſſor coram totâ Academiâ orationem habet in laudem S. Thomæ Patroni ſui: Louanienſis tantoperè Patronum ſuum colit, vt non modo doctrinam illius ac S. Auguſtini rigidè tueatur, ſed & ſpeciali illius Academiæ ſtatuto teneantur illius alumni, ad S. Thomæ nomen prolatum, nudato pronoque capite, reuerentiam illi exhibere, vt refert P. Ioannes à S. Maria Carmelita Excalceatus in vitâ S. Thomæ Gallicè ſcripta c. 24. Toloſana reſcriptum

accepit ab Vrbano V. in Tranſlatione corporis eiuſdem S. ab Italiâ Toloſam delati, vbi quieſcit, quo dicitur; *Volumus inſuper & tenore præſentium vobis iniungimus, vt dicti B. Thomæ doctrinam tanquam veridicam & Catholicam ſectemini, eamque ſtudeatis totis viribus ampliare.* Ampliant etiam; ipſo enim etiam tempore quo hæc ſcribo, vnus ex Profeſſoribus eiuſdem Academiæ, D. Caſeneuue Artium Profeſſor Regius, ingenti diſcipulorum numero, ſummoque cum applauſu prælegit puriſſima Philoſophiæ Thomiſticæ placita; cui concinit in Collegio Regio vnus ex Profeſſoribus Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ P. Miletus, adeo fœlici ſucceſſu, tantâque Auditorum affluentiâ, vt iam tertium Philoſophiæ Thomiſticæ curſum continuum nec interruptum inſtaurare coëgerit, doctrinæ Angelicæ candidatorum Confluens vndique turma. Et meritò colligunt in ſinu ſuo, hæc Thomiſtarum pullulantia in dies examina Toloſates; ſcriptum eſt enim, *Vbi erit corpus* (D. Thomæ) *congregabuntur & Aquila.* Dat Sapiens pretium rebus & doctrinis; quæ ergò ſit Cyriacorum doctrina ex tot Vniuerſitatum conſenſu & applauſu, dignoſce.

Video tamen Te obtorto collo ſubmurmurantem, iunctamque auere cum Theoriâ praxim; & cum doctrinâ, Doctos probari & exhiberi Cyriacos. Satisfiet ſtatim guſtui Tuo ex auguſto Conciliorum ſuffragio, quorum aliqua, doctrinæ Encomia; alia Doctores offerunt doctrinâ præſtantes. Quid Synodi Tridentina & Florentina protulerint de doctrina Thomiſtica, iam diximus §. 4. texentes Elogium S. Thomæ: Nunc quæ in ſacris illis Cœtibus eluxerit Thomiſtarum ſapientia ac ſingularis & præcellens eruditio, ex hoc collige. In Concilio Lugdunenſi. 2. ſub Gregorio X. cui interfuerunt ſummus Pontifex, Patriarchæ Conſtantinopolitanus & Antiochenus, quingenti Epiſcopi, Oratores ſeptem Regum & Imperatoris Conſtantinopolitani ac Tartarorum; F. Petrus de Tarantaſia Cardinalis doctiſſimus, poſteà dictus Innocentius V. & F. Albertus Magnus, ambo Dominicani & ad diſputandum electi, in publico Concilij congreſſu Græcos Doctores, erroris conuicere & adduxerunt ad vnionem Eccleſiæ Romanæ, vt teſtantur Ciacconius 2. p. de
An. 1274. Gregorio X. Leander Albertus. In Concilio Baſileenſi,

et 4. quos Sacra Synodus elegit ad diſputandum viua voce coram illâ celeberrimâ coronâ contra Huſſitas Hæreticos qui aderant, duo fuere Dominicani, vt ſuprà inſinuauimus §. 14. Ecquid doctrinæ Doctorumque Cyriacorum præſtantiæ hæc probatio arridet Tibi, Petre? Eccleſiæ Fides & doctrina propugnanda concreditur ſapientiæ & eruditioni Dominicanorum in Synodo Baſileenſi. Quid Synodus Florentina cum capite ſuo Eugenio IV.? Quatuor pariter ſeligit, quos Scripturæ, Patrum, Theologiæ ac Idiomatum peregrinorum peritiores agnouit, ad diſputandum contra Græcos Synodo adſtantes; Inter quos duo Cyriaci; Andræas (ſic nominat Surius in Notis ad Concilium Florentinum) Epiſcopus Coroſſenſis, & Ioannes de Monte-nigro Prouincialis Lombardiæ: cumque non poſſent Græci reſiſtere ſpiritui qui loquebatur in eis, compulſi ſunt ad deditionem. Solus induratâ ceruice renuit Marcus aſſentiri Vnioni Eccleſiæ Græcæ cum Latinâ; ſed dum adhuc Conſtantinopoli proteruiret, inductus ab Imperatore Græcâ Linguâ diſputare coram Græcis, cum Bartholomæo de Florentia, aliàs, Lapatio, Cyriaco & Epiſcopo Coroſſenſi in Græcia (vt oſtendit Fernandes cap. de Epiſcopis Italicæ nationis) qui perperam Surio dicitur Andræas, ſuperatus à Coroſſenſi & confuſus, præ grauante mœſtitiâ interiit. Sicque qui teſte Spondano, cum à Ioanne de Montenigro Prouinciali Dominicano, *An.* 1440. in anguſtias redactus, *ſæcula ſæculorum* exclamans receſſit *n.* 19. ſimulato morbo; iterùm victus à Bartholomæo Lapatio etiam Dominicano, vnà cum ani ſtercore, animam efflauit, teſte vniuersâ Conſtantinopoli, ſimili ferè quo Arius, exitu; niſi quòd ille viſcera deorſum, Marcus per os egeſſit, vt conſtat ex Hiſtoriâ Concilij Florentini quam ſupra adduximus. Sicut & quod obtinuit eruditio comprobata Cyriacorum, in Concilio Tridentino. Eia Petre, nunquid triplicis huius Synodi Oecumenicæ ſacri Patres ſat obſignarunt præſtantiam Ordinis Prædicatorij, eiuſque doctorum? Quod ego feci, fac & Tu ſimiliter.

Forſan expectas Pontifices Conciliis præludentes? Dabimus vltrò aut potiùs indicabimus quæ §. 4. latè expendimus, quò remittimus Lectorem. *Ioannes XXI.* aſſerit S. Thomam poſt Apoſtolos & primos Sanctos Doctores magis inter alios Doctores, ſuâ doctrinâ illuſtraſſe Eccle-

ſiam. *Tot Thomas fecit miracula quot compoſuit articulos.* *Clemens VI.* dixit doctrinam Thomæ eſſe ſingularem, ex qua vniuerſalis Eccleſia vberrimos fructus ſpiritualis alimoniæ colligit. *Innocentius VI. Nunquam qui doctrinam D. Thomæ tenuit, inuenitur à veritatis tramite deuiaſſe, & qui eam impugnauit, ſemper fuit de veritate ſuſpectus. Paulus IV.* vocat eum lumen oculorum ſuorum, ſolatium vitæ ac baculum ſenectutis ſuæ.

Vis à doctrinâ ad Doctores deuolemus? Eugenius IV. in Bulla ad Ordinem Prædicatorium directa an. 1439. *Ordo prædicatorum aſſiduè flores proferens copioſiùs honeſtatis, & producens vberiùs fructus vitæ inter alia plantaria Dominica; puritate conuerſationis, ſcientiæ dono & virtutis merito, tam contra profugandas hæreſes, quam contra peſtes mortiferas criminum aliorum extirpandas, doctrinæ, magiſterio* (nota Petre cui docere competat) *& euangelizandi verbi Dei, dignoſcitur ſpecialiter inſignitus.* Item *Leo X.* an. 1518. *Cum inter cæteros*, inquit, *operarios, Ordo Prædicatorum, magnos, & probitatis & doctrinæ, & animarum ſalutis fructus ſemper olim attulerit, quotidieque afferre cernatur.* A quadringentis annis & ampliùs ſcribit, prædicat, docet, occupat Academias Ordo Prædicatorius, & doctos quæris Authores? Lege, *Caietanum, Ferrarienſem, Sotum, Capreolum, Bannem, Medinam &c.* Non placet doctrina & eruditio Thomiſtarum, quæ tot Academiarum, Conciliorum ac Pontificum aſſenſu comprobata & laudibus elata ſplendeſcit; inconſultis etiam populo, multitudine imperitâ, ac Bibliopolis, qui Tibi Iudices & Oracula ſunt doctrinæ? Conſtat ergò (vt Tuo in Te verbo vtar) vel omnes in orbe hallucinari, Cyriacorum ſcriptiones & doctrinam adeò inculcando & celebrando; vel aberrare à vero, qui illis impegerit ignorantiam. Hâc, Fratelle, viâ inceſſimus, Dominicanos à notâ ignorantiæ vindicantes; quod & Tu imitaberis, dum Ieſuitarum texes Elogia, qui aptiorem merentur Apologiſtam & laudatorem. *Væ qui ſpernis, nonne & ipſe ſperneris? Cum fatigatus fueris contemnere, contemneris.*

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Criminatur Tribunal Romanum circa Cenſuram librorum.

NVlla eſſet in hac parte difficultas, ſi conſtaret quid damnarent Cenſores in libris Ieſuitarum quibus notam inurunt. Appareret enim, non eſſe, (vt plurimum) Authorum inſcitiam, cui Cenſura rependitur; ſed Cenſorum auerſum animum, vel non ſatis illuſtratum intellectum. Nunc autem, quia in regno Fratrum, Cenſura Librorum eſt negotium perambulans in tenebris; ita vt damnetur quidem liber, ſed quid in eo improbetur, arcanum ſit & ſupra Eleuſinia myſteria prematur; timentibus ſibi Cenſoribus a iuſtâ Cenſurâ, ac ſollicitè præcauentibus, ne impegiſſe damnando deprehendantur; non eſt ita facile, ignorantiæ notam amoliri ab eo, cuius liber proſcribitur, vt fieret Lutetiæ, Salmanticæ & vbiuis alibi, vbi apertè exponitur quid in Libro improbetur: Idque conſentaneè ad ius naturæ ac gentium, ne à Pilato quidem violatum, qui Chriſtum patibulo addicens, cauſam addicendi non tacuit, ſic ſcribens: Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum. *Tamen cum denique erumpit preſſa veritas, ſeriùs, ocyùs, quid Cenſores morboſum duxerint innoteſcit; & non Scriptoris ſed Cenſoris ignorantia fit plerumque manifeſta: In quam rem abundamus exemplis, quæ proferrentur ſi liceret per honorem eorum, qui à Cyriacis implanati, honoris Scriptorum leuiſſimâ curâ tanguntur. Igitur tot Cenſurarum in Ieſuitarum libros, cauſa non videtur referri poſſe in Ieſuitarum ignorantiam.* §. 156.

RESPONSIO.

FAcilius eſt Sannionem quam Theologum agere; Hæreticos quam Catholicos imitari, pronâ ad defectionem naturâ. Hæreticorum autem & impiorum iſte mos eſt, ſerias & grauiſſimas Eccleſiæ Inſtitutiones, ludibriis aut tricis adoriri; vt quas eruditis viris extorquere Argumentorum ſoliditate non poſſunt, populo ſurripiant.

ioculari aut cauillanti dicacitate. Sic rudes animi & innocens plebecula circumforaneorum Scriptorum præſtigiis, quaſi magico carmine faſcinatur; peritis verò & Catholicâ animi grauitate valentibus, intolerandum eſt, ſcurrilibus Næniis & volaticâ tricatione pulſari, non tàm Ordinemq; Prædicatorum, quàm ſacram Indicis Congregationem, ipſumque Pontificem, Cenſorum ac Iudicum decreta firmantem. Hæc ſemper Hæreticorum vox querula, Concilia vellicat, quod Scripturæ aut Patrum placita non præfigant condendis Canonibus; traducitque Romanum Tribunal configens libros, ignotâ Authori causâ damnationis. In hoc vnum collimant Transfugæ, vt iniuſtam ſuadeant notationem, niſi notato, ratio defixionis innoteſcat. Vnde non conuenit Te vſitata Hæreticis in ſanctiones illas, verba fugere, quorum ſenſus adamaſti. Verùm, quibus Argumentis probata eſt in Synodo Oecumenicâ Lateranenſi, Albigenſium (ad hanc vocem palpitas, qui es tenellus ad internecionem Patrum Tuorum) aliorumque Hæreticorum damnatio? Conc. Lateran. c. 27. Quibus Patrum teſtimoniis Begardos & Beghinas, pluresque ſimiles confutauit Concilium Viennenſe ſub Clemente V? Quid rationum in Almarici hæreſes editum eſt à Concilio Lateranenſi 4. cap. 2? quid à Conſtantienſi in Vviclefum, in Huſſium, in Hieronymum Pragenſem, Seſſ. 8. 15. 22?

Adeò ne deſipis, homule, vt Tibi damnato ſæpiùs à Tribunali S Indicis, teſtimonij dictionem in Tribunal Indicis eſſe putes? Quis Iudex ſit Innoxius, ſi damnati rei ſententiam & iudicium ſubire cogatur, apud quem, ipſam iuſtitiam tenuiſſe, crimen erit? Quod ſi teſtimonium, accuſationem, reprehenſionem, in eam Congregationem Indicis, quam furenter odiſti, omnes Tibi leges præripiunt, vt furioſo gladium; quid calumniis conuiciiſque indulges, quibus Te potius dedecoras, cauſamque Tuam iugulas, quam Tribunal Iudicis, aut eius Secretarium Cyriacum lædas? Damnati indefeſsè reclamant, nec vſquam importunis queſtubus finis. Iure itaque contentionum materiam, contentioſis & irrequietis præripiunt Pontifices & Concilia: Iure, illis Decreta diſtrictamque ſuæ authoritatis aciem exhibent, quâ humilientur, domentur & audiant Apoſtolum monentem,

Si quis videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, nec Eccleſia Dei. Et alibi grauiùs: *Licet nos aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit.* Quid ſi cauſa notationis, regulariter Authori intimaretur? Hinc querimoniæ, eiulatus, comminationes, inſultus, traducereturque palam authoritas veneranda. Sic in Sorbonam primò laſciuiit Caluinus, Cenſuram in ſe & ſuos hoc titulo, Magiſtralem & tyrannicam indigitans. Idem conqueſtus eſt, ſed verboſiùs Antonius de Dominis, in eamdem Sorbonam, & in Colonienſem facultatem, cùm ab ijs notatus eſſet, vt Tuâ videatur prælocutus linguâ Transfuga Tibi congener. *Diſcutiuntur*, inquit, *Libri vt quis nudâ aſſertione pronunciet hanc vel illam Propoſitionem eſſe hæreticam, nullâ adiectâ probatione ac refutatione. Imò nec Concilijs quidem legitimis Oecumenicis procedentibus credendum eſt, niſi legitimæ fiant in ipſis, rei controuerſæ diſcuſſiones.* Ita Antonius Reſp. in Marc. pag. 15. 1. Cor. 11.

Agnoſce ergò, Petre, verba Tua in viro Tibi non ignoto, paribuſque cum Hæreſiarchâ telis, Te inuadere ſanctiora Iudicum Indicis conſtituta, & reflexo ictu Pontificem; vt dicas cum eodem Antonio, *Simplicibus Cenſuris, quaſi Edictis Imperatoriis inſurgunt: Hoc nunc ſollicitat ipſe Papa anxiè per Inquiſitores, etiam apud Patauium.* Hoc Tu vocas *negotium perambulans in tenebris, Cenſuram librorũ in regno Fratrum.* Quorum Fratrum? Cyriacorum? Nullum eis regnum. Sola congregatis Patribus Purpuratis competit confixionis authoritas: Quos Tu ideò fortè *Fratres* vocas, arrogans Tibi ius Pontificis qui eos, *Fratres* indigitat.

Vlteriùs protenditur petulantia Tua, vt violatum omne ius naturæ ac gentium Romæ, inclames, quod nihilominus Gallia & Hiſpania religioſiùs obſeruent; aperiunt enim, inquis, cauſam notationis, quiduè in libro prohibito configatur. Doles equidem ſcribillationes Tuas repetito ictu confoſſas, ignotâ Tibi cauſâ damnationis, in quo certè Tibi ex gratiâ indultum, ſipario obductis, quæ Tibi incutere debuerant ruborem & timorem. Pilatus etiam, inquis, æquior Romanis Cenſoribus; qui addicens Chriſtum cruci, cauſam mortis præfixit morituro. *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Sapit hæc vox Blaſphema, Caluinum in Eccleſiam & Pontifices furentem. Dementia

itaque Tua ita ingraueſcit, vt potiùs ad Medicos ablegandus videaris, quam Argumentis reuincendus, nec quid optabilius & Auguſtius eſt Cyriacis, quàm Congregationis Cardinalium, ipſiuſque Summi Pontificis iura tueri contra inuolantem audaculum.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Coctos & maturos vult oſtendere libros Societatis, Author Libelli incocti & muſtei.

§. 157. *Non denique licet obtendere damnari crebriùs libros Ieſuitarum, quòd ſint libri incocti & muſtei, vt Sidonius loquitur, quod ſcilicet ſint libri præcoces, & fuſi præcipiti Editione. Nihil horum in libris Ieſuitarum iure notari poteſt. Nam neque cuiuis inter eos ſcribendi otium datur: neque quibus ea facultas obtingit, ſoli ſunt ſcriptionum ſuarum arbitri: ſed multi præterea (tres ad minimum) ingenio & doctrinâ valentes, à maioribus extra vrbem clam Authoribus delecti, lento examine executientes omnia, pronuntiant denique, an liber alia quam flammarum luce ſit dignus; nec niſi ſuperante ſuffragiorum numero, ſit edendi libri facultas. Quid ad eam accurationem iure quis deſideret? Igitur non penes recognitionis inaccurationem, & iuſto feſtinatiorem eductionem in publicum, clades de quâ agimus, libros Ieſuitarum inuoluit. Ac proinde neceſſe eſt, tam frequentis infamiæ cauſas, aliunde repetere quam ex parte Ieſuitarum.*

An ergò cauſæ tam frequentes tundendi grandine infeſtâ Libros Ieſuitarum, ad Cyriacos, à quibus ea moleſtia infertur; aut curatur, ſunt referendæ? Hoc ſi verè dicatur, exquirendum eſt, an apud Cyriacos odium Ie*ſuitarum, aut liuor, aut incommodum à* Ie*ſuitis creatum, cauſam det vexationi; ita vt quod doctus & grauis* I*udex, (quippe murice tinctus) qui omnia quōminùs perſpexerat, de libro quodam damnato aſſerebat, de alijs quoque* I*eſuitarum libris exagitatis ſit dicendum;* perſecutionem illam non fuiſſe Libri, ſed Authoris. *Attingamus obiter ſingula.*

RESPONSIO.

DVm Argumenta deficiunt, pullulant nugamenta, quæ nec reſponſionem expectant nec merentur. Expediam paucis, & *ſicut plena vento veſicula detumeſcit, ſi acu modicâ perforetur, ſic vno verbulo de follibus imperiti gutturis, ventum loquacitatis excutiam*; adigamque ad ſilentium imperitum Nebulonem, propriâ garrulitate elinguandum. Meum non eſt pronuntiare, num illi duo vel tres, examini librorum Societatis præfecti, munere ſuo rectè defungantur; penes Cenſores & Indicis Patres iudicium eſto, cumque illi protulerint ſententiam, approbaritque Pontifex; *à Sede Apoſtolicâ reſcripta venerunt, cauſa finita eſt.* *Petrus Bleſenſis, Ep. 91.*

Verùm quæ ſapientia Tua, bardiſſime hominum, velut priuilegium aliquorum obtundere, quod impoſita & æquiſſima neceſſitas effecit commune omnibus, quæ in publicum eduntur, Lucubrationibus, nomine Authoris ac Typographi inſignitis, tres vel ſaltem pati duos Examinatores idoneos, & ſæpiùs externos, quos rei domeſticæ fauor non obcœcarit: quo non obſtante, plures libri pari accuratione ventilati, proſcribuntur & confixioni ſubiacent? Impertinens itaque Tua illa exceptio. (Te ſolum vexo.) *Quid*, inquis, *ad eam accurationem iure quis deſideret?* Dic nobis Petre; Scriptiunculæ Tuæ toties confixæ, Triados-ne illius accuratiſſimæ examini patuerunt? Vnde ergò repetenda cauſa infeſtæ grandinis quâ toties fuerunt contuſæ? Imò Tenebrio iſte Tuus, quem vexare nos adegit, non ſcripti aut Scriptoris meritum, ſed caſtiganda procacitas, incoctus & muſteus cur omnibus appareat; atque etiam poſt decimum inceptæ ac infœlicis parturitionis annum præcox & præcipiti editione fuſus, cur nullius Approbatoris præfert ſuffragium? Poterant equidem decennali indagine ac examine lento delecti Cenſores excutere omnia, vitareque cladem, (Attende quam aptè Tuis Te verbis conficiam) quâ meritò inuolutus, alia non fuit luce dignus quam flammarum, ex duplici Senatusconſulto combuſtus in Galliâ, quæ ei commodauit ſordentes cunas & flammans ſepulchrum, qui iam Romæ in Programmate infami pependerat inter flagriones & furciferos.

Datum eſt Tibi decennale ſcribendi otium, fuiſtique miſerrimæ ſcripturitionis ſolus Arbiter, vt ex ore Tuo iudiceris nequam. *Exiſtimaſti inique quod, ero Tibi ſimilis, arguam Te*, ex Te, *& ſtatuam Te contra faciem Tuam* Vt ex verbis Tuis reuincaris, tundendus grandine infeſtâ, ſed nunquā ſatis numeroſâ hæc accipe. Docti ac graues Iudices vtriuſque Parlamenti, ſeu Senatus Toloſani & Aquenſis, *quippe muricè tincti* (ratio ridicula; quaſi quis grauis & doctus exiſtat quia murice tinctus: cum & primus Apparitor in vtrâque Curiâ literarum rudis, murice tamen tinctus incedat, & pagi cuiuſque popularis Magiſtratus, licèt ignariſſimus, aſſumatur illo anno ad purpuram:) omnes Libelli Tui famoſi apices cominùs perſpexerant antequam damnarent, aſſeruntque adhuc irrogatam duplicem illam combuſtionem, fuiſſe iuſtam vexationem libri & Authoris, &, (ſi capi potuiſſet Petrus à Valle-clauſa) par ambuſſiſſet flamma, quos par infecerat culpa. Hæc de Tuo in Te retundenda erant, vt ipſemet funem necteres, quo eras ſtrangulandus. Cæterùm Satyram meditatus Petrus aduerſus Cyriacos, fabricatus eſt Apotheoſim, quibus, velut diuinâ poteſtate præfulgentibus, plenam tribuit authoritatem fulgurandi, tonandi, grandinandi, vibrandi fulmina, & tundendi infeſtâ grandine quos voluerint. Sic inſaniebant olim Ethnici, teſte Tertulliano in Apologetico, dum tempeſtatum, procellarum, grandinum, fulminum, inundationum, peſtis, bellorum, omniumque quæ genus humanum exagitant, calamitatum, cauſam in Chriſtianos cæco furore refundebant. Optandum Tibi certè fuerat, Valcluſine, vt dum miſellum hunc fœtum emitteres, grando numeroſa calamum manumque Tuam contudiſſet, ne dares luci publicæ partum quouis monſtro fœdiorem. Similes

Apol. c. 40. Tibi Gentiles, *prætexentes ſanè ad odij defenſionem, illam quoque vanitatem, quod exiſtiment omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi, Chriſtianos eſſe in cauſâ. Si Tiberis aſcendit in mœnia, ſi Nilus non aſcendit in arua, ſi Cælum ſtetit, ſi terra mouit, ſi fames, ſi lues, ſtatim Chriſtianos ad Leonem. Tantos ad vnum?*

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Cano affingit odium in Societatem, & irrogata ab ipſo probra Ieſuitis.

ODiorum inter Cyriacos & Ieſuitas ſementem, primus, aut è primis vnus, fecit alpha penulatorum F. Melchior §. 158.
Canus; qui etiamnum hærens in Cœnobio Salmanticenſi, horrendam procellam in Ieſuitas excitauit, vt latè deſcribit Nicolaus Orlandinus lib. 8. Societ. à numero 44. poſtea verò idem Canus, vt narratur l. 13. eiuſdem hiſtoriæ n. 33. quòd apud Principem offendiſſet, dejectus Epiſcopatu Canarienſi ad quem aſſumptus fuerat, exarſit vehementer in Araozium Ieſuitam, quem ſibi in aula offeciſſe ſuſpicabatur; & paruum ac ſuis animis indignum ratus in vno ſiſtere, ad omnes eiuſdem Inſtituti perſonas, diffudit vires; eò acriores quò hominis præfractum ingenium prætensâ nec niſi acceptâ occaſione proritatum, efferbuit violentiùs. Itaque ad veteres querelas, & antiqua in Ieſuitas probra, quod Ignighiani (ſic ab eo appellantur Ieſuitæ) eſſent antecurſores Anti-chriſti & illuſores nouiſſimorum temporum ab Apoſtolo pronuntiati; quæ omnia idem Canus de cœnoſis ſcrobibus Guillelmi à S. Amore petita, & in ſuum Ordinem iactata, S. Thomas Opuſc. 19. cap. 24. & 25. retulit, tanto poſt in Ieſuitas intorſit. Ad ea, inquam, exoleta probra, irritatus ſubſecutâ dejectione ſua Canus, addidit nouas nenias; nimirùm de herbâ pudicâ, quâ aſſiduè inter fœminas, puritatem in tuto locarent: de majore peccandi licentia ex non aſſumpto cucullo captata; de aliis denique gerris notas, (vt ipſi quidem videbatur,) Emiſſariorum Antichriſti præferentibus. Inde odiorum in Ieſuitas ſemina, inter ſuos copioſa geſſit, quæ aliquorum eiuſdem inſtituti virorum proborum, & ſapientiâ illuſtrium, vt Bartholomæi Torrenſis, Bartholomæi de Martyribus, Ludouici Granatenſis, flagrantibus ſtudiis prohiberi propagatione nequiuerunt. Franciſcus ipſe Romaus, furente Cano Magiſter Ordinis, fortibus literis, Roma datis lenire & ad officium reuocare hominem conatus, luſit operam: Nam ſemper Canus & qui ei ſubaſcrant in concepto ſemel iudicio & eius Iudicij ſtutice, auerſione à Ieſui-

tis, obdurnerunt. Et dubitari de Cano potuit, an in morte quoque animum mutarit.

RESPONSIO.

VNo Tenore duplicem implicas diſſidiorum fomitem, valdè ſejunctum: odium commune Cœtus in Cœtum, Religionis Dominicanæ in Societatem Ieſu; odium ſingulare Melchioris Cani in Ieſuitas, & ex vtroque capite deprehenderis nugiuendus procax, irreligioſus Religionis traductor. De ſecundâ parte querimoniæ nihil attingam, cùm amplo ſermone, altoque ſpiritu cuncta exſufflauerim §. 22. penuriæque mixtus furor cogit Te recoctam crambem iteratò propinare, inſertis nouis commentis, de dejectione Cani à Sede Epiſcopali; de Romæ Generalis literis ad eum increpatoriis, & ſimilibus fabellis. Circa primam itaque, breuis depulſio inſtauratur, calumniam euacuans; confringetque Nebulonis effrontem petulantiam, qui duos Ordines Religioſos ſatagit inuicem collidere. Negotij itaque cardo in eo verſatur, num inter Ieſuitas & Cyriacos quædam emicuerit ſcintilla liuoris, aut accenſo odij fomite flamma exarſerit; quos in aliquo, doctrinâ diſſitos non abnuo; ſcio tamen Chriſtianâ ac Religiosâ charitate implexos. Vnicum dari in omnibus hominibus intellectum, Auerrois error damnatus: Chriſtianorum omnium olim fuiſſe cor vnum & animam vnam in Domino, dogma Chriſtianum; comprobataque multiplici experimento veritas, ſub colluctanti doctrinâ, vnicum vigere charitatis affectum inter Ieſuitas & Dominicanos. Quanto tenellæ amicitiæ conatu erga Fratres Prædicatores Ieſuitæ æſtuent, quid probatione indiget, cum vniuerſus teſtetur orbis, cui Iudicium relinquimus? Nec minori erga Societatem ardore incenſos Prædicatores probant celebriroa Conſtitutionum placita.

Si quidem Valentiæ in Hiſpania an. 1596. Admonitione 4. Capituli ibidem celebrati habetur; *Admonemus omnes Fratres Ordinis noſtri; pariterque in Domino hortamur, vt fraterno ſinceroque affectu proſequi velint Religioſos omne, cum quibus ad eumdem finem tendere debemus. Specialiter verò eos, qui inter reliquos non ſegniter laborant pro Fide Catholicâ tuendâ, & ſalute animarum procurandâ, Patres*

ſcilicet Societatis Ieſu, quos plurimùm inter cæteros illis commendamus (Attende Petre, ſingularem affectum) *optantes vt operibus, interna affectionis & charitatis teſtimonium reddant, eiſdem vbi poterunt inſeruiendo, nullo verò pacto, verbo vel facto offendendo, talis ſi quidem offenſa ſi (quod abſit) occurrit, ſeueram mandamus à Prioribus & Prouincialibus vindictam ſumi, grauiter puniendo offendentes. Quod ſi non egerint, & Reuerendiſſimus Pater Generalis id reſciuerit, delinquentem puniet, ſimul atque ipſos à ſuo officio abſoluet.* Adhuc fortiùs in Capitulo generaliſſimo Romæ celebrato an.1644.Ordin.21.*Ordinamus ac omnibus Religioſis curæ noſtræ ſubiectis diſtrictè præcipimus, vt quemadmodum Chriſtianâ charitate tenemur omnes Dei ſeruos, ac quorumcumque Ordinum Religioſos, potiſſimùm Mendicantium, quos aut Eccleſiaſtica vitæ cultura, aut ſanctioris vitæ profeſſio nobis æquales reddit, omni honore atque amore proſequi, omniaque eis hoſpitalitatis obſequia præſtare: eadem ſollicitè in RR. PP. Societatis Ieſu benignâ cum humanitate impendere conentur. Horum & perſonas ſingulas, & Societatem totam benigniſſimè & religioſiſſimè colant ac venerentur? & tàm intùs quàm foris, vbi de eorum ſancto Inſtituto, modo viuendi, & regimine ſermo inciderit; adeò circumſpectè & honorificè de eis loquantur, vt tota Chriſtiana Reſpublica noſtri in eos compenſiſſimi amoris teſtimonium reddere queat, & vt ipſi ea in nobis charitatis eximia officia beneuolentia viſcera experiantur, quæ viros Apoſtolicos decet, quorum quamuis non vna ſemper in ſentiendo mens; voluntas tamen & cor vnum ac anima vna in Domino, nunquam, vt deſit, oportet.* Hæne ſunt vocales iræ, publica Cyriacorum in Societatem odia? Exaſperatos itaque in communem ruinam hos ſacros Ordines quid affingis, Impoſtor contumax?

Quatuor Cyriaci, quos à communi Sodalium in Ieſuitas odio ſegreges inducis, viri vtique doctrinâ eximiâ & virtute ſingulari præcellentes, Bartholomæus Torrenſis, Bartholomæus de Martyribus, Granatenſis, & Franciſcus Romæus, exprobrant Tibi amarulentum quem in vniuerſum Ordinem, cuius ipſi membra ſunt, acuiſti ſtylum, inſimulans eum Ignorantiæ à primo ad vltimum, Inuidiæ, Rancoris, Impoſturæ, Tyrannidis, Hæreſeos, ſupremæ Impietatis; ipſeque Canus, quem canino dente proſcindis, Te iiſdem verbis compellit ad reſipiſcen-

tiam, quibus Auguſtinus Iulianum Pelagianâ hæreſi laborantem: *Quid nomen niteris dilaniare meum*, & Bartholomæum de Martyribus ac Torrenſem, ſimulque Ludouicum Granatenſem (quos, vt debebas, præcellenti extuliſti Encomio, (*facis, tacito eorum nomine*, Hæreticos, irrogans corpori cuius ipſi partes ſunt, & cuius ſpiritu ſemper afflati, notam hæreſis Caluinianæ? *Cernis nempe cum quibus Tua maledicta ſuſtineam, cernis cum quibus mihi cauſa ſit communis, quam nulla conſideratione ſobria pulſare calumniis & expugnare conaris? Cernis quàm Tibi pernicioſum ſit, tàm horribile crimen obiicere talibus* (quibus debes adiungere Petrum Martyrem, Thomam Aquinatem, Antonium Florentinum, Vincentium Ferrerinm, Hyacinthum, Raymundum, Ludouicum, Ambroſium, & cæteros mei Inſtituti alumnos ac Cælites) *& quam mihi glorioſum ſit, quodlibet crimen audire cum talibus? Si cernis, cerne, & tandem tace, Pelagianam linguam tot linguis Catholicis deprime, tot venerandis oribus proterua ora ſubmitte. Si ſcholam Xenocratis ſicut Polemo ex antelucano conuiuio temulentus intraſſes* (quàm bellè Petre, iſta Tibi congruunt, qui libellum Tuum inter pocula claudis, plenas vini cuppas propinans) *non tantâ, quantâ in iſto Cœtu tot Sanctorum, deberes verecundiâ coerceri. Hic enim certè tantò maior debet eſſe verecundia, quantò verior addiſcitur ſapientia. Tantò ampliùs reuerendi ſunt tot memorabilium Epiſcoporum* (Antonini, Archiepiſcopi Florentini, Bartholomæi de Martyribus, Archiepiſcopi Bragenſis) *quam vnius Xenocratis vultus, quantò Platone Xenocratis doctore, doctor iſtorum, maior eſt Chriſtus... Introduxi Te ſedandum atque ſanandum, non in alicuius Philoſophi auditorium, ſed in Sanctorum Patrum pacificum honorandumque Conuentum. Sit opera pretium, obſecro Te, aſpice illos* (quos iam laudaſti) *quodam modo aſpicientes Te, & manſuetè ac leniter dicentes Tibi: Ita ne nos Fili* Petre, Caluiniſtæ *ſumus? Rogo, quid reſpondebis? Quibus eos oculis intueberis? Quæ Tibi argumenta ſuccurrent? Quæ Ariſtotelis Cathegoria, quibus vt in nos velut artifex diſputator inſilias, videri appetis elimatus? Quæ tuorum Argumentorum vel acies vitrea, vel plumbei pugiones in illorum conſpectu exerı audebunt: Quæ abs Te arma non fugient, nudumque deſtituent? An forte dicturus es, neminem illorum Te in iſto crimine nominaſſe: Et quid facies cum Tibi dixerint,*

(Aquinas,

(Aquinas, Petrus, Antoninus, Hyacinthus, Raymundus, omnes Cælites; Barth. Torrenſis, Barth. Bragenſis, Lud. Granatenſis, quorum encomia celebraſti) *Tolerabilius dente maledico Nomina concideres noſtra*, quam Religionem noſtram, *quam Fidem noſtram, cuius merito in cælo nomina ſcripta ſunt noſtra.* Fidem autem noſtram concidiſti, dum Religionem noſtram criminatus, dixiſti hæreticam.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Abreptos in Ieſuitas Inuidiæ œſtro fingit Cyriacos, ipſe Inuidiâ depaſtus in eos.

R*Ebus Societatis Ieſu inter multa aduerſa (vt fert ſtylus diuinus;) ſemper florentibus, odium per Canum Sodaleſque conceptum, accreuit per Inuidiam; quam proſperitas aliena facile conciliat, & odio annectit. Vnde Philoſophus,* Inuidiam eſſe odii particulam, *dixit. Inuidia autem tabificum malis venenum, quos ſemel corripuerit, efferat (vt S. Baſilius diſſerit) & praeocupato affectu propè exoculat; ita vt liuido motu aliena facta ſuo colore tingente (iuxta praclaram Petri Cellenſis obſeruationem Epiſt. 158.) obuerſentur* Inuido, *longè alia, quam re vera ſint facie; & deteſtatione ac incenſiore ſemper odio, digna appareant* Itaque *Cyriaci non pauci, in tanto licet rerum ſuarum ſplendore ad promicantem Ignaticorum lucem in dies adultiorem cacutiuerunt. Et fuiſſe de eis aliorum ſimilem querelam, quod* Inuidia *tangerentur, & liuore in viros famâ claros vrerentur; Eleutherius Bizenus in triumpho Capnionis, his verbis cecinit, poſt tres Cyriacorum Eumenides in Reuclinum, ſiue Capnionem furentes, deſcriptas, annectens hanc quartam.* §. 159.

Quarta loco, miſera Inuidia eſt, turpiſſima rerum,
Non deſpecta tamen, ſed culta frequentibus aris.
Dominici primo dignantur honore Sodales.
Ipſa aſcendenti ſimilis ſummumque petenti,
Torua, minax, truculenta, furens, niſi pelle tegatur,
Oſtea, macra genas, neglecto pallida ſomno,
Triſtis, inops, ſine vi ſemper, mœſtiſſima ſemper,
Prompta nocere bonis, alieno læta dolore,

Læta malo;cumque haud poſſet, quos perdere vellet,
Quaſſatos acuit tacito ſub murmure dentes.
Sanguinis huic nihil eſt,nihil intra viſcera ſucci:
Felle viget ſolo, piceique alimenta veneni,
Eſuriem vincunt. Sed cum ſine tegmine tres ſint,
Hæc ferrugineo ſola eſt velamine cincta.

Tres ſine tegmine Cyriacorum Furia, quas prius deſcripſerat, ſunt Superſtitio, Barbaries, Ignorantia. *Quarta, qua ſola cupit latere, zeli ſpecie, ipſa eſt Inuidia, quâ maximè flagrare Cyriacos, ait hic Poeta, deſcribens Fratris Hogoſtrati Cyriaci furores in Reuclinum. Sed idem de omnino multis Cyriacis, (planè omnes quis auſit dicere, cùm contrarium liqueat de Franciſco Romao, Ludouico Granatenſi, Bartholomao Torres, Bartholomao de Martyribus & aliis quibuſdam?) de omninò itaque multis Cyriacis ſimiliter in Ieſuitas animatis, ac in Reuclinum Hogoſtratus, idem dicere candidè liceat, laboraſſe nigro liuore in Ieſuitas. Inflammauit verò licentia, pectora aliunde quoque excerbata, creſcens in dies Doctrina fama, quam ad alios diffundi, male habebat Cyriacos, de eius Regno illuc vſque gloriatos. Conſperſere denique ignibus adipem Ieſuita, cùm arietaſſe Cyriacorum placita ſunt viſi: præſertim verò cum excuſſo iugo, nec vltra morati Traditiones Cyriacorum, ſententiam de Prædeterminationibus libertati humana ineluctabilibus conuulſerunt; in quo ſua ſapientia arcem tentari moleſtiſſimum Cyriacis accidit. Sed & nitentiſſimam Magna Matris* Conceptionem, *quam à ſuis cunabulis Societas Ieſu ſtatuente Ignatio Parente, omni ſtudio tuendam & illuſtrandam ſuſcepit; Cyriacorum ſtomachum vehementer in Ieſuitas emouiſſe in confeſſo eſt.*

RESPONSIO.

Evacuata telis eſt iam pridem pharetra Tua, Petre, nec ſupereſt quod intorqueas præter nugas & nænias, admixtis interim riſui eiulatibus. Ea omnia quæ obtrudis, ex dictis in fumum & vmbras abeunt. Quid ergò reſpondeam nihil noui ingerenti? *Paſcis ventum & ſequeris æſtum,* *Oſea, cap. 2.* *tota die mendacium & vanitatem multiplicas.* Conceptum inquis, à Cyriacis in Ieſuitas odium, accreuit per Inuidiam. Repellunt ſine dubio & damnant hoc inſolens verbum, humillimi Patres Societatis, nec in eorum laudes

rabido furore conanti adſtipulantur. Verum lubet compeſcere imperitam petulcitatem eius, qui non *odij particulam*, ſed integram veneni maſſam in corde ſuo recoxit; nempe furentem Inuidiam in Dominicanos; eo quod inter varios Pontificiæ authoritatis Adminiſtros, primos Curiæ Romanæ honores obtineant, de quo totâ ſequenti Diatribâ queritur & eiulat. Si enim Cyriaci Ieſuitas amicos habent (vt verè habent) non Inuidiâ depaſcuntur ob florentem Societatis ſtatum, ſed verâ charitate congaudent amicorum fœlicitati: ſi inuitos & hoſtes, vt falsò obgannis, generoſa Dominicanorum natio, cum Gigantibus & Heroibus cupit inire certamen, certa, tantum ſibi detrahi gloriæ, quantum aduerſariis deperierit virium & fortunæ. Non itaque inuident, ſed congratulantur eis ſyncero cordis affectu, proſperitatis propriæ magnitudinem, alienæ incremento metientes. Quid autem Cuculorum more, idem perpetuò recantas carmen; Reuclini Lutheri Præcurſoris, Romæ notati, Coloniæ Agrippinæ in Operibus ſuis combuſti, refricans memoriam verſibus Eleutherij Bizeni ementiti; & veriùs, ipſius Reuclini ſub laruâ latentis, propriumque de Cyriacis, præcinentis triumphum, modeſtiâ propè Hæreticâ? Vere Cuculinum carmen, tetrum, funeſtum, ominoſum, & neſcioquid grauius capiti Tuo portendens. Præſtaret & Te ipſum eſſe Cuculum aliena fouentem oua; quam adeò flagitioſis ſcommatibus, ac futilibus mendaciis pagellas implere, integerrimumque Ordinem, tam malis auibus oppugnare, obtrudentem carmina modò Lutheri, modo Capnionis Præcurſoris Lutheri quem §. 135. vtroque pede protriuimus.

Nec certè mirum, quod tam ſolutâ, quàm metricâ Proluſione efferueſcat perſonatus Capnio in Hogoſtratum Inquiſitorem Colonienſem & Cyriacum; cuius decretò Lucubrationes Capnionis, Coloniæ notatæ ſunt, damnatæ & igni addictæ. Quid ergò, non triumphum, ſed patibulum, ſed rôgum Reuclini feralem commemoras? Verùm demus aliquid dolori eius & Tuo, ac vtriuſque æqualiter miſerandæ ſorti indulgentes, breui commentario, Capnionis Cuculinum Carmen expendamus: hâc tamen lege, Fratercule, vt fraternâ charitate diuidentes prædam; ex 14. verſibus, ſeptem Priores adaptentur Cyriacis; cæteri, Tibi. En itaque myſticam Paraphraſim. *Quarta loco, miſera Inui-*

dia eſt. Inuidiam Transfugæ vocant zelum Apoſtolicum Catholicorum in Hæreticos, eorumque fautores, qualis eſt Reuclinus, vt ſupra euicimus §. 98. & 135. *Turpiſſima rerum.* Ab effectu, quia turpiſſimum oſtendit Capnionem, zelus Hogoſtrati; dum ob incluſas fœditates combuſti ſunt eius Libri. *Non deſpecta tamen, ſed culta frequentibus aris.* Hâc enim damnatione tantum ſibi nomen conciliauit intrepidus Fidei Quæſitor, vt communi Orthodoxorum congratulatione & elogio, exinde celeberrimus haberetur; quod & damnatus Capnio, veritate vrgente adactus fatetur dicens; *Dominici primo dignantur honore Sodales.* Claruit enim nouo gloriæ ſplendore Ordo Prædicatorius ob illud zeli facinus percelebre, non parcens Primoribus viris, vbi de Fide ac Religione inſtat periculum. Quod innuens ſubiungit; *Ipſa aſcendenti ſimilis ſummumque petenti.* Quem zelum, vt inuictum & intrepidum denotet ſemiuſtulatus & dolens Reuclinus, minacem vocat, toruum, truculentum, furentem, nullique parcentem in præiudicium veritatis: *Torua, minax, truculenta, furens.*

Deſcripto Cyriacorum zelo Apoſtolico; vitam eorum, ſeu auſterum vitę genus, laudat ex perpetuâ Abſtinentiâ carnium & ieiunio ferè continuo, quibus ſiccata pellis, oſſea videtur. Genæ macræ & marcidæ; neglecto ſomno, vt Orationi & nocturnis Officiis vacent, pallida & triſtis facies. Vnde ſubdit, *Niſi pelle tegatur oſſea, macra genas, neglecto pallida ſomno, triſtis.* Vltrà; *inops*; voluntariæ paupertatis praxim eleuat; purgatque Cyriacos notâ Tyrannidis quâ tu eos oneraſti. Vnde ſubdit: *Sine vi ſemper,* ſeu ſine violentiâ. En, Petre, primam Commentarioli faciem: altera ad Te ſpectat: quidni? præſagiunt Poëtæ. Deſcribitur ſi quidem ab eo, liuor ille veſanus quo in Dominicanos æſtuas, qui Te pallidum efficit, promptum ad nocendum; hilarem dum potes probrum aliquod affingere Cyriacis. Quod indicans, ait de animulâ Tuâ; *Mæſtiſſima ſemper, prompta nocere bonis, alieno læta dolore, læta malo*: Hæc enim Tibi mens, dum nocendi facultas aut occaſio ingeritur; *Cumque haud poſſet quos perdere vellet, quaſſatos acuit, tacito ſub murmure dentes.* Ita enim Te liuor ille exſiccauit, vt nihil Tibi ſanguinis, nihil ſucci reſiduum, præter fel & venenum odii quo paſceris & viuis. Vnde ait, *Sanguinis huic nihil eſt, nihil intra viſcera ſucci;*

felle viget ſolo, piceique alimenta venent, eſuriem vincunt. Fingis tamen Te ex zelo Iuſtitiæ, non Inuidiæ œſtro, miſellum Tuum fœtum proieciſſe potiùs quàm emiſiſſe in lucem, vnde velas & contegis Inuidiam, quá afflatis, ne appareat. *Sed cum ſine Tegmine tres ſint, hac ſer·u·tneo, ſola eſt velamine cincta.* Quàm bellè Te depinxit, Poëta Poëtaſtrum! Conſolentur itaque Te Collactaneæ tres Furiæ, *Superſtitio, Barbaries, Ignorantia*, cordi Tuo implantatæ. Quod ſubdis de Prædeterminationibus, centies recantatum eſt & exploſum: De Regno verò Scientiæ, ſequens Paragraphus latè proloquetur.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Fingit Regnum Scientiæ à Dominicanis ad Ieſuitas demigraſſe.

ACceſſit poſtremò ad anteriora odiorum incentiua, timoris quem timebant haud ſerus euentus; nimirùm quod per Iuuenes depontani facti ſunt ſenes. Noui, inquam, iſti recenteſque, antiquorum luminibus offecerunt. Regnabant ſcilicet antea Cyriaci in Scholis atque Suggeſtis. Si quod dubium exoriretur, ad eos referebatur vndecumque. Per exortum verò Ieſuitarum, nonnulla fieri cœpta eſt tanti principatus deceſſio; non omnibus deinceps Conſultoribus ſola Cyriacorum oſtia pulſantibus. Et accreuit acoris materia, quia aliis pleriſque ſacris familiis, Ieſuitarum exemplo excitatis ad ſacra literaturæ ſtudia diligentiùs excolenda, corriuarunt ipſæ quoque in ſuas areolas Doctrinæ latices; vnde Cyriaca Dyorix, quæ antè videbatur trames aquæ immenſæ de Fluuio, parcius fluxit; & diuiſus in multos ad ſapientiæ aquas concurſus, minor factus eſt apud Cyriacos. Hinc illæ lacrymæ, & à primis detritionis priſtinæ gloriæ Authoribus & auerſiſſimus animus, nigerrimis effectibus, (quoties dare ſe viſa eſt qualiſcumque occaſio,) teſtatiſſimus. Et tentarunt quidem aliquoties ſummi Ordinis Præfecti, poſt Romaum (de quo ſuperius,) odia extinguere, charitatem reaccendere, Vnum excipio Baptiſtam de Marinis, de quo pluribus Author Hiſtoriæ Marinianæ, ſiue Commentarij in nonum Titulum Iuris Canonici de Monacho per ſaltum promo- §. 160.

to. Hic enim homulus, poſt annos vnum ſupra viginti extra Cænobium, pleno ſui arbitrio, abſque vlla regulari diſciplina exactos, ne ſub Prioris quidem munere in Religioſo ſtatu functus eſſet, ſubitò per ſcandulas ſecularis potentiæ, ad ſummum Ordinis verticem, ſaltu inſolentiſſimo euaſit. Si hunc ergò vnum excipias, qui nullam vnquam prætermiſit nocendi & incendium odiorum amplificandi occaſionem; cæteri alias ſæpe numero cogitationes cogitauerunt; ſed caſſâ ferè operâ. Nec ità pridem, cùm Nicolaus Rodulfius, priuſquam illideretur, & Mutius Vitelleſcus ad ineundas ſolida concordia rationes conueniſſent, (vt Paulus V. commendauerat;) ingerente Mutio mentionem literarum pacificarum, in eam rem ad ſuos ab vtroque exarandorum. Faciam, *inquit Rodulfius*, ſed cum eo abs Te diſcrimine; quod ſcribes Tu & dicto audientes habebis Tuos: ſcribam ego & audiar ſicut qui ſurdis canit.

RESPONSIO.

INitiis ſuis rerum exitus & euenta reſpondent, debuitque eodem ſpiritu quo aperuerat, claudere Theatrum nugiuendus Nebulo. Scenam inſtituit vltimo hoc nonæ Diatribæ Paragrapho, quam ſi Comicam ac Mimicam dixeris, à veritate non aberrabis. Prologum exhibet Arcadica ſupinitas; Hiſtoricum rej proponendæ apparatum adornat Impoſtura publica; vt tandem Epilogo Momico Comedia deſinat & claudatur. Segreges omninò volo fieri à ludicrâ Pſeudo-Petri diſſertatione Patres Societatis, quos inconſultos introducit Scurra inſolens; vt acriori calamo, Ludionis impudoratos aſſultus contundam. Per iuuenes, inquis Petre, depontani facti ſunt ſenes, occæcarunt patres filij, & præualuere ſenili prudentiæ, inexperta iuuenum conſilia. Diſpeream, niſi miſeranda cerebelli Tui euolutio, proſtrata quoque Tibi omnia naturæ, prudentiæ ac Religionis jura ſuggeſſerit. Infœlix ergò ſenectus, quam laſciuiens pueritia amandat in exilium! Infœlicior prudentia, quæ debitæ maturitatis tempora præuertens, ſubitò naſcitur, nunquam excolitur; oculatiorque fingitur iuuenilis petulantia, experimentis ac periculis tentatâ canitie! Infœliciſſima Religio; exemplo Roboami poſteros inſtruens, cui procax iuuentus paternum

Regnum ferè totum abſtulit, eiurato priùs Senum conſilio. Ne dixeris itaque, Nebulo, Nouos Recenteſque Antiquorum luminibus officere; ſed ſapientiùs affirmaueris, ex Antiquorum luminibus, Nouos Recenteſque proficere, vt ſic reuereatur venerandam Antiquitatem, quæ in Te & de Te ludit laſciuiens Iuuentus octogenaria, Antiquitas puerilis.

Nugamentum itaque, non Argumentum propoſuit ipſa Argumenti proluſio; quam ſequitur Regius Scenæ apparatus, ipſumque ſcientiæ ſceptrum varios imperij Candidatos experitur. Fateris ingenuè (quod rarum tortuoſo Impoſtori) vſque ad exortum Societatis, regnaſſe Cyriacos in Scholis ac Suggeſtis, fuiſſeque apud eos quaſi publica orbis oracula: ſed nouis exortis ſyderibus, ſubitâ Ecclypſi, antiqua caligaſſe, diuiſaque, vt inquis, in varios ſinus tanti fluminis inflata Majeſtas, exſiccatum tandem aut ſaltem altè depreſſum alueum, tranſlato ad Ieſuitas doctrinæ Imperio; & hinc lachrymæ (vt garris) hinc acores, hinc turbulenti aſſultus ſpoliatæ Maieſtatis, in affectum aliis, Scientiæ Regnum. Papæ! res magna agitur: pro Regno adipiſcendo depugnatur, & quod mirere, ſi violandum ius, regnandi causâ; volunt tamen Cyriaci à ſe violari ius, non regnandi causâ, ſed vt aliis ius regnandi obtingat. Eoque lubentiùs, quo, ex aſſerto Ieſuitis in re literariâ Regno, non decreſcat, ſed augeatur, emicet & noua dignitatis acceſſione effloreſcat antiquum (quod Tu agnoſti) Cyriacorum in Scholis & Suggeſtis Imperium.

At quid hoc eſt? Audio Te ſubmurmurantem. Muſſitas tanti principatus aliquam, imò notabilem deceſſionem factam ab exortu Societatis; pleræque enim, vt ais, Familiæ ſacræ, iugum Dominicanæ Scholæ excuſſerunt, & ſubripientes ſe eorum Imperio, aliam ſubiere ditionem; & diuertentibus aliò qui conſulerent, ſola Cyriacorum & ſolitaria oſtia patuere. Quæ illæ familiæ? Nouimus illas, nec adducere durum, cum ex breui earum inductione veritas comprobetur; quaſque §. 4. expoſuit amplo & fideli contextu. Sacer S. Auguſtini Ordo ſequendam præcipit ſuis doctrinam Ægidij Romani Auguſtiniani: *Vbi verò huius ſcripta non repeiuntur, ex D. Thomæ doctrina ſuppleatur.* Conſtitut p. 5. c. 2. de officio & authoritate Magiſtri Regentis. Fuerat autem Ægidius quondam diſcipulus S.

Thomæ, eiuſque doctrinæ propugnator acerrimus, edidit-que librum cui titulus, *Defenſorium aduerſus corruptorem, ſeu impugnantem doctrinam D. Thomæ.* Congregatio S. Saluatoris Lateranenſis Canonicorum Regularium eiuſdem S. Auguſtini, item Congregatio Gallicana idem præcipiunt, vt ex præfato §. 4. conſtat. Sacer Patrum Carmelitarum Reformatorum Ordo, Prouinciæ Turonenſis, prælegendam imperat Summam D. Thomæ. Piiſſima Carmelitarum Excalceatorum Religio, ardentiùs Thomiſtica, quàm ipſi Thomiſtæ. Regalis & Sacer Ordo B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, cum ſuo Zumel, arcendum à gradibus Ordinis iubet, qui doctrina D. Thomæ apprimè non fuerit imbutus. A tribus annis, Charitatis ſignifer Ordo Sacer Minimorum, in Comitiis Generalibus Barcinone celebratis, D. Thomam in Doctorem ſuum aſſumpſit, Conſtitutione authentica, ablegatis procul doctrinis nouitiolis ac peregrinis. Barnabitæ, PP. Doctrinæ Chriſtianæ, Preſbyteri Oratorij, eiuſdem doctrinæ & imperio vltroneas dant manus. Quæ ergò illa antiqui principatus deceſſio? Imò facta vltimis ſæculis grandis acceſſio; ſacra enim Societas Ieſu, quæ iuxta verbum Tuum, Regni literarij ſibi coronam aſciuit, (ſicut & præfati Cœtus Religioſi ac ſacri, proprio intra ſuos fines gaudent Regni titulo, habentque quilibet ſuum Regem ſingularem & domeſticum, Ægidium Auguſtiniani; Zumelem Mercenarij &c. Tot Principatus quot Scholæ.) Ex præſcripto S. Ignatij variatumque Congregationum decreto, liberrimoque Alumnorum affectu, Angelico ſe Doctori in Theologicis ſequendo, ſubmiſit. Ita vt coronatis præſideat, velutque tot Regnis ac Regibus, quot ſunt Familiæ ſacræ, & Scholæ, Monarcha imperet Doctor Angelicus; de quo propterea velut de Ioue in Regno literario imperante cecinisse videatur Poëta. *Reges in ipſos Imperium eſt Iouis, cuncta ſupercilio mouentis.* Horat. Quotquot enim ſeorſim imperant in Philoſophico, Theologico & Scripturarum intelligentiæ Principatu, Thomæ proni colla inflectunt. Huius Monarchæ ſupra Reges dominantis Imperium non detrectat, ſed lubens & gratanter agnoſcit & ſubit Religioſa Societas Ieſu. Congregatione enim quintâ generali Canone 56. ſic ait. *Noſtri omnino S. Thomam, vt proprium Doctorem habeant, eumque*

in Scholaſticâ Theologiâ ſequi teneantur: *Tum quia Conſtitutiones eum nobis commendant*, & *Summus Pontifex Clemens VIII. id ſe cupere ſignificauit*: *Tum quia cum vnius Scriptoris doctrinam in Societate eligendam Conſtitutiones moneant, nullius hoc tempore doctrina poteſt occurrere, quæ ſit eâ ſolidior aut ſecurior, vt non immeritò S. Thomas* (attende Lector quomodò regnãs in orbe literario Societas ſupremo ſcientiarum Monarchæ Regium caput prona ſubmittit) *Theologorum Princeps habeatur.* Quod & ſigillo ſuo obſignat eiuſdem Societatis Scriptor antiquus & celebris, Mariana, in libro quem de rebus Societatis Hiſpanicè ſcripſit, cuius hæc ſunt verba, *De que han reſultado Muſchas y ordinarios rebueltas con los Padres Dominicanos aquien deuiamos antes reconnoſcer per Maeſtros.* Non ergò, Petre, lachrymæ, nec acor ob infuſcatam priſtinæ dignitatis famam; ſed lætitia & iubilatio, ob Regiam nouæ Majeſtatis acceſſionem quâ in Reges ipſos literarios, fit doctrinalis poteſtas, quæ hiſtoricum claudit apparatum.

Ludicram ſubiicit narrationem, aut veriùs fictionem Pſeudo-Petrus de hiſtoriâ *Mariman*; de nouo Titulo Iuris Canonici, de Monacho per ſaltum promoto: de ſaltu inſolentiſſimo per ſcandulas ſæcularis potentiæ; de fabuloſâ confabulatione inter R. P. Nicolaum Rodulfium & R. P. Vitelleſcum, vtriuſque Ordinis Præpoſitos Generales. Quo autem animo hæc ſcripſeris, Petre, non video; an effuſus in riſum, ludo ſolemni: an applicandus tormentis, oppreſſus amaritudine, euerſoque Iudicio? Imò miſcuere ſe in animo Tuo, impotens lætitia & fatalis mœror. Si quidem Democritum agis, effuſus in cachinnos, dum hiſtoriæ *Marimanæ* Comicum exprimis Paradigma. Magis autem ridiculum Te exhibet puerilis illa Impoſtura, qua fingis R. P. Rodulfium, virum doctiſſimum, grauem, ætatis iam prouectæ, totiuſque Ordinis Prædicatorij Præfectum, R. P. Mutio Societatis Generali Præpoſito, faſſum & confeſſum, ſurdos ac indociles ad ſuum imperium Cyriacos omnes; cum promptiſſimos agnoſceret & obſequentiſſimos ſuis Superioribus, alumnos Societatis. Hæc Nebulo, fidem apud Te inuenient; apud reliquos riſum ac contemptum. Verùm riſus hic amareſcit, *Extrema enim gaudij luctus occupat*, fitque animulæ ſingultibus oppreſſæ, & pondere doloris interni euolutæ non leue argumentum.

Quapropter quæ de nouo Iuris titulo ſaltuque inſolentiſſimo garris; indulgendum Tibi, ſicut indulgetur Reo ad furcam damnato, qui vel ipſo teſtium aut Iudicis primo contuitu, excandeſcit, furit, delirat, impunè vellicans, impunè conuicians. Memor enim, etiam poſt plures annos, Decreti Confixionis operum Tuorum in Congregatione S. Indicis, cuius tunc Secretarius & præcipuus Adminiſter R. P. Marinus; ad ſolum eius nomen frendet & euertitur leuiſſima mens Tua, rotatque debile cerebellum imago importuna: vnde ex prauiâ pœnâ, quaſi ſequuturæ præſcius, quod inſanis ſæpe contigit, præſagis & diuinas ſortis Tuæ miſerandos euentus; & in perſonâ alienâ exprimis, quæ mox ipſe eras paſſurus. Gratias itaque habeto mihi, qui velut alter Ioſeph, vacuæ & afflictæ mentis ſomnium exitiale interpretaturus accedo.

Comicâ hâc & vltima huius Diatribæ Proluſione, ſortem Tuam præſagâ cogitatione attigiſti. Attentum Te cupio. Latum eſt in Te Decretum multiplex, ob multiplex ſcelus, quod conſcius Tui, non negabis. Ob matricidium Hyparchico pugione patratum; ob crimen læſæ Maieſtatis diuinæ, publicamque impietatem in Chriſtum, Deiparam, Sanctos & Ordinem Religioſum, Romæ in Colomnæ infami ſuſpendendus, illinc à patibulo ad rogum comburendus in fanaticâ illâ viſione, quæ Te ad hæc nugamenta ſcribenda adegit, demonſtraris. En genuinam ſomnii Tui interpretationem. Vt video, funeſta Te hæc imago conturbat. Sed ne iniuſtitiæ arguas intortum in Te ſupplicium; Tuâ vſus libertate & à Iure Canonico ad Ciuile demigrans; æquitatem decretoriæ Sententiæ euincam ex nouo Titulo Iuris Imperialis, codice *de Irreligioſis*; Lege, *ſi amens*: Paragrapho, *furioſus* Vbi expreſſis terminis & *Valcluſiana* ſynceritate hæc leguntur. [Matricida & impius licet inſanus ac furens, à carcere, Rhodani ripis contermino, ad Romanum Programma per ſcandulas tractus, & inter flagitiones ac furciferos diu pendens; iiſdem gradibus, ſaltu (ſibi, ſuique ſimilibus frequenti ac ſolito,) ſed aliis inſolentiſſimo ſeu inſolito, & quaſi pedibus alatis, ac capite plumeo, deuolet in Galliam, manu carnificis Toloſani ac Aquenſis, ex duplici Senatus conſulto publicè comburendus De hoc pluribus Author Hiſtoriæ Valcluſinæ, ſeu Vallis-clauſæ.]

DECIMA REFLEXIO.

Examen Conſiliorum Petri à Valle-clauſa.

DVm alteri noceat, ſui negligens affectus Inuidiæ; tela torquet quibus ipſamet impetatur; ruinis ſimillima, quæ ſuper id quod oppreſſere, franguntur; nec timet feriri dum feriat veſanus liuor. Imperitiæ, Barditatis, Imprudentiæ, Prauitatis, Irreligionis ac Blaſphemiæ luculentum & ferè continuum ſpecimen exhibuit nobis huc vſque Pſeudo-Petrus; aliqualem tamen famæ ſuæ curam inter tot pudoris & conſcientiæ naufragia habiturus, patrocinium ſuſceperat Pontificiæ dignitatis, Eccleſiaſtici Ordinis, omniumque Regularium, vindicaturus eos à præſumptâ Cyriacorum Tyrannide; vt hâc arte, quos tuetur & palpat, habeat cauſæ ac nominis ſui fidos aſſertores. Verùm clauſuram impoſiturus infami libello, vltimum exhibet euolutæ & deſperatæ mentis argumentum; dum quos ex Clientibus Patronos ſperabat, contumelioſâ procacitate impetit, hoſtilique manu violat, quorum ſe ſimulabat propugnatorem, dum emendicaret inſidioſâ adulatione patrocinium. Nihil itaque reponant Cyriaci, cùm ipſemet cauſam ſuam perimat; & imperent audiendum Pſeudo-Petrum ſolemni vindictæ imminentem, ac ſe ſine fræno vindicantem, vt falsâ vltione falſus dolor tollatur, ſinaturque puerilis Blatero in decrepitâ ætate laſciuiens, ſpumanti & libero ore debacchari in omnes, nulli obfuturus niſi ſibi, dum Curiæ Romanæ Pontificiorumque Tribunalium reſtaurationem ſuſcipit, velut Pontificibus ſapientior, maturiorque eorum Adminiſtris. Audiamus itaque de Tripode puerilia ac ridicula fundentem oracula, dum expirat.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Suadet arcendos à miniſteriis Eccleſiaſticis omnes Regulares, ne vocationi ſuæ obluctentur.

§. 161. *QVæ hactenùs ſunt propoſita, euincunt manifeſtè, iuſtum eſſe, per eos ad quos attinet, inijci fræ nos licentiæ, & occaſiones malorum quæ ex abuſu Pontificiæ authoritatis, Cyriacis circa libros concreditæ, timeri meritò poſſunt, ſollicitè præcludi. Id quâ viâ præſtari poſſit, non eſt obſcurum.*

In primis curandum videretur, vt tractarent fabrilia fabri, & negotium inuidioſum; ac cum ſtatu Religioſo ob violandæ Charitatis & Iuſtitiæ frequens periculum, minùs conſentiens, curandum Sæcularibus traderetur; quod in magnum & Religioſi Inſtituti bonum, ac puritatem in exercitio muneris integriùs obeundi adaugendam, & aliorum tranquillitatem verteret. Aio id ceſſurum magno Ordinis bono; quia exercitium munerum illorum, ferè infert cladem Humilitati ac
DIATRIBA 10. *Paupertati per Cenſum vberem adiunctum, & Obedientiæ ob emancipationem à iugo Religioſo, talibus Pontificiis Adminiſtris collatam. Poteſtas enim in quoſcumque alios exſoluta planè, qualem in hac parte ſortiuntur Cyrici, eſt nouerca humilitatis, præ typho quem ingenerat, velut lignum teredinem, iuxta Bernardi comparationem. Fruitioni verò pinguis ſtipendij annui, prorſus liberè à Religioſo impendendi, etiam ſi abſit dominium; facilè adiungi poteſt Paupertatis oblæſio. Aureorum mille quingentorum cenſu annuo, potitur Magiſter S. Palatij: nec parciùs obſonatur Commiſſarius S. Officij, ambo Cyriaci: & vterque eſt planè ſui iuris in eorum prouentuum vſu. Cæteris Cyriacis ad munera cum his nexa adhibitis, ſunt ſua emolumenta & commoda. Quis non videt, Religioſæ Paupertatis obſeruationem periculo non exiguo obijci, per eam exſoltam tanti cenſus fruitionem? Aut quomodo vir Religioſus non firmaretur ſtabiliùs per ſaburram ſ. demiſſionis ac expoſitionis rerum caducarum, ſi abeſſet ea impotenter efferendæ mentis illecebra, quam* opes ſuperbæ *(ſic nominantur ab ipſo Spiritu Sancto Prouerb. 8.) improuidis inferunt? Commodaret ergò apprimè Religioſo Statui, ea in Sæculares*

munerum periculoſorum tranſlatio. Et poteſt etiam ex alio capite, fructus in Ordinem inde deriuandus agnoſci. Nam etiam ſi daremus munera, de quibus agimus, omnium incommodorum propoſitorum expertia eſſe, & ſanctè vndecumque ac incontaminatè obiri; tamen non poteſt eorum exercitium non coniungi cum offenſa eorum qui feriuntur; etiamſi iniuſtè & abſque idoneo fundamento concepta. Declinare autem illud diſcrimen, cladis irroganda communi cum alijs charitati, optabiliſſimum eſt ſacro Cœtui.

RESPONSIO.

IN vniuerſum ſtatum Regularem ſæuiturus irreligioſus Nebulo, omnes eius Profeſſores arcet à Romanâ Curiâ, velut Pontificiæ authoritatis traductores publicos, nec vltra tolerandos. Et quamuis ſolos Dominicanos nominatim obſignet, vniuerſos tamen Regulares eædem planè rationes oppugnant. Imò ab ipsâ Religione, Religionis deriuat propudium; & inſidioſa Religioſæ vitæ denuntiat, omnia Religionis Chriſtianæ miniſteria commiſſa Regularibus viris. Verùm quia nihil noui obtrudit, ſed eadem planè recantat quæ ſuperiùs diluta ſunt, Lectorem remittimus ad §. 36. vbi exſufflata & protrita fuit irreligioſa Petri in hâc parte, procacitas. Vnum tamen ſubijcio. Dum queritur tria Pontificiæ domus munia, Cyriacorum adminiſtrationi collata; putà Secretarij S. Indicis, Commiſſarij S. Inquiſitionis & Magiſtri S. Palatij; non attendit tria ſimiliter commiſſa Ordini D. Auguſtini, vt benè annotauit Spondanus (quos proinde æquè ac Dominicanos appetit) ait enim. [Hoc anno traditur in Chronicis Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, Ioannem Pontificem illi Ordini tria in Romanâ Curiâ officia, quæ coniunxerat, conceſſiſſe; Videlicet munus cuſtodiendi Sacrarij Pontificij, Bibliothecæ Pontificiæ & Confeſſionis Pontificis pro tempore exiſtentis audiendæ, primumque ijs officiis præfectum fuiſſe Ioannem Lemouicem Theologum, qui ea exercuit ſub eodem Ioanne, eiuſque Succeſſoribus Benedicto XII. & Clemente VI.] Cæterùm, Petre, qui tenellâ adeò compaſſione commoueris pro ſalute Cyriacorum aliorumque Regularium, multum, vt ais, in muneribus Pontificijs exequendis periclitante,

An. 1319. *n.* 11.

nunquid velles ad Te, Tuæque Vallis Colonos eadem munia deriuare? Expecta donec voceris à Domino[r], *nemo enim ſibi ſumit honorem, niſi vocatus ſicut Aaron*: & qui diuinarum legum es oblitus, recordare Imperatoriæ legis, quæ habetur l. 9. Codicis. Titulo 29. §. ne quis, vbi ſic habetur. *Ne quis ſine Sacrilegij crimine deſiderandum intelligat gerendæ ac ſuſcipiendæ adminiſtrationis officium intra eam Prouinciam in qua prouincialis & ciuis habetur, niſi hoc cuiquam vltroneâ liberalitate per diuinos afflatus Imperator indulgeat.* Habeto itaque patientiam Petre, donec Te Tuoſque ad præfata aut ſimilia munera, vltroneâ liberalitate per diuinos afflatus, totius Reip. ſpiritualis ac Chriſtianæ Imperator ſupremus ac Hierarcha euocet.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Dicit Religioſos ineptos muniis Rom. Curiæ, quia domeſtica tyrannide, ſuorum ſenſibus aſtringuntur.

§. 162. *Iam muneris exercitium, quam purius eſſet, ac minùs vitiationi obnoxium? Religioſus enim qui ab ineunte ætate combibit ſenſa particularia Ordinis; niſi domeſticam ſecum pacem velit exciſam, vrgetur eis inhæreſcere, quamuis plerumque ſint eiuſmodi, vt extra ſepta Cœnobij non probentur. In Sæculari autem qui alterius quadrâ viuere non tenetur, ceſſant omnia illa incommoda, ob quæ procliuiſſimum eſt, iudicij rectitudinem diſtorqueri. Quantum poſſit inolita præconceptio iugi experimento eſt compertiſſimum. Itaque Cyriacus Cenſor cui à religioſa vita cunabilis inſonat aliqua in principiis literariis cantilena, facillimè adducetur vt à recto exorbitet, cum muneris quod obit, diſpendio. Similiter pacis domeſticæ ſtudium, inflectendo iudicio valet plurimum. Adam protoplaſtus, ne ei quam vnam habebat ſociam atque domeſticam, diſpliceret; turbauit omnes ſuos poſteros, & cladem Orbi intulit diſplicens Deo. Quàm ergò periculoſius eſt, ne timore diſplicendi Cœtui pleno Domeſticorum, quicum tota vita exigenda eſt, homo nutet in recti tenore, & deflectat ad dexteram vel ſiniſtram; veritus ne Domeſtici, ſi à ſenſis ipſorum tantiſper auertatur, circumdent eum ſicut apes, & exardeſcant ſicut ignis in ſpinis, quem eſſe vſum ni-*

nimium quantum frequentem, vtinam diffiteri ad veritatem liceret.

Ego hoc non niſi obiter, vno aut altero exemplo quod occurrit illuſtro. F. Thomas Turcus nuper ſummus Cyriacorum Magiſter, non erat, (cuiuſmodi nunc eſt F. Ioannes Baptiſta de Marinis,) rudis in Theologicis: ſed quâ valebat ingenij vi, & Theologicæ facultatis vſu diuturno, optimè perſpiciebat, ecquid de ſuorum ſententia circa maculoſum Virginis Conceptum, eſſet ſtatuendum. Agnoſcebat, inquam, piam ſententiam qua Conceptus illius nitorem adſtruit, eſſe longè probabiliſſimam; & (vt cuidam amico externo aliquando in aurem inſuſurrauit,) longè veriſſimam. Rogatus, cur ergò tanto ardore, apud ſupremos de Fide Quæſitores vrgeret, vt decretum clancularium, & vndecumque nullum de titulo Immaculatæ, *non appingendo Conceptioni, ſtaret, neque euerteretur, ad quod totius prope Orbis ſtudia connitebantur; reſpondit* Niſi ſic me gererem, Fratres tales erga me eſſent, quales erga Benedictum & Romualdum, turbantes inolitos ſenſus Monachorum, ſe præſtiterunt aliqui inueterati dierum malorum. *Erubeſco explicatè referre, quod ille eam in rem, ſecurè in amici aures dimiſit: ſed intelligentibus pauca. Conſtat; ex eodem Cyriacorum Cœtu benè multos in eadem controuerſia Peripateticos agere, id eſt, quod ab Origene eſt proditum, metu Socraticæ Cicutæ, vnum agitare animo, aliud verbis exprimere. Vnde cùm primùm per Inſulas liberantur metu domeſticæ vexationis, renuntiant ſententiæ in Cœnobio propugnatæ. De Prædeterminatione Phyſica, ineluctabili humanæ libertati, compertiſſimum eſt per Septemtrionem vbi Caluiniſtæ attollunt cornua, & vmbonem ſuo errori de fato prætendunt à Bannis & Prædeterminatorum ſententia; pleroſque Cyriacos in omnia alia abire, cùm non timent iras ſuorum: & vel pampinis verborum, & quaſi foliis Ficulneæ velare pudenda Bannis, vel apertè Prædeterminationem reijcere: Quod volebat. F. Ioannes Alemandet Ordinis Minimorum diſp. 4 Phyſicâ Partit. 4. Clypeo 2. cum dixit,* Non obſtantibus inſultibus Bannis & ſuorum Partiatiorum, Moliniſtica opinio abrogans ferreos illos libertatis humanæ nexus, altiores ſemper radices agit; Thomiſtica verò, *(imò Banneſiana)* Prædeterminatio, iam dormitat etiam in eorum ſcholis. *Vſque vbi Fratres poſſunt & audent, nec extimeſcunt feros fluctus ma-*

rihos, qui in deſpicientes inſolitos ſenſus Ordinis emouentur. Hæc obiter tacta ſufficiunt, vt intelligatur ſemper metuendum eſſe ne qui in Cœtum aliquem ſunt cooptati, abripiantur ſenſu ſuorum communi, contra priuatum ſenſum ſuum; & ſibi timentes ac offenſionem Domeſticorum declinantes, aliter pronuntient quam mente concipiunt.

RESPONSIO.

Lege domeſticâ velle ſenſus alienos metiri, propudium eſt ſingularis vitæ, & libertatis publicæ deturpatio. Ne dicaris amplius Petrus à Valle-Clauſâ, ſed à Valle-apertâ, cuius penitiora repagula improuidè reſeraſti; nec eges violentâ manu, quæ Te impellat in foueam, quam ambæ manus Tuæ incautè ſuffoderunt. Eligebantur à Pontifice ex quouis Ordine Religioſo Pontificiæ dignitatis Adminiſtri, quorum ineluctabili zelo & vigili cura ſplenduit non mediocriter Chriſtiana Religio; nec quis huc vſque aptiores celebri huic Miniſterio agnouerat, quam viros ſolemni temporalium rerum abdicatione & perenni affectuum ſacrificio, Deo mancipatos. Verùm omnes attonas, Petre, dum infauſta Vallis Tuæ reſerans myſteria, altâ voce intonas amoliendos ab omni Palatij Pontificij munere, non ſolum Cyriacos, ſed & quoſuis Inſtituti Religioſi Profeſſores, quippe quos tyrannis domeſtica, compedibus in iudicium & voluntatem iniectis, eò vſque conſtringit, vt nec libertas ſuperſit ſuffragij; & niſi ſingulares quique iuxta conſonantia Sodalium ſenſa, cæco famulatu loquantur & ſentiant, non effugient domeſticarum apum ſpicula, Socratis cicutam, Benedicto & Romualdo propinatum à ſuis venenum. Proh effrontem Chamum reuelanrem pudenda ſuorum parentum! Quis ſimile quid de Cœtibus Religioſis fuiſſet ſuſpicatus? Nec certè veritati conſonum quod effutis, incatenata & coacta ſuffragia ac vota Regularium.

Infandum & ignotum quantum ad cæteros Cœnobitarum Cœtus portentum, duplici mendacio fulcit & obſignat; quod vtrumque propriâ debilitate labaſcit ac primo flatu retunditur. Dixit, inquis, R. P. Turcus, ſe à proprio ſenſu in alienum transferri, timore Filiorum, quos pugio, venenum, cicuta armant in parentem;

Petre

Petre redi ad cor, ſcitoque nec Sathanam parem vnquam adinueniſſe calumniam. Eiuſdem fermè generis eſt illa quam irrogas Ioanni Alemandet Minimo, quem à propriâ ſententiâ in alienam & oppoſitam, horrendâ detruncatione abripis. Ex illius ſi quidem velut ore verba hæc depromis, quaſi ipſius propria, quæ ideò Italico caractere exaraſti. Sic enim ais, [Quod volebat F. Ioannes Alemandet ordinis Minimorum diſp. 4. Phyſica, Partit. 4. Clypeo 2. cum dixit: *Non obſtantibus inſultibus Bannis & ſuorum Partiariorum, Moliniſtica opinio abrogans ferreos illos libertatis humanæ nexus, altiores ſemper radices agit; Thomiſtica verò,* (imo Baneſiana) *Prædeterminatio, iam dormitat, etiam in eorum Scholis.*] Illudis itaque Lectori hæc ex ore Alemandet excerpens verba, vt ex Thomiſtâ facias Moliniſtam; at miſer & impudente ſenex, cur eraſiſti è medio citationis illius Italicis caracteribus exaratæ, iſta duo verba, *Teſte Leſſio*, quæ Alemandet inſeruerat, vt oſtenderet hæc verba non ſua eſſe, ſed Leſſij Ieſuitæ, de quo non mirum, ſi Moliniſta, Moliniſtica dogmata depredicet, fingatque dormitantem Prædeterminationem; cuius timet vigilias, nec ſentit afflatus, libertatis humanæ eximios aſſertores. Illa refert Alemandet nec approbat, imò improbat, ridetque præfidentiam Leſſij Thomiſticæ Scholæ ſummoperè inſenſi. Tu autem abſtuliſtis vt adſcriberes Alemandeto verba Leſſij. *Falſatio.*

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Excludendos docet Regulares à Muneribus Pontificiis, quia in vindictam ardentiores ſæcularibus, & ob inamiſſibilem poſſeſſionem.

Externorum denique paci, opportuniſſima eſſet ea mutatio; Nihil enim facilius, quam vt per rectum muneris exercitium, qui plectitur, extranea cauſetur; & cum deberet Iudicij iuſtitiam agnoſcere, referat violationem ſuam, in ſimultatem, quæ ipſi aut corpori cui conſeritur, cum corpore Cyriacorum, vel aliquâ ſingulari inter eos perſona intercesſerit. Natus enim eſt Cœtuum ſacrorum, vt violatio vnius ad om- §. 163.

*nes pertinere cenſeatur; Et qui peccat in vnum, fiat eo ipſo omnium reus. Itaquè ſi qua corporis in corpus, aut ſingularis perſona in idem corpus, vel eius corporis aliquem, abalienatio praceſſerit; repoſitam ſibi innoxio vicem, ex non cauſa vt cauſa expoſtulabit, qui Iudicio aduerſum ſe laso percelletur. Quæ incommoda præcluderentur, ſi Religioſo numeroſi Cœtus membro, ſæcularis quiſpiam, qui ſingulariter eſſet, conſtitueretur. Saltem verò ſi Iudex eſſet ſæcularis, & nulli corpori Religioſo conſertus, leniretur externorum plaga ex ſpe mutandæ aliquandò faciei (vt ſic dicam) negotium. Nam ſicut ſunt quædam in prædiis perempta caducitatis Iura, pro quibus deſperanda tranſlatio ad externos (*manum mortuam *idcircò nominant;) ſed iis perpetuum poſſidentium ad poſteros pari poteſtate transferendum, præcludit aliis ad illud corpus non pertinentibus, ſpem omnem in ius illud ſubeundi; quia obſeruatur omninò immutabilis ac perpetuus poſſidendi titulus, quo gaudent qui eo potiuntur: Ita id ipſum cernitur in Muneribus, ſi præcluſa prorſus ſpe tranſlationis eorum, ad alios qui non ſunt de eodem corpore, lenimentum illud ſecludat, quod exiſtit ex ſecuturâ quandoque mutatione, & tranſlatione eiuſdem poteſtatis, in alios meliùs affectos, nec communibus ſtudiis aut odiis tangendos.*

RESPONSIO.

PVerilia ſunt quæ opponis & potiùs nugamenta, quàm argumenta, Regularis ſtatus irreligioſe traductor. Si timent ſibi ſæculares & externi à communi Fratrum zelo & impetu, ſingulares ſuorum iniurias vindicante; numquid qui adhuc in ſæculo degunt, dum ad illa munia promouentur, amicos habent ac propinquos, rerum ſuarum vindices, qui carni & ſanguini ſtudent, vt non minus timendus ſit eorum in rei domeſticæ patrocinium ardor & vindex zelus? Non erubeſcis ſub habitu religioſo, pacis ac honoris, Religioſi ſtatus fundamenta, inſidioſâ manu conuellere? Verùm, inquis, perpetuitas Officiorum apud Regulares, quæ nullâ ſorte ad exteros transferuntur, vnde dicitur *manus mortua*, inuidiam commouet & aſſultus eorum qui præcluſam ſibi ad eadem Munia viam dolent & queruntur. Vana & iniuſta quiritatio Tua, Petre! ſi enim excluſis Regularibus, ad ſæculares hæc Officia de-

Irreligio.

uoluantur, nunquid par de præcluſo ſibi aditu ad eas functiones ſacras, Regularium querimonia? Non indoles domeſticis, qui adeò tenerâ compaſſione extraneorum queſtubus commoueris? Imò vno ictu ſanctiſſimos Ordines Carthuſianorum, Dominicanorum, Ieſuitarum & ſimilium, apud quos perpetua eſt Generalium præfectura, euoluis, conturbas & inteſtino furore accendis, cum ſingulis earumdem Religionum Profeſſoribus nulla pateat ad Generalatum, vt vocant, via, inconcuſſâ perpetuitate gaudentem; cum in aliis Cœtibus, tribus aut ſex annis ſuprema dominatio expiret, ad alios nouâ Electione migratura. Vide ergò, Petre, quantùm ſeiungaris à Societate & ſequela Ieſu Saluatoris, quem Iſaias Conſiliarium ſimul & pacificum inducit, *Conſiliarius, princeps pacis:* Tu verò (miſellus es Conſiliarius & bellorum intempeſtiuus incenſor) cum conſilia quæ Pontificibus ſuggeris, turbas, & diſſidia inter Sæculares & Regulares ingenerent, ipſoſque ad inuicem Religioſos collidant.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Præferendos dicit Sæculares Regularibus in Miniſteriis Pontificiis, quia maiori pollent libertate iudicij & vitæ puritate.

Modus ergò omnibus propoſitis incommodis vacuus, ad arcendam iniuſtitiam immunitatis à Cenſurâ, is eſſe videtur optimus, quem iampridem ſuggeſſit Gerſo, in calce Tractatus de origine Iuris ac Legum, qui ſubtexitur Tractatui de poteſtate Eccleſiaſtica. Depoſcit enim inſtitui in Curia Romana, Rotam peritiſſimorum Theologorum, cano ſenſu & incorrupto affectu hominum; à quibus de Sacrâ Doctrinâ pronuntiari ſolidò poſſet; atque adeò etiam qui de libris correctione vel ſuppreſsione dignis, cenſerent ad veritatem, non affectu ducti, vel partium ſtudiis acti in tranſuerſum, vt iis facile eſt accidere, qui vni alicui Sacro Corpori conſeruntur: ſed vita integri & nullis domeſticis opinionibus antroccupati; quales potiùs ſunt qui ſunt ſui iuris, nec alienis ſenſibus oppignerati. Quid ni verò (vt innuit Gerſo) eadem ſollicitudo §. 164.

habeatur pro ſanâ doctrinâ, quæ habetur pro cauſis temporalibus & bonis humanis? Quandoquidem ergò ad deciſionem litium forenſium de rebus temporalibus, conſtituta eſt Roma Rota Duodenarij lectiſſimorum Auditorum: Ita ex voto Gerſonis par eſſet, ſubalterna iudicia de doctrinâ ſana & libris reprobis, (nam ſuprema ſolius Pontificia perſona ſunt propria,) exerceri non pêr vnos aliquos Religioſos, ſed per Rotam Duodenarij ſelectorum Prælatorum, quos iudicij bonitas, & doctrinæ ſoliditas commendaret. Idem ſibi eſſe deſiderium, nuperrimè expreſſit Hieronymus Columbus Peruſinus, ſub finem repetitionis de Euchariſtiâ, pag. 158 Neuter tamen depoſcit aſciſci in eam Rotam Prælatos tantum, vt à me factum eſt, & foret haud dubiè ad ſcopum propoſitum longè opportunius. Depoſcunt ergò tantum ad hoc munus, delectum variorum Theologorum. Et ſunt qui velint, eos Theologos è Religioſis familiis & aliquibus ſæcularibus adunari. Qui modus componendæ Rotæ prædictæ, propter varia adiuncta, quæ nihil attinet exprimere, poſſet videri expeditior, & ad exequendum facilior. Itaque ſi is magis arrideat, deligantur non ex eadem Religiosâ Familiâ, plures, quorum numerus poſſit conſpirationi ſuffragari, ſed ex quibuſque Sacris Familiis lectiſſimis Theologi probati, ſinguli ex ſingulis aſſumantur, qui admixti ſæcularibus Theologis, minorum Gentium quoad conditionem quâ viuunt, compleant duodenarium ex quo conſtetur Rota propoſita. Euocentur autem, ſiue Sæculares ſint, ſiue Regulares, è variis Chriſtiani Orbis Prouinciis, vt fit in Rota de Temporalibus iudicante, nec ſint Doctores titulo tenùs, quæ larua frequentiſſimè imponit, ſed ſint probatæ doctrinæ, pluribus publicis experimentis teſtata; & quos in pectore literaria ſupellectile copioſa inſtrui, non ſit ambiguum.

RESPONSIO.

VElut è Tripode fundentem Oracula audiamus, nouum Apoſtolicæ Sedis Conſiliarium, ſenem quidem, nec tamen ſapientem, ſed delirum, & ſub ſacro habitu, profanum ac religioſæ profeſſionis dehoneſtamento mordicùs imminentem. Horreſcant aures, nefando hoc & temerario diſcurſu temeratæ. Duplici, inquit, prærogatiuâ emicent oportet Pontificiæ authoritatis Adminiſtri, li-

bertate iudicij, & cordis ſeu vitæ puritate; vt nec alieno ſenſu abducatur ratio prolatura iudicium, nec corrupta prauo affectu voluntas, mentem deflectat ad falſa aut nociua. At (ſubdit ille) geminata hæc exceptio arcet à muneribus Pontificiis Religioſos quoſque, quippe qui, & partium domeſticarum ſtudiis abripiantur in tranſuerſum, & domeſtico conſtuprentur affectu. Quapropter ſolis Sæcularibus ſacrorum Tribunalium concredenda adminiſtratio; vt potè quibus conſtant libertas mentis & vitæ puritas, qui ſunt ſui iuris, nulloue domeſtico præoccupati affectu. Quæ inde conſecutio extrahenda, Petre? Dicam. Ergò ſecundum Te, obcæcat mentem, vitamque conſpurcat profeſſio Religioſa: Libertatem tollit iudicij & cordis inficit puritatem mancipatus Deo ſtatus, quem proinde ſæculari vitæ longè inferiorem demonſtrat duplex hæc à Te exaltata ſæculi præcellentia. Proh Batauicum & Genneuatenſe conſilium! Quid inde? Præſcribitur Rota 12. Sæcularium excluſis omnibus Religioſis, à viro ſub Regulari quadrâ merenti, cumque Sæculares ipſi Scriptores quos citat, ſingulares Cœnobitas, ad hæc munia ſacra admittant, explodit ille; non approbat ſaltem, licet in ſpeciem dicat, tolerandos. Certè cum hæc ſcriberes, ſpiritus Tuus erat in Rotis. *Impietas*

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Inuehitur in Cardinales & Pontificem, quaſi in Qualificatores eligant domeſticos ſuos ignorantiſſimos.

APage verò modum illum cooptandi in Cenſorum numerum aliquos, qui ſunt in domeſtico obſequio alicuius è Patribus Purpuratis; aut quia ſunt è familiâ Illuſtriſſimi Pralati, qui eam ſpeciem honoris ſuo domeſtico optauerit, etiamſi ſit pauper ſpiritu; nec (quod de Beda dixit Petrus Cellenſis,) ſit benè nummoſus quoad rem literariam. Hic modus aſſumendi Cenſores qui de libris & doctrinâ ſtatuant, ridiculus eſt ac prorſus abſurdus; tametſi eius vſus ſit ſatis frequens. E vicenario namque, aut tricenario Doctorum qui numerantur, inter addictos Congregationi Indicis, conſtat pleroſque ad modum illum præpoſterum delectos Theologiæ §. 165.

adyta nunquam permaſiſſe. Quid adyta? Sunt qui vix à limine ſalutarint. Quantus enim Theologus erat, qui ex eo numero, cùm incidiſſet controuerſia de ſenſu Patrum aſſerentium B. Virginem concepiſſe per aurem; (Periphraſis eſt ad excludendum à Chriſti generatione coniugale commercium;) adeò impeditus eſt ea difficultate, vt libro Typis Romæ edito & approbatione M. S. Palatij communito, profeſſus ſit inexplicabile eſſe, per quam externam partem Virginei corporis, Verbum Diuinum illapſum ſit vtero B. Mariæ, vt humanaretur? Proh doctrinæ profunditatem! Ad eam ignorantiam atque ſcribendi ſupinitatem, quid poſſit accedere, equidem non video; cum vel Rudimentarij Theologi ſciant, Verbum diuinum pro immenſitate ſuâ quâ omnibus ſpatiis circumfunditur, non potuiſſe ſubire Virginis vterum per aliquam externam partem Virginei corporis; quia ea ſubitio, ſupponeret Verbum à Virginis vtero abfuiſſe, atque adeò caruiſſe immenſitate. Eam illuuiem doctrinæ, chartis ſuis publicè probatis & vulgatis illiuit Romæ, vnus Cenſor ſiue Qualificator *Congregationis Indicis, eo reprobo modo quem attingebam aſſumptus. Crimine ab vno, diſce, ſint minus omnes, at complures qui fauore Patronorum in illud Munus intruduntur. Nec magis idonei minuſuè obligandi, plerique alij in idem Album relati, quia tantiſper deguſtarunt Græcas aut Hebraicas, aliaſue exoticas Literas: vel quia non ſunt prorſus rudes Sacræ Chronologiæ, aut quia mitiorum Literarum ac Philologicæ peritiæ ſunt compotes, aut in Poëſi Latinâ vel etiam Vernaculâ cum laude ſunt verſati. Non ſunt tales habendi quoad hoc negotium inter doctos, quibus ſcrutatio doctrinarum, & librorum introſpectio, ſecurè committatur.*

RESPONSIO.

PRoculcato vniuerſo Regulari ſtatu, Clerum ſæcularem ex parte inuadit Bellua ferox, conſpurcatura inſolenti propudio Eminentiſſimorum Purpuram, vt inde in ipſum Sedis Apoſtolicæ apicem, nuſquam exſaturanda debacchetur. Excludantur, inquit, à Miniſterio Pontificiæ dignitatis Religioſi omnes, quia *ex anticipatis ſententiis & domeſtico fermento doctrinæ*, abutuntur authoritate publicâ in vſus priuatos. Explodantur etiam Clerici Prælatorum & Cardinalium domeſtici, quia frequenter igno-

tantiſſimi nec Theologica adyta ab ipſo limine ſalutarunt. Quod ſcurrili exemplo firmat, vt in Clientis ridiculâ barditate Eminentiſſimum ſugillatet Patronum. Exerto enim ore ac dente mordaci tandem Purpuram ipſam corrodit, diſcerpens Purpuratos Patres, qui in Cenſorum & Qualificatorum numerum adſcribendos procurant, quos habent in obſequio domeſtico, ridiculâ, vt ait, abſurdâ & reprobâ ſollicitudine. Nec adhuc infrunitæ procacitatis finis aut terminus; erigitur enim ſupra id omne quod eſt Deus, & poſt expunctos Regulares, Myſtas Cardinalibus miniſtrantes, Prælatos ipſoſque Purpuratos Patres propudioſè habitos, in Hierarcham ipſum, ſeu ſupremum Pontificem truculenter & profanè inſurgit ſequenti paragrapho. Sic coaxant Ranæ Lemnaticæ.

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Apertè inuolat in Pontifices, velut concredentes Tribunalia ſacra indignis.

ABſurdis ergò delectibus Cenſorum ſecluſis, deligantur qui Rotam propoſitam integrent viri doctrinâ integri & in Theologicis ſtudiis ſolidè periti; quos immixtos Sæcularibus, & ſingulis potioribus Religioſis familiis, ſingulos deligi poſſe, præmittebam. Nec opponendum eſt diſcrimen, quod ſuperiùs vrgebam ex anticipatis ſententiis, & domeſtico fermento doctrinæ, hoc ob adunationem multorum, minùs eſt timendum: Nam quamuis ſinguli poſſint aliquibus priuatis ſententiis diſtineri, (vt Dominicani ſententiis S. Thomæ, & Minores ſententiis Scoti;) tamen quia ſingulares ſunt, non poſſunt ſenſa domeſtica adeò vrgere, vt alios ad ſibi conſentiendum abripiant. Et quia ex variis nationibus eligendi proponebantur, exiſſet inde illud commodum, quod benè conſcij rerum patriarum auertent mala quæ non rarò timenda ſunt, ex tractatione certorum Argumentorum quæ alicubi ſunt odioſa, nec niſi cum damno Eccleſiæ agitari poſſunt. Item aberit error circa multa adiuncta, de quibus ſoli periti Regionum ſtatuere poſſunt ad veritatem. Quam ob cauſam, plerumque Scriptores externa tractan- §. 166.

tes, turpiter hallucinantur, & riſum cient Indigenis.

Hæc ſi ad praxim reuocarentur (quod optare poſſim, an ſperare debeam, ignoro:) nemo eſſet immunis à Cenſurâ, ſi Cenſuram eſſet promeritus; nec ſemper in aliquos graſſaretur tempeſtas, quibuſdam quomodocumque ſcribant, ſemper ſecuris & immunibus. Sic ferè certo declinarentur ſanna Iudiciorum, de libris prout libido tulerit, damnatis impunè, vbi Cyriaci regnant, quaſi penes ipſos ius vitæ ac necis eſſet, adeò pro voluntate immittunt alieno iugulo cultrum: nec adeò frequentes eſſent, ſi id fieret, oblocutiones de Romanis Cenſuris, quas ſæpè legimus, ſæpiſſimè auribus noſtris audiuimus, non abſque cordis ſingultu, ob multorum præſertim Sectariorum abalienationem à Sede Apoſtolica; per cuius authoritatem veluti ſtillicidio participatam, proſcriptiones librorum & infamationes Authorum, malignè non rarò, ex abuſu participantium eam authoritatem, decernuntur. Neque enim omnes extra Romam cæci ſunt, vt non videant quid actum, quidue quæſitum ſit. Nec omnes item, (præſertim qui violati ſunt) tanto ſunt virtutis, vt obedientiæ cæco ſtudio, occludant oculos ad iudicium perperàm latum; ſed ſæpè ſæpiùs, acuente lumina iuſto dolore, Cenſuram de Cenſoribus inſtituunt, & pro inflammatione librorum Authoribus irrogata, effundunt contemptionem in Infamatores & Criminatores. Quanquam quid Authorum ex Cenſurâ malè lata infamationem allego? Certum eſt, à quo tempore Cenſuræ ad nutum Fratris Marini prodierunt, non duci probro proſcriptiones librorum Romanas; nec inde infamiæ Authoribus ſic damnatis creari, aut Libros eorum impediri diſtractione. Imò quia mortalibus ſolemne eſt in vetitum niti, excitat prohibitio videndi libri ſtudium; vnde & Liber cariùs venit ob numerum emptorum & celeriùs ac latiùs diſtrahitur; vt videatur libro ſic maledicto accidere, quod cumino, adhibitis maledictionibus ſeminato; fœliciùs enim creſcit ac multiplicatur: vt eſt apud Plinium. Quare optanda potiùs quàm auerſanda Authoribus videri poſſit ea Proſcriptio.

Si in omnibus prædictis aërem tutudimus, concedatur ſaltem vnum & alterum; quo ſin minùs rarefieri, at minui ſaltem torrens iniquitatis poſſit; Et eſt vtrumque rationi naturali (ne dum principiis Chriſtianis:) conſentaneum vt vix videatur iuſtè poſſe negari: Primum eſt, vt detur

facilior aditus Expoſtulationibus, nec ſint Maiorum aures prorſus occluſæ oppreſſis; vnde tanta ſecuritas & metus vacuitas oppreſſoribus. Deligantur qui de Cenſoribus Cenſuram inſtituant, & rimentur quid ab ijs per ipſoſmet, vel per eis ſubiectos geratur. An odium, an inconditus alius affectus per non dubia indicia eruperit, clancularia & arcana, & tamen diligenti ac fideli veſtigatione perquirant, Intelligant, de Bibliopolis, num libri proſcripti, aut ſuſpecti de ſubeundâ proſcriptione & idcircò ab vno Bibliopola alioue poſſeſſore abducti, clam per occultos Proxenetas vendantur, vt fiat lucrum, Adminiſtris Pontificiæ hac in parte poteſtatis. Nam monſtroſam hanc praxim non ita multo ante viguiſſe, in confeſſo eſt. Has & alias ſordes, quæ non latent, præſtat non emouere cum turbatione pacis nariuum, & euerſione ædificationis publicæ, tametſi non fugiunt odoram vim multorum ſupra vulgus ſagacium. Veſtigetur, num quod perpetuo experimento, & Romæ & per Italiam, quocumque Cyriacorum poteſtas funditur, deprehenſum iam pridem dicitur; nimirum vt quiſquis aliquâ in re Fratribus non detulerit, vel in eos iure aut iniuria incurrerit, captato prætextu quopiam, tametſi tali vt manifeſtè ſit prætextus; vel ſolum vertere cogatur, vel trudatur in neruum, aut aliter malè ac peſſimè habeatur: aut vt de aliis iniuriis ſileam, & in libris ſiſtam, inquiratur; an liber nullo iure vetitus, ſi non ſit ad guſtum Cyriacorum, certò ſit prehendendus, & poſſeſſori ſubducendus in perpetuum? Nominatimque, ſi appellat Romam vel ad aliquem Italiæ portum Liber aliquis, qui probet Conceptionem Dei-paræ fuiſſe immaculatam; vel qui dicat, Cyriacos falſaſſe aliquid circa eam, idque euidenter monſtret, quæratur an liber ille harpagetur à Fratribus, quamuis per Maiores hoc non habeant in mandatis.

RESPONSIO.

QVi inceperat à priuatâ Pontificum obſeruantiâ, deſinit in eorumdem depretiacionem publicam; clauditque infandum Opus profano hoc Lemmate. Dum Cyriacis (eadem ratio inuoluit cæteros Regulares) Officia Curiæ Pontificiæ concreduntur, in iis quæ Religionis ſunt aut Fidei; publico ludibrio exponunt Eccleſiam

Chriſti, *abalienationem Sectariorum à ſede Apoſtolica,* fouent deſignantque Adminiſtros, *qui pro voluntate immittunt alieno iugulo cultrum.* Non itaque domus pacis Eccleſia Catholica, ſed ſpumans ſanguinem innoxium ferox carnificina, dum iuſſu aut nutu Pontificum, graſſatur in domo Dei impunita Miniſtrorum ambitio, ſæuienſque in omnes tyrannis. Hæc dixit, hæc ſcripſit, hæc detonuit laruatus Scurra & manifeſtus Transfuga à Deo & Religione, non argumentis, ſed vinculis coërcendus, inſaniens ſupra Moriones, & vltra Hæreticos ferociens, ſacrilegus Impoſtor; qui ſi decretis Dei non obtemperat, infrænetur ſaltem legibus Imperatorum, libro 9. Codic. Tit. 29. §. diſputare; vbi ſic dicitur. *Diſputare de Principali iudicio non oportet, ſacrilegij enim inſtar eſt, dubitare an is dignus ſit, quem elegerit Imperator.* Quid ſi elegerit Chriſti Vicarius?

PETRVS A VALLE-CLAVSA.

Queritur iterùm pueriliter incognitam manere cauſam damnationis Librorum.

§. 167. P*oſtulatum alterum eſt æquiſſimum, & quod omni Iuri diuino, naturali, humano, canonico & ciuili congruit, proindeque pati repulſam non debet; Soluatur lex aut praxis iratiſſima, de tenendo ſilentio circa cauſam damnationis libri: Refugitur enim quàm diligentiſſimè euulgatio cauſa damnationis libri: quod perinde eſt, atque ſi miſero homini in carcerem contruſo, denuntietur,* Es agendus in furcam abſque morâ, & tamen obfirmatè celetur eum cauſa ſuſpendij. *At cum benè conſtituitur ordo iudicij, non tantum Reo indicitur mulcta, ſed etiam exponitur mulctandi cauſa. Dicitur enim noxio,* Agendus es in crucem, quia Innocentem occidiſti; quia tale ſacrilegium perpetraſti. *Iudicum omnium ſceleratiſſimus Pilatus, cauſam damnationis in ipſa Chriſti Cruce proponi voluit. Ethnici alij paſſim, in tabella prælata Cruciariis, cum ad ſupplicium adducerentur, oſtentabant cauſam pœnæ irrogatæ. Sic* titulus Chriſtianitatis, *vt habet Epiſtola ad Aſianos, prælatus eſt Attalo Lugdunenſi Martyri. Aliàs præconis voce inclamari Iu-*

bebant coram Reo dum plecteretur, quorſum ei pœna ſubjaceret, iuxta illud Flacci,

Sectus flagellis hic Triumuiralibus,
Præconis ad faſtidium.

Itaque nemo non videt, quò pertineat tantis ſeptum repagulis arcanum cauſa damnationis libri, iuri natura & vſui omnium gentium aduerſans. Nimirum ſpectat ſolùm quietem damnantium, quorum ignorantia vel magnilitas pateret, ſi damnandi causâ proderetur. Vnde Pariſienſes & Hiſpani, ac quotquot habent quomodo tueantur libri Proſcriptionem ſi quando eam faciunt, apertè produnt Proſcriptionis cauſam, eamque ſcripto publico exhibent. A ſolis Cyriacis, Roma Pontificum Adminiſtris, contra ius quodcumque, damnandi cauſa, occultatur. At enim (inquiunt) ſedes Apoſtolica, vt ſcitè dixit Ennodius in Apologetico, ſoli Deo debet Innocentiam; atque adeò non tenetur reddere facta à ſe damnationis rationem; Sicut Deo, cuius Pontifex Vicarius eſt: nemo poteſt dicere, Quare ita facis? Audio & annuo. Sed in primis, & quotquot alij ſub Pontifice iudicant de Doctrina, non ſunt Sedes Apoſtolica; neque ſoli deo debent Innocentiam; ſed hoc verum eſt de ſola Pontificis perſona, à quâ rationem repoſcere, cur aliquid ad Doctrinam pertinens probet aut improbet, non eſt Chriſtiani, cuius eſt, Chriſti Vicario exoculatam Obedientiam præſtare, non autem rationem facti repoſcere. At ſiſtendo in delectis à Pontifice Iudicibus Doctrina (vt nunc ſiſtimus) vt certum ſtatuimus, Pontificem non poſſe illis communicare prærogatiuam infallibilis iudicij, qua ſolus ipſe ex ſingulariſſimo Chriſti priuilegio potitur. Vnde non eſſet adeò abſurdum, exquirere ab eis; Quare ita facitis? Verùm neque hoc exquirimus, ſed quod valdè diuerſum eſt, quærimus duntaxat, vt aperiant, non quare damnent, ſed quid damnent. Non inquam petimus, vt doceant & euulgent, quam ob cauſam aliquid in libro damnent; ſed tantum petimus vt aperiant, quid ſit quod damnant, vt fructuoſa ſit damnatio; vt damnatus, ſi ſuperſtes ſit, mentem mutet; aliique qui forte Librum legerint, non perſeuerent in errore inde hauſto. Cum enim certum ſit, nullum eſſe librum adeò morboſum, quin ſit in eo aliquid ſanum; intereſt omnium ſcire, quid in eo Libro damnetur, etiam ſi taceatur quare illud damnetur, vt dediſcant errorem quem fortè improuidè combiberint ex libri

lectione, priuſquam interdicto ſubiaceret. Nunc autem Cyriaci, abſolutè & ſimpliciter librum damnant, & quid in eo damnent, ignoratur; & Author ſi adhuc ſupereſt, ſæpè ne diuinando quidem, ſcire poteſt, quid in libro damnatum ſit, & quid deinceps debeat reſugere: Vnde exiſtit perpetuarum Expoſtulationum iuſtum argumentum; quod euaneſceret, ſi maculæ, quibus Doctrina libri reſperſa eſt, panderentur: ſic enim patefacto libri demerito, oppilaretur os querulum, de damnatione tanquam iniuſtâ lites miſcentium. Ablegetur itaque ignorantiæ vel malignitatis azylum; pateat latebra, & tenebroſa caligo dieſcat. Solus qui malè agit odit lucem. Id ſi negetur, mundus vniuerſus non obbrutuit; totus, inquam, mundus non eſt beſtia. Sunt extra Romam quoque, & Italiam, Doctores; qui diſcuſſo accuratè libro damnato, de præcipitibus, aut ex affectu inconditò latis ſententiis ferant ſententiam. Et etiam inuenientur qui non extimeſcant dicere, quid liceat facere, cum Cyriaci abutuntur concredita Poteſtate. Ad conſolationem quoque Cyriacorum dico, quo plus efferantur in libros innoxios, eò gratioſiores haberi, iuxta illud ex libro 3. Epigr. 70.

Nitimur in vetitum ſemper, cupimuſque negata.
Vxor amatori ſordet, amica placet.
Deformis dum ſeruatur formoſa videtur;
Sic vetitus, pulcher creditur eſſe liber.

Guſtum nunc parcè exhibeo: cras, in Indice Vniuerſali ad ſingulos quoſque Cyriacorum libros, plenas cuppas huius vappæ propinabo.

RESPONSIO.

EXpirantis Pſeudo-petri, debitaſque luituri pœnas poſt tot nefandos euanidoſque conatus, vox vltima actionem inſtituit, queriturque quod *cum agendus ſit in furcam abſque morâ, tamen obſirmatè occultetur ei cauſa ſuſpendij.* Sed præcluſæ ſunt inopinato fauces, coacti ſilen-

rij leges ſubeunt ; dum enim quod de nouo obtrudat aut fingat non habet, adigitur ipſiſſima recantare, quæ in fine præcedentis Diatribæ iniecerat §. 156. quo remitto Lectorem, ne animum eius tot Gerris ac Impoſturis huc vſque fatigatum, importuna earumdem Næniarum repetitio obtundat. Quia tamen decoquente viſcera infauſto calore, ſolent ſuſpendendi ſitire, oportet ex ſuperabundanti Charitate, promittenti Vniuerſalem Indicem ad ſingulos quoſque Cyriacorum libros, (dum ſuſpendendus eleuatur in programma Romanum inter Flagriones & Furciferos, buſtoque ferali manu carniticum bis in Gallia alligandus,) plenas cuppas Vappæ fœtentis propinare, quæ in generali *Valli-clauſæ Elucidario* ſtatim prodendo abundat.

Cæterùm vt ingratæ tandem cùm inſulſiſſimo & nullius pietatis, nec fidei, imò nec iudicij homine, Concertationi finem faciamus; Attende Petre (& ſi qui fortè tecum oblatrent) potuiſſe me viliſſimam iſtam tuam & abiectam ad plebeia dicteria procliuitatem, à Sectariorum ac Lixarum irreligiosâ dicacitate hauſtam, toties infœliciter erumpentem, malèque luxuriantem, pro falſis vera reponendo, compeſcere : ceſſiſſe tamen Iuri naturali, imò Chriſtiano, ſola calumniarum depulſione contentum. Quid autem laruam obtendis vt lateas? Nouimus Te, planumque eſt omnibus quàm ſpiritus Tuus velut flamma feralis Te vorarit; quàm mentis Tuæ aciem turbulentus ardor, velut quidam ignis fatuus exſiccarit; quàm Te ipſum diſſolueris, quam Tua ipſe dicta furenti æſtu vaſtaueris, iuſtâ Numinis vltione in tantam affectuum Tuorum captiuitatem delapſus ob præteritos exceſſus Deo & Orbi manifeſtos, vt nec tacere velis, nec ſcias loqui; claudaſque ſpurciloquum & infandum Tenebrionem, pueriles in effœtâ ætate intentans minas, pollicerisque Te acriùs ſæuiturum in Vniuerſos Ordinis Prædicatorij Scriptores. Quos ſigillatim nouâ fide inuiſoque zelo palàm geſtis ſugillare, eorum ſcripta arroganti pertinacium ſcriptitationum ignorantiâ oppugnare, famam conſcerpere, viris Deo mancipatis inceſtas inferre manus, ſacra profanaque miſcere, furere, bacchari. In medio denique impetu audaciùs inſultans, ſpondes Te Domeſticis Fidei rictum & maledicta impacturum.

Scito tamen paratum debili veneno potens remedium, cuius Tibi plenas cuppas propinabit *Elucidarium* Vallis Tuæ, mox prælo ſupponendum, niſi taceas. Imò optamus Tibi exundantes miſericordiâ cœleſti pateras, quâ prouoceris ad reſipiſcentiam & ſatisfactionem, *non enim dimittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum*, eluaſque aquis Pœnitentiæ, quæ igne inueterati Liuoris peccaſti, Lachrymas itaque effunde, quibus furentem illum ardorem, quem in Dominicanos concepiſti, reſtinguas; vt poſſis dicere Domino, octogenarium peccatorem miſericorditer excipienti; *Tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.*

FINIS.

INDEX
Rerum, Verborum & Authorum;

Ordine Alphabetico digeſtus.

A

ABſolutio per literas. 82
Abſtinentia Carthuſianorum. 223
Ætna ſemper ardens. 514
Æternitas deſcripta. 255
Alanus de B. Virgine. 322
Albertus Magnus, an falſidicus. 407. de Concept. 454. pugnat cum Græcis & vincit. 628
Alemandet falſatus. 655
Altare Propitiatorij an lapideum. 459
Amicus Belga. 298
Annus deuotionis generalis. 433
Angeli nequeunt eſſe duo in eadem ſpecie. 257. non potuerunt peccare in 1. inſtanti Creationis. 258. ſunt in loco per operationem. ibid. duo nequeunt eſſe in eodem loco. 259
Anagrammatum ſcientia. 513
Annius. 469
Antropomorphitæ. 375
Apoſtoli nomen an communicetur. 233
Arnaldus Villanouanus. 225
Arnaldiſtæ. 344
Arminiani hæretici. 249
Auxeſes licitæ. 186
Auguſtiniani. 300

B

BAnnes de exiſtentia ſpecierum in Sacramento. 62. de Amico & Prædeterminatione. 294. de meritorum reuiuiſcentia. 292. de Præmotione. 523
Barleta de Samaritana. 535
Bandellus. 468
Bellarminus. 307. 569
Beati an videant viſione increata. 277. an viſio beata ſit actus vitalis. 281. an ſine gaudio poſſint eſſe. 286
Beda. 212
Birgittæ Reuelationes. 229
Baronius. 497
Bernardus Lucemburgenſis

de vulpe. 371
Bernardinus. 534
Bernenſis Stropha. 418
Bonauentura Paruus. *Le petit.* 159
Bonifacius VIII. 117
Braſikelem. 221. 314
Bzouius de B. Franciſco. 103. de Manſur & Meſuè. 380. ſcripta eius defenduntur. 491. de lullo. 528
Burgenſis Iudæus conuertitur ſcriptis D. Thomæ. 517

C

Caetanus abbas. 589
Cabala. 384. duplex. 549
Caietanus Card. 58. 274
Campanella. 269
Candidus. De ſpeciebus Sacramenti. 64. de ſimilitudine in diuinis. 343. de Conceptione. 167
Canus de abſolutione per literas. 82. de approbatione Religionum. 95. de ſugillata Societate. 100. 637. de librorum editione. 125. de ſtigmatibus S. Catharinæ. 128. de Stephano. 176. de Hieronimo. 188. de Gregorio & Beda 212. de Stephano, matrimonio, & gaudio Chriſti. 286. de Caietano. 276. eius elogia. 489. de Vvaldenſi. 534.
Capreolus. De viſione Dei. 281.
Carmelitæ addicti D. Thomæ. 300
Carranza. 58
Carrafa. V. ſydereus.
Carthuſiani. 223
Catharina Senenſis de viſione Dei. 277. eius Reuelationes. 437. ſtigmata. 128
Chriſoſtomus an malè habitus à cano. 190. Stat pro Dominicanorum doctrina. 198
Claudius à Rota. 125
Concilium Conſtantienſe vbi florent Cyriaci. 40. 182. Baſileenſe. 141. 159. Florentinum. 182. Tridentinum. 72
Combefiſius de Conceptione. 51. de duplici capite Eccleſiæ. 66. de Martyrologio. 84. de Sede Pontificia. 112. de Fide B. Virg. 168. de Chriſoſtomo. 190. de Martino primo. 205. de Ioanne Apoſtolo. 221. de Athanaſio. 454. peritiſſimus rei Græcæ. 313. malè arguitur mordacitatis. 493. de Baronio. 497. de Suare. 571
Conradinus. 78
Conſtantius, de fato. 327
Contritio an ſantificet ſine Sacramento. 58
Conſecrationis quæ verba eſſentialia. 260
Coppenſtenius de B. Virg. 322

Coquetius de Lemos. 444.
Curionum munia an inuadant Cyriaci. 4
Cyriaci ſeu Dominicani. Liliati ob puritatem. 7. fulgent in Conciliis. 40. 72. Libri eorum puri errorum. 70. an rebelles Sedi Apoſtolicæ. 76. diſpenſant eléemoſinas Eccleſiæ. 77. Obedientes Pontifici. 82. vexantur ob defenſa iura Pontificia. 129. an malè habiti à Pontifice ob Ianſeniſtas. 132. diſputant in Conc. Baſileenſi. 143. an fuerint cauſa hæreſis Lutheranæ. 147. primi ſcribunt in Lutherum. 148. an Ioannem 22. implanarint. 147. impugnāt dogma de dilatione beatitudinis. 155. non abutuntur Inquiſitionis munere. 152. non ſunt iniurii Pontifici ex impreſſione Librorum. 156. alios ſubiiciunt Sedi Rom. 159. diſputant in Conc. Florentino. 182. nil illis commune cum Ianſenianis. 251. periti rei Grææ. 328. 331. an Latinæ. 337. ſcribunt pro Pontificibus. 513. Iudæos expellunt & conuertunt. 516. non ſtudent ambitioni. 513. an poſſideant regnum literarium. §. 360.

D

Deus. Filius an dicendus ſimilis patri in diuinis. 343
Delrius. 576
Dominicani. V. Cyriaci.
Donatus de Litaniis. 168

E

Eccleſia an habeat duplex caput. 66
Eleuterius Bizenus. 418. 547.
Emanuel Sa. 314
Eraſmus. 550. 558
Epiſcopatus an ſit Ordo. 292
Euechardus de ſtigmatibus D. Franciſci. 25. 108
Eugenius 4. an vexatus à Nicolao Burgundo Cyriaco. 141
Eymericus de Lullo 448. de D. Franciſco 112. item de Lullo. 526
Euſebius Cæſarienſis. 84

F

Fatum. 327
Ferrarienſis de ſpeciebus Sacramenti. 285
Ferus. 565
Furnus, ſeu *Dufour.* 135

G

Galatinus. 47
Grabo. 39

Godfridus de veſte Chriſti & Pantheon. 354
Grauina de Bellarmino. 307. 491.
Gregorius M. 212
Gryſaldus de Anachroniſmis. 376
Græci idiomatis periti Cyriaci. 328.

H

Hebraicæ linguæ ſtudium. 368
Hieronymus. 188
Hiſtoriæ fides nutans. 212
Homo peccat ſi non conuertitur ad Deum in 1. vitæ inſtanti. 159
Hyperbole quid ſit. 304

I

Iacobitæ conuerſi à Cyriacis. 47
Nicol. Ianſenius Apologiſta Bzouii. 170
Ignarius defenſus non imperitus à Cyriacis. 551
Ieſuitæ charitate fœderati Dominicanis. 638 zelus eorum orbi proficuus. 615. Doctr. 623 lucubrationes plurimæ ibid. proſperitas. §. 159 dignitas in regno ſcientiarum. §. 160.
Ieſuiticum theatrum à quo editum. 506
Ignes fatui à quo accendantur. 28
Inquiſitio. Quis in ea ordo ſerueretur. 622. 11.
Quomodo adminiſtrata à Dominicanis. 152. 622. 21
hoc Munus committendum ſit viris Religioſis. § 161. 162
Ioanna papiſſa. Quis author fabulæ. 120
Ioannes de Neapoli de viſione Dei. 277
Ioannes Vicetinus Italiam regit inſigni pietate. 431
Ioannes 22. an implanatus à Cyriacis 147. impugnatur circa dilationem beatitudinis. 151
Ioannes à Turre-cremata examinat Reuelationes S. Birgittæ. 230. de Toſtato victoria. 538
Iudæi expirantis apud Cyriacos, ſtropha 32. pelluntur ex Hiſpania à Cyriacis. 38. 516. ab iiſdem conuertuntur. 38
Ioannes de Monte-nigro confutat Græcos. 330. 629.

L

Lapatius confutat Græcos. 629
Lemos. Mira in morte eius contigere, quæ examinantur. 444. de materia altaris propitiatorii. 459
Leſſius. 560
Librorum confixio quo ordine & modo fiat. 11. cauſa confixionis non reuelatur. 631

Libertas optimè conciliatur cum Gratia efficaci. 198
Logogriphorum vſus. 325
Iacob. Lozanna de Chriſto crucifixo. 363
Lullus. 447. 528
Lutherus infenſus Cyriacis. 148. eius hæreſeos quæ cauſa aut occaſio 147
S. Ludouicus excipit Tartaros, & remittit piis & pretioſis muneribus donatos. 620

M

Magia. 323
Magnan de ſpeciebus Sacramenti. 65
Marinus vindicatur. 155. 158. 317. 350.
Martinus primus. 205
Martinus Polonus de Ioanna Papiſſa. 120
Martyrologium Romanum. 84.
Marchinus. 579
Martyrium per peſtem quale. 580
Maluenda. 576
Maria Virgo à Cyriacis laudata in præcellentia gratiæ 306 an dixerit Roſarium 322 inhonoratur à Pſeudo-Petro. 349. 468
Maſinus de Magia. 323
Maſcarenhas 574
Matrimonii ſacramenti materia. 286
Melchior Moſticenſis Regi calamum excutit. 36
Merita reuiuiſcunt. 279
Militiæ ſacræ confraternitas. 5
Molina. 569
Mons pietatis. 81
Monſtrum, ſeu Richardius, de D. Xauerio. 232. de laudibus B. Virg. 362 de Conſtantino Imp. 341. eruditio. 340
Morelles de Conceptione. 459
Mortui Commu[n]icantur. 317 quamdiu maneant in purgatorio ex Soto. 290

N

Erembergius. 590
Nicolaus Burgundus Quid egerit Baſileæ. 141
Nolanus. 135
Nouarinus. 582

O

Ry Inquiſitor. 554
Officia Curiæ ac domus Pontificiæ, an committenda Regularibus. §. 161. 162. 163. 164.

P

Pandulphus de dogmate. 338.
Paupertas D. Franciſci an traducta à Bzouio. 103
Dominicanorum. 105
Penna. 472
Perſpicilia Hollandica 106

Petrarcha. 531
Piſcator. 473
Picus Mirandulanus de Cabala. 384. 541
Pius quintus. 440
Poëſis an ſit magia. 531
Poza. 592
Prædeterminatio imperitur. 132 docetur à Chryſoſtomo. 198. à Soto. 241. à Vvaldenſi 244. an refugium miſerorum. 299. cum libertate conciliatur. 523. impugnatur. 564
Prædeſtinatiani hæretici. 247
Pueri aperientes portas ſolâ præſentiâ. 407
Ptolomeus Lucenſis de Bonifacio 8. 117
Purgatorium an decennio conſummetur. 291

R

Raymundus Martini. 547
Reflexio prima 1. Secunda. 75. Tertia 160. Quarta. 252 Quinta. 320. Sexta. 406 Septima 481. Octaua. 514. Noua. 608. Decima. 651
Reginaldus de Prædeterminatione. 195. de Conceptione. 166
Religioſus an detur abſque voto ſolemni. 262. an habeat dominium rerum. ibid. an ſine Choro. 293. laxatæ Religiones. 308
Reuelationes mulierum cōmuniter ſuſpectæ. 231
Reuclinus author ſtrophæ Bernenſis. 424. de Pico Mirandulano. 541. de Thalmudicis. 546.
Rho. 587.

S

Saltatio publica. 8
Sancius à Porta, de deuotione ad B. Virg 366
Sandomirienſes Martyres. 35.
Samaritana. 357
Sauonarola. 435
Sanguis Chriſti an ſeparatus à Diuinitate in triduo. 394. an omnis fuerint reſumptus à Chriſto. 451.
Senſus an inſit omnibus rebus. 272
Serronus. 334
Sixtus Senenſis de Origene. 311.
Dom. Soto. de Monte Pietatis. 80. de Abſolutione per literas. 82. de Prædeterminatione 241. de Purgatorio, Epiſcopatu & Choro. 290. latinitas eius ridetur à Pſeudo-Petro 401. de Fero. 565.
Petr. Soto de Confeſſione per literas. 294. de Vvaldenſi. 534
Smolenxus. 42
Solemnitas duplex. 262
Species ſacramenti an ha-

beant propriam exiſtentiam 61. an ſint præſtigiæ 64. an quid generent. 285
Spina. 487
Spirator vnus, an duo in diuinis. 256
Stropha Tranſalpina 32. Smolenxina 42. Cauareſia. 105. Hiſpana. 383. Bernenſis. 418. Parthiſia. 426
Suares. 571
Sybillanus de Reuelationibus S. Birgittæ. 231
Sylueſter de liberatione Caroli. 428. de Monte Pietatis. 81
Sydereus ſeu Carrafa. 583

T

THeophilus Raynaudus Panegyriſtes D.Thomæ Aquinatis. 31. varia de eo. 574. 577. 579
D. Thomas impetitur. 18. an regula fidei. 29. à Sorbona defenditur. 48. an Eccleſia aliquid definierit contra ipſum. 92. laudatur & encomia eius defenduntur à Nic. Ianſenio. 170. Patribus annumeratur. 181. Cuculus à Pſeudo-Petro nominatur. 240. falsò citatur in eum Vualdenſis. 244. varii Minoritæ illi concrediti. 438. quid ſenſerit de Altari Propitiatorii. 459
Ioan. Turre-cremata. V. Ioannes.
Thomas Turre cremata pellit Iudæos ex Hiſpania. 38. 516
Triuetus Scholiaſtes Auguſtini de Ciuitate Dei. 387.
Toſtatus. 538

V.

VAlcluſini proaui, Albigenſes. 228
Valeſius ſiue Valois, Scholiaſtes Auguſtini. 387
Vaquerius de Sanmaximianis. 375
Venatoris imperiti deſcriptio. 23
Veſtis ſacra an proſit.13. veſtis Chriſti creſcens cum ipſo. 354
Ioan. Vicetinus illuſtri pietate regit italiam. 431
Vvielmius de D. Thoma, 181.
D. Vincentius Ferrerius Iudæos conuertit. 38
Ioan. Vincentius, de Gratia. 296.
Vitelleſcus. 396
Viues. 556
Iac. de Voragine, de Legendis Sanctorum. 125
Votum. An Papa poſſit diſpenſare in voto ſolẽni. 262
Vretta de Abyſſinis. 411
Vvaldenſis de Prædeterminatione. 244. de Eccleſia. 531.
Vulpes & ee thymologia à volando. 371.

FINIS.

ERRATA.

Pagina 8. in Regulares, *dele* in : 17. *ante* ſacra, *adde* hoc præſtet : 42. obſurduerit, l. obſorduerit: 61. 52. l.62. 75. indiuultha, l. indiuulſa : 78. Pontificem, l. Pontificum : 90. pratuiſſet, l. prætuliſſet : 91. viuratum, l. vibratum: 98. *ante* Eccleſiam, *adde* qui : quo, l. quæ : mendaciâ, l. mendacio : 99. nec vbri, l. libri : 113. recurſus, l. rurſus : 120. Ioannis, l. Ioannæ : 123. 1086, l. 1286. 126. certa, l. certas: quam, l. quem: 129. aruat, l. ruat : 148. Dominanus, l. Dominicanus: 156. 1213. l. 1233. 169. concinnatoriæ, l. concionatoriæ: 177. retuli, l. retulit : 187. habere, l. habet: 199. inſpiratæ, l. inſperatæ. 207. hypoſtas, l. hypoſtaſis: 209. non debere, *dele* non: exauthoriſauit, l. exauctorauit : 231. & aſſueti, l. non erubeſcunt ſenes aſſueti : 236. ſuſpicit, l. ſuſcipit: 234. Teleſphoro, l. Eleutherio : 245. ſenſe, l. ſenſa. 247. ſuppetitias, l. ſuppetias: 256. huc, l. hæc : 263. ſtatutum, l. ſtatuta : 299. hunc, l. hoc: 301. perennem, l. perenne: 302. dici, l. dicit: 320. aſininus, l. aſinus: 322. ſpinas, l. ſpicas: 330. tuam, l. tuum: 331. qui ex quatuor, l. qui refert quod ex quatuor: 336. hoc, l. hâc: Theologicâ, l. Theologia: 340. es quos, l. en quos: 347. angelicanæ, l. Anglicanæ: 351. huic, l. huius: 357. cleros, l. clericos: 369. Ieſouah, l. Iehouah: 377. ſyllogiâs, l. ſyllogiſticas: 373. ſupinitati, l. ſupinitate: 381. auro, l. aureo: 390, ſacerdos, l. ſacerdotes quis, l. qui: 402. dotes quot, l. dotes virgo quot: 408. ſite, l. ſita: 410. prædictus, l. præditus: 411. poſterior, l. in poſteriore: 413. tero, l. altero: 416. tripli, l. templi: 419. charitatis, l. veritatis: 420. detegenda: l. detegendæ: 421. colligari, l colligati: 426. infartus, l. inflatus: 428. condita, l. conditæ: 431. bonato ſui, l. res ſui. 441. ſalus, l. ſolus: 448. eiuſdem, l. & eiuſdem : 458. fidej l. fide: 463. imperitæ, l. imperitæ: 467. deputationem, l. depurationem: 473. parthenio, l. partheno: loquacitati, l loquacitate: 483. belano, l. beliano: 488. oſtenis, l. oſtendis: 506. ab. l. ac: 512. ſupinitati, l. ſupinitatis. toios, l. toius: luces, l. lues: 513. vutbaſti, l. curuaſti: 518. ſuppoſitionibus, l. ſupplicationibus: 607. laborem, l. laborum: 613. incoas, l. incolas: 618. ſollicituſque, l. ſolitutque : 635. obtundere, l. obtendere : 646. exarandorum, l. exarandarum: 647. Majeſtas, l. Majeſtate : 662. virgine, l. virginej: 664. tanto, l. tantæ.

34